




11/6/53

D.

900

Ex. Bibliotheca Antonij  
Talbain An: 1755.

Nor







DESERASMI ROTEROD :  
EPISTOLÆ SELECTIORES

S. A.

DESIDERII ERASMI  
ROTERODAMI

# EPISTOLAE SELECTIORES

EX LIBRO EPISTOLARVM  
DECERPTAE

QVIBVS  
ALIVNDE PLVRIMAE ACCESSERE.

CVM PRAEFATIONE  
IOH. ERHARDI KAPPII  
ELOQV. IN ACADEMIA LIPSIENSI  
PROFESSORIS.



---

WRATISLAVIAE  
APVD IOH. IAC. KORNIVM.  
CIC 10 CC LII.

1752

ДЕСЯДЕСЯТЫХ ГОДОВ  
НАЛОГИ 1959  
SERIAL NUMBER

УЧЕБНО-ПРАКТИЧЕСКАЯ  
ЗАДАЧА

22732

САМПЛЯ ЗАГОРОДНОЙ  
ОГРН 1005501000001  
1005501000001  
1005501000001



№ 1959/1733

ДЕНЬГИ  
МУНИЦИПАЛЬНОГО ОБРАЗОВАНИЯ  
САНКТ-ПЕТЕРБУРГА



## LECTOR BENEVOLE.



Postquam Nobilissimus Biblio-  
pola Vratislauiensis, Io-  
hannes Iacobus Kornius,  
confilium cepit Selectiores

Occasio  
praefac-  
tionis.

ERASMI ROTERODAMI

Epistolas, Basileae A. cīc 1559. 8.  
typis exscriptas, in usum scholarum de-  
nuo publicandi: eodem tempore huma-  
nissime a me petiit, ut eisdem praefatio-  
nem adiicerem. Ego vero honestis eius  
precibus eo facilius locum reliqui, pro-  
pterea quod, vti aliis Magni ERASMI scri-  
ptis, ita etiam epistolis eius semper ma-  
gnum pretium statui, ab adolescentibus  
priuato studio legendis, et a viris doctis  
in priuatis scholis, cum quoad dicendi  
genus, tum quoad res, quas enarrant, vti-  
liter illustrandis, ab aliis quoque eruditis-

Episto-  
lae Eras-  
mi dili-  
genter  
sunt le-  
genda.

## P R A E F A T I O.

Notitia  
illarum  
separa-  
tim ex-  
cusa-  
rum,

simis hominibus nunquam sine iucunditate ac fructu euoluendis. Prodierunt iam viuo ERASMO variae eius epistolae separatim; excusae etiam sunt variae illarum in diuersis Europae vrbibus collectiones, quae et excellentissimum auctoris ingenium, et faciem rei sacrae et literariae illius aeui, eleganter repraesentant, mirificeque illustrant. Perreixerunt viri eruditii in euulgandis ERASMI Epistolis post eius obitum, saeculo decimo sexto, decimo septimo et hoc nostro, sed variae adhuc manu exaratae latent, eo digniores quae etiam in lucem protrahantur, quo maioris omnia tanti Viri monumenta ingenii sunt facienda. Recensuerunt epistolas ERASMI, et separatim et iunctim editas, diligenti studio Viri Clarissimi, MICHAEL MAITTAIRE in Annalibus Typographicis, et SILV. IOH. ARENHOLDVS in Conspectu Bibliothecae vniuersalis historico - literario - criticae \*, et ille quidem in iis substituit, quae viuo ERASMO lucem viderunt; hic autem notitiam illarum quoque dedit, quae post eius

\* Prodiit Hanouerae A. cIc Ic cc XXXXVI. 4.

P R A E F A T I O.

eius obitum, et saeculis subsequentibus, typis sunt excusae. Prodeant hic primo in conspectum Epistolae separatim excusae ex MAITTAIRII Tomo quinto Anna-  
 lium Typographicorum\*, et quidem ratione temporis habita: Anno cI cI  
 xxIII. Lutetiae apud Petrum Vidouaeum  
 8. prodiit ERASMI epistola apologetica ad Episcopum Basileensem de interdicto esu carnium &c. Anno cI cI cI  
 xxVIII. eius epistola vna cum alia BRIXII ibidem apud Christianum Wechelum, et eodem anno epistola eius consolatoria, Lugduni apud Sebast. Gryphium impressa. Anno cI cI cI  
 xlV. Paris. apud Sim. Colinaeum eius epistola ad fratres inferioris Germaniae de controuersiis in religione lucem vidit. A Cl. ARENHOLDO au-  
 tem sequentes enumerantur: ERASMI Epistola ad AVG. EVGVBINVM 8. fine mentione loci et anni. Haec STEVCHI epistola, Friburgi sexto Cal. April. A.  
 cI cI cI xxxI. exarata, mihi ad manus est, et quidem ex editione Lugdunensi 8.  
 A. cI cI cI xxxIII. apud Seb. Gryphium

P R A E F A T I O.

phitum excusa, atque AVGVSTINI STEV-  
CHI EVGVBINI in Psalmum XVIII. et  
CXXXVIII. interpretationi a p. 167-197  
inserta, quam STEVCHI responsio ad  
ERASMVM super his, quae ab eo dicta  
sunt super Pentateuchum, excipit, Re-  
gii Lepidi VIII. Calend. August. A.  
CLO IO XXXI data. Ambae etiam am-  
plissimae Collectioni *Leidensi* Epistolarum  
ERASMI sunt illatae, et ERASMI quidem  
epistola P. II. p. 1374. STEVCHI autem  
p. 1919 habetur. Mentionem etiam fa-  
cit Cl. ARENHOLDVS epistolae ERAS-  
MI de molestia profitendi linguas, Bas-  
ileae 8. sine mentione anni excusae, tum  
epistolae eius contra quosdam, qui se  
iactitant Euangelicos, Argentorati A.  
CLO IO XLII. 8. impressae, porro  
epistolae ad Franciscum I. Galliae Regem  
perscriptae cum dissertatione de bello et  
annotationibus historicis, Irenopoli A.  
CLO IO CLXXIV. 12. typis repetitae. Prae-  
ter has a MAITTAIRIO et ARENHOL-  
DO indicatas, mihi ad manus est ERAS-  
MI Epistola ad quosdam impudentissimos  
Gracculos, sine mentione anni et loci 8.  
excusa, quae quidem inter epistolas  
ERASMI in editione *Leidensi*, non vero  
in

## P R A E F A T I O.

in ipsis Operibus desideratur, T. X. eorum  
p. 1745 illata. Ab his Epistolis separatim  
excusis ad iunctim editas est progredien-  
dum, ordine temporis obseruato ex  
**MAITTARIO** et **ARENHOLD** o repe-  
tendas. Et ab illo quidem sequentes Col- Notitia  
colle-  
ctionum  
ex Mait-  
ario,  
lectiones indicantur: Epistolae aliquot  
**ERASMI** et ad hunc aliorum apud  
Theodorum Martinum 4. Louanii A.  
cIo I o xvi. xvii. eaedem in aedibus  
Frobenianis 4. Basileae A. cIo I o xviii. eae-  
dem cum auctario apud eundem 4. eodem  
anno editae: Farrago noua Epistolarum  
**ERASMI** ad alios, et aliorum ad hunc,  
admixtis quibusdam, quas scripsit etiam  
adolescens, Basileæ, apud Ioh. Frobe-  
nium mense Octobr. cIo I o xix. fol.  
Epistolae **ERASMI** ad diuersos, et aliquot  
aliorum ad illum, per amicum ex ingen-  
tibus fasciculis schedarum collectae  
apud Ioh. Frobenium, Basileae fol. A.  
cIo I o xx. **ERASMI** breuiores ali-  
quot epistolae, studiosis iuuenibus admo-  
dum vtiles, Paris. apud Simonem  
Colinaeum A. cIo I o xxiv. et A.  
cIo I o xxxi. 8. eaedem Coloniae A.  
cIo I o xxv. apud Eucharium Ceruicor-  
num: Epistolae aliquot selectae ex *Eras-*

P R A E F A T I O.

*mianis*, impressae Antuerpiae apud Gui-  
 lielnum Vorstermann 4. A. cI cI xxix.  
 Epistolarum opus fere ad triente auctum  
 apud Hieron. Frobenium et Ioh. Herua-  
 gium fol. Basil. A. cI cI xxix.  
 Epistolarum florulentarum liber apud  
 Christianum Wechelum 8. Paris.  
 cI cI xxxi. Quae autem a Doctissi-  
 mo ARENHOLDO indicantur Epistola-  
 rum ERASMI collectiones, superioribus  
 et hoc nostro saeculo typis exscriptae, illae  
 hae fere sunt: Epistolae selectae cum  
 horto COLV MELLAE editae 8. sine men-  
 tione loci: Epistolarum floridarum liber I.  
 Antuerpiae apud Ioh. Steelsium A.  
 cI cI xxxvii. cI cI xl. et cI cI lvii.  
 8. Epistolarum opus auctius Basil.  
 cI cI xxxviii. apud Frobenium, et  
 in Operibus ERASMI, A. cI cI xl.  
 IX Tomis apud Frobenium et Nic. Epi-  
 scopium iunctim editis, T. III. in libros  
 XXVIII. diuisum; Epistolae illustriores  
 in III. Centurias diuisae, Basil. A.  
 cI cI cI xxxviii. A. cI cI xl.  
 et A. cI cI xlvi. apud Bartholo-  
 maeum Westhemmerum 8. Epistolae quae-  
 dam ex editione PAVLI MERVLAE A.  
 cI cI cVII. 4. Epistolae cura PETRI

*ex Aren-  
holdo,*

SCRIT-

P R A E F A T I O.

SCRIVERII Lugd. Batau. cIō Iō c xv.  
Epistolae VIII in Epistolis Cll. Belgarum  
selectis Lugd. Batau. apud Elzevium A.  
cIō Iō c xvii. 8. Vita *Erasmi* cum  
epistolis illustrioribus, Lugd. Batau. A.  
cIō Iō c XLII. 12. PETRI SCRIVERII  
et fautorum auspiciis ex officina Ioannis  
Maire. DESIDERII ERASMI Epistola-  
rum libri XXXI. cum PHILIPPI ME-  
LANCHTHONIS Libris IV. et adiectis  
THOMAE MORI et 10. LUDOV. VI-  
VIS Epistolis, Londini cIō Iō c XLII. fol.  
Epistolae in Operibus omnibus ERASMI  
T. III. partibus II. Lugd. Batau. A.  
cIō Iō cc III. ERASMI Epistolae se-  
lectiores, Basileae A. cIō Iō cc xix. 8.  
quae est illa ipsa editio, quae nunc typis  
repetitur. Sed antequam rationem illius  
indicemus, pauca notitiae Epistolarum, ex  
MAITTAIRIO et ARENHOLDO allatae supple-  
tur,  
sunt adiicienda. Omiserunt illi non  
modo editionem auctarii epistolarum  
ERASMI, a BEATO RHENANO procurati,  
Argentoratensem, quae in aedibus Mar-  
tini Schurerii mense April. cIō Iō xix.  
4. prodiit, sed etiam Collectionem Epi-  
stolarum eius Friburgensem. Haec inscri-  
bitur: DESIDERII ERASMI Roteroda-

P R A E F A T I O.

mi Epistolae Palaeonaeoi. Ad haec re-  
sponsio ad disputationem cuiusdam Phi-  
mostomi de diuortio, Friburgi Brisgoiae  
apud Ioannem Emmeum Iuliacensem  
mense Sept. A. M D XXXII. fol. Con-  
stat haec collectio quadraginta et vna pla-  
gulis, et epistolae hic excusae in iis, quae  
postea prodierunt, collectionibus haben-  
tur. Quod vero ad *Leidensem* Collectio-  
nem Epistolarum omnium amplissimam  
attinet: in ipso earum titulo praedicatur,  
hic extare epistolas, pluribus quam  
CCCCXXV. ab ERASMO aut ad ERAS-  
MVM scriptis auctiores, ordine tempo-  
rum nunc primum dispositas, multo quam  
vnquam antea emendatores. Quemad-  
modum autem hic insignis editionum  
Epistolarum ERASMI, in variis Europae  
regionibus vltra ducentos annos curata-

**Epi-  
sto-  
laeEras-  
mi fre-  
quenter  
olim le-  
tiae fu-  
erunt.**

rum numerus, praestantiam, certe fre-  
quentem illarum lectionem olim institu-  
tam, satis superque ostendit: ita ipsae in-  
genium magnum ERASMI, eius erudi-  
tionem insignem, facundiam suauissimam,  
sua sponte fluentem, loquuntur, tan-  
taque rerum memorabilium praestantia  
se commendant, vt lectores ad itera-  
tam illarum lectionem facile inuitent.

**Lau-  
dantur  
illae ab  
ingenio  
magis**

Hoc

P R A E F A T I O.

Hoc certe extra controuersiam est positi-  
tum, **D E S I D E R I V M E R A S M V M** magnis  
Germaniae saeculi decimi sexti ingeniis  
esse adscribendum. Inde etiam factum  
est, ut varii eruditissimi homines eundem  
cum aliis eloquentissimis summisque vi-  
ris comparauerint, eumque illis si non  
praetulerint, certe cum illis aequare  
haud dubitarint. Prouocare hic liceat  
ad Duumuiros, iudices huius controuer-  
siae idoneos, **V I G L I V M A B A Y T T A**  
**Z V I C H E M V M**, Equitem, sanctioris  
Consilii et alterius, quod Rerum Status  
vocant, Bruxellae Praesidem, et Ganda-  
uensis Ecclesiae tunc Collegiatae, nunc  
Cathedralis sancti Bauonis Praesidem,  
Cancellarium Ordinis Aurei velleris, fun-  
datorem Collegii sui nominis in Vniuer-  
sitate Louaniensi, et **G E R A R D V M I O-**  
**A N N E M V O S S I V M** in Gymnasio Am-  
stelodamensi eloquentiae et historiarum  
Professorem, veri nominis Polyhistorem,  
totoque orbe post fata celeberrimum,  
quorum ille **E R A S M V M** cum **I A C O B O**  
**S A D O L E T O**, Ecclesiae Carpentoractensis  
Episcopo, Ecclesiae Romanae Purpurato  
Patre, eloquentissimo homine; hic autem  
cum vtroque **S C A L I G E R O**, **I V L I O C A E-**  
SARE

## PRAEFATIO.

SARE et IOSEPHO filio, conferre haud  
est subueritus. Digna est epistola ZVI-  
CHEMI, a paucis forte adhuc lecta,  
quae tota hic repetatur \*. Scripta illa  
fuit ad GEORGIVM HERMANNVM, ra-  
tionibus FVGERICIS Augustae Vin-  
delicorum praefectum, virorumque do-  
ctorum Maecenatem, et ita se habet :  
„Scribis, mi Hermanne, incidisse isthic  
„Vobis contentionem, Erasmusne an  
„Sadolelus styli elegantia policieque prae-  
„celluerit, eamque litem mea sententia  
„definiri cupis. Atqui cum recte dictum  
„sit, earum rerum vnumquemque iudi-  
„cem esse idoneum quarum sit eruditus,  
„nec Apelles futoris censuram vltra crepi-  
„dam sustinuerit, de tantis viris Leguleium  
„pronunciare, nefas existimo. Proinde  
„et mihi tutissimum videtur, ea vti cau-  
„tione, qua veteres in dubiis causis sole-  
„bant, videlicet, vt mihi non liquere  
„iurem. Si tamen citra ullum praeiudi-  
„cium, quid ego de vtroque sentiam, re-  
„quiras: id tibi exponere non grauabor.  
„Quamcumque autem in partem id  
„, ipsum

\* Repetita est ex CORNELII PAVLI HOYNK  
VAN PAPENDRECHT Analectis Belgicis T. II.  
P. I. p. 283.

P R A E F A T I O.

„ipsum tibi inclinare videbitur: nec  
„meo tamen calculo tuam idcirco da-  
„mnatam causam, nec rursus eam pro-  
„batam, existimare debebis: cum quic-  
„quid id sit, de tantis viris nullam rei iu-  
„dicatae auctoritatem obtinere velim.  
„ERASMI me non ignoras studiosum  
„semper fuisse. *Sadoleti* vero ante an-  
„nos decem, legi quaedam in Psalmos  
„elucubrata, quae ita tum mihi placue-  
„runt, ut et in Epistolam diui *Pauli* ad  
„Romanos, scriptos deinde ab eo Com-  
„mentarios degustarem, posteaquam  
„etiam de laudibus Philosophiae editos  
„libros audiissime legerem. Quanquam  
„autem ego ipso statim dicendi genere  
„sententiarumque grauitate, ac rerum  
„pondere, plurimum afficerer, *Erasmi*  
„tamen ipsius de illo multo plus tribue-  
„bam iudicio, quam meo, cum scilicet  
„ipsum, *Sadoleti* ingenium, sapientiam,  
„facundiamque cumulatissime laudare  
„animaduerterem. Nec tamen idcirco  
„*Sadoletus* vñquam mihi visus est huic  
„velle palmam praeripere: sed ipse *Eras-*  
„*mo* semper plurimum detulit. Ea por-  
„ro cum fuerit alterius de altero senten-  
„tia: quid est quod nos moueamus odio-  
„, fam

P R A E F A T I O.

„sam contentionem, quam ipsi modeste  
„declinauerunt, et in qua inuicem sibi  
„non illubenter cesserunt? Nec igno-  
„ras, mi *Hermanne*, potissimum mor-  
„taliū partem, affectione in huiusmodi  
„controversiis magis seduci, quam ex  
„veritate rem perpendere. Germani  
„*Erasmum* veneramur, quibus certe ille  
„decus atque ornamentum in literis ma-  
„ximum attulit. Ut vero Itali vicissim  
„*Sadoletum* suum, aut quemlibet alium  
„venerentur, ac Galli defunctum nuper  
„*Budaeum* pie deplorent, cur inuidea-  
„mus? Id tamen negari nequit, stylo  
„expoliendo maiorem curam *Sadoletum*  
„tribuisse, quam *Erasmum*. Et quod  
„huic ingenii admirabilis vis et facultas  
„suggeressit, idem cur non et alterum,  
„adiuuante ingenii dexteritate, studio  
„assequi potuisse concedamus? Praeser-  
„tim in operibus non ita multis aut ma-  
„gnis. At *Erasmo* quidlibet tractanti, ci-  
„tra vllam styli solitudinem aut imitatio-  
„nis anxiam affectationem, sua sponte cun-  
„cta profluxere, plane ut diuina et inex-  
„hausta in ipso ingenii vis atque vena re-  
„luxerit, ipsaque eius, siue suauitas, siue  
„facultas orationis, lectorem non minus  
„quam

P R A E F A T I O.

„quam aliorum expolita atque accurate  
„limata phrasis delectauerit, affecerit-  
„que. Ipsum id, eius plurima, et  
„insignia monumenta, quae omnis ad-  
„mirabitur posteritas, perpetuo testa-  
„buntur. Qualia certe, si ab *Sado-*  
„*leto* aliisue expectare liceret, mundum  
„quemdam, vt ita dicam, doctrinae cer-  
„neremus. Porro, si quid ego iudico,  
„ab nullo huius aetatis quicquam in lite-  
„ris est editum, quod cum vnico Ada-  
„giorum opere conferri queat, est enim  
„quasi quaedam eruditionis opulentissima  
„penus. Ut caetera vero taceam, an  
„quid in Theologia scripsiterit *Sadoletus*,  
„quod parem Ecclesiae vtilitatem attule-  
„rit, ac Noui Testamenti translatio, alii  
„censeant. In Psalmos vterque quaedam  
„scripsit, sed *Erasmus*, animi ab grauio-  
„ribus operibus redintegrandi (vt ipse-  
„met dicere solebat) gratia, alter vero  
„iusto studio ac negotio: vt quod ille  
„aliquot diebus effuderit, hic annum for-  
„te totum cuderit. Et tamen, si serio  
„idem *Erasmus* voluisse, paria meliora-  
„ne an facere ne potuisset, diuinare facile  
„licet. Quanquam vterque modeste sua  
„ferrea, alterius aurea esse dictabat.

P R A E F A T I O.

„Verumtamen, iam non de eruditionis  
„excellentia, aut quis meliora, sed quis  
„elegantius scriperit, quaerere te dices.  
„Atqui si mea haec lis esset, malim ego  
„opera mea ab utilitate, quam ab elegan-  
„tia laudari. Et si elegantiae est, verbis  
„numerisque *Ciceronianis* adstringere  
„orationem, hoc fecit quidem accuratius  
„*Sadoletus*, nec minus tamen puto po-  
„tuisse *Erasmum*, nisi eam curam solici-  
„tudinemque aliis maiore cum fructu  
„impendere maluisset. In summa, vti  
„*Homerus* ne an *Virgilius* magis excellat  
„iudicare difficile est, et tamen Latino-  
„rum est nemo, quin *Virgilium* se esse  
„malit: ita et ego, quantumuis *Sadoleto*  
„elegantiae praerogatiuam concederimus,  
„meliorum Germanorum partem, *Eras-  
„mi* tamen nomen longe augustius ma-  
„gisque venerandum habere existimo.  
„Bene vale, *Hermanne Charissime*. Ex  
„Ingolstadio, 5. Decembr. 1540. „ Facile  
hic consentient aequi huius controuer-  
siae iudices, a partium studio alieni,  
ZVICH EMVM nihil hic fere dedisse amo-  
ri, quo in ERASMVM ferebatur sum-  
mo, sed eius in Ecclesiam et literas me-  
ritis verum statuisse pretium, ac *Sadoleto*  
qui-

P R A E F A T I O.

quidem elegantiae praerogatiuam concessisse, ERASMI autem nomen longe augustinus magisque venerandum existimasse.

Quod vero ad GERARDI IOANNIS VOSSEI comparationem ERASMI cum vtroque Scaligero attinet: illa habetur in eius Epistola, Lugduni V. Id. Maii A. CLO loc. xxvii. ad FRANCISCUM GOMARVM perscripta \*, ex qua periochas

huc pertinentes transferemus: Prodiit nunc, *inquit*, Epistolarum (*Iosephi Scaligeri*) opus. Praefatio est ab *Heinsio*, sed sub *Elzevirianorum* nomine. Magnifice extollit *Scaligeros*. Ait naturam quotidie homines parere non miracula. Sed quid tota posset, voluisse in vtroque *Scaligero* experiri, inque iis duobus bis omnes vires suas esse periclitatam. Quibus ego laudibus non inuideo: Etsi non arbitror, *Erasmum* fuisse iis minorem, praesertim quando cogito tempora, in quae huius pueritia incidit; tum etiam, quam praeclare de Nouo Testamento, ac tot SS. Patribus meritus sit. Nec enim persuadere mihi possum, minoris momenti aut fructus, esse operam istam,

b 2                          quam

\* Inter selectiores T. IV. Operum Vossii p. 56.

P R A E F A T I O.

quam quae subtilius saepe quam verius aduersus *Cardanum Iulius* disputat; aut quae de re Poëtica, vel causis L. L. idem nos docet, praesertim cum ne filius quidem in iis, quae de Poëtis iudicarat, Parentis iudicium sequendum putarit: Et opus de causis L. L. quaerat saepe quod non est, Alchymistarum instar, ut ipse eius auctor agnouit, quemadmodum ex Bordonianae fabulae confutatione acceperimus. Quodque ad *Iosephum* attinet, ut nec inuidia negare possit, ad temporum cognitionem, plurimum eum contulisse in libris de emendatione temporum, et animaduersionibus *Eusebianis*: ita religio quoque sit fateri, plus inde utilitatis ad Ecclesiam redundasse, quam accurata illa opera, quam *Erasmus* antiquis Ecclesiae Doctoribus vertendis, corrigendis, censendis, impendit. Et aliquot interiectis, de audacia Critica *Iosephi Scaligeri*, de eius animo parum candido, in *Franciscum Iunium* iniurio, verbis etc, ita *Vossius* pergit: Ut igitur ad *Erasmum* redeam, de quo institutus erat sermo: is utroque illo Heroë non minor videtur, praesertim si saeculum infelix attendam, quo *Erasmus* inter indoctos Monachos, in tanta tot librorum bonorum

P R A E F A T I O.

rum penuria, qui necdum, vel corruptissime prodierant, ad illud eruditionis fastigium potuit adspirare etc. Quemadmodum igitur hi Duuumiri, ZVICHEMV S et VOSSIVS, verum ERASMI decus ex editione Noui Testamenti Graeci, pariter ac variorum Ecclesiae Doctorum vindicarunt, et hoc in primis nomine eundem cum summis Europae ingeniis contulerunt: ita eloquentia et doctrina eius et adhuc viui, et hac vita defuncti, varios nacta est praecones. Inter illos est referendus STEPHANVS PONCHERIVS, Episcopus Parisiensis, cuius laudes GERMANVS BRIXIVS A. clolo XVI. ad Erasmus his verbis perscripsit \*: Age vero, inquit, *Erasme*, accipe, quale fit, quamque singulare Parisiensis in te meritum. Is cum primum ad nos legatione ea, quam ante dixi, functus rediit, nihil potius habuit, nihil sibi magis praecipuum duxit, quam te, te inquam vnum, *Erasme*, praedicare, quam tuum ingenium, tuam doctrinam, atque eloquentiam, Graecam juxta ac Latinam, tum publice,

b 3 tum

\* Habetur haec epistola in editione Leidensi n. CCXII.  
P. I. p. 191.

Laudata fuit eloquentia et doctrina Erasmi a Poncherio.

P R A E F A T I O.

tum priuatim pleno ore referre, et aper-  
tis, (*quod aiunt,*) tibiis propalam decan-  
tare. etc. Quid non ille praedicat de *Eras-*  
*mo?* quid ille *Erasmo* non tribuit? eius  
de te sermones subnectere libuit: facel-  
sat tamen interim iubeo procul hinc adu-  
latio omnis. Magna *Erasmum* fama pree-  
cesserat, maior inuentus est: quid enim  
vetat eadem nos de *Erasmo* pronunciare,  
quae de *Iсаeo* quondam suo Plinium pro-  
nunciasse legimus: *O vere Atticum lepo-*  
*rem, o vere Nestoream eloquentiam! o*  
*raram eruditionem, ac certe non saeculi*  
*nostri!* Nihil unquam *Erasmo* Cisalpi-  
nus orbis produxit omnibus literariis doti-  
bus cumulatius: Absit verbo inuidia; ha-  
buit nostra haec aetas bonarum literarum  
proceres duos, *Hermolaum Barbarum*, at-  
que *Angelum Politianum*, Deum immorta-  
lem, quam felici ingenio, quam acri iudicio,  
quanta facundia, quanta linguarum, quan-  
ta disciplinarum omnium scientia praedi-  
tos? Hi *Latinam* linguam iam pridem squa-  
lentem, et multa barbariei rubigine ex-  
esam, ad pristinum reuocare nitorem co-  
nati sunt, atque illis suus profecto cona-  
tus non infeliciter cessit, suntque illi de  
*Latina lingua tam bene meriti, quam qui*  
ante

P R A E F A T I O.

ante eos optime meriti fuere. Itaque immortalem fibi gloriam, immortale decus parauerunt, manebitque semper in omnium eruditorum pectoribus consecrata *Hermolai* ac *Politiani* memoria, nullo aevo, nullo casu, nullo fato abolenda. Vidi et ipse in *Italia* olim aliquot magni nominis, magnaenque in literis opinionis, in quibus et doctrina non vulgaris, et iudicium acre, et rara adeo inerat facundia: sed tamen istud ego citra iniuidiam, et cum *Italiae* pace dixerim; cui equidem cum faui antea multum, tum tribuo semper in studiis plurimum: unus profecto *Erasmus* transalpinis ac cisalpinis omnibus palmam praeripit: unus *Erasmus* omnium lumina eruditionis ac facundiae fulgore perstringit: et, quod est in proverbio, cornicum oculos configit. Etiam nunc *Erasmus* ipsum loquenter videre video: Dii superi, ut omnia apte, omnia apposite, ut nihil non erudite, nihil non eleganter et ornate, nihil non distincte et ad amissim loquitur? Summa est facultas, copia, libertas: oratio eius pura, aperta, facilis, dulcis: sermo proprius, tersus, exquisitus, grauis; sensus abstrusus ac reconditi: Occursant verba,

P R A E F A T I O.

ba, sed cuiusmodi? *Latinissima*, atque haec quam copiose, quam affatim? vber-  
rimum quoddam dicas eloquentiae hor-  
reum; multa lectio in familiari, et vel extemporanea locutione, multa eruditio  
apparet: incredibilis memoria, repetit al-  
tius quae loquitur, ne syllaba quidem labi-  
tur: breuiter Musam ipsam *Atticam* non hominem loqui contendas: vt illi Rheto-  
rica subseruit; vt illi ad vnguem nota est,  
vt domestica illi ac familiaria rhetorices  
praecepta, vt schemata omnia, figuræ,  
dicendi genera singula, pro arbitrio mo-  
do hac, modo illac, in cerae modum,  
in vsum suum flectit ac reflectit? Iurares  
*Demosthenem* esse, aut si quis *Demosthe-*  
*ne* superior esse potest: vt poëtas omnes  
tum Graecos, tum Latinos familiares  
peculiaresque habet: vt carmen vtraque  
lingua, non poenitendum scribit: vt feli-  
citer scribenti *Apollo* arridet, Musae  
omnes certatim aspirant, quo in genere  
nimirum vel antiquos ipsos prouocare vi-  
detur etc. Repetut deinde **G E R M A N V S**  
**B R I X I V S** laudes, quibus Episcopus Pa-  
risiensis Theologiam et Philosophiam  
**E R A S M I** ornauit, et, tandem recen-  
fitis aliquot eius libris, haec subiunxit:

Qui-

P R A E F A T I O.

Quibus omnibus, *inquit*, quid aliud plane *Erasmus* effecisse credimus, nisi quod manifestissime nobis indicauit, quam felici ingenio, quam sagaci naso, quam purgatis auribus, quam diuina memoria, quam vberē facundia, quanta vtriusque linguae eruditione, quanta styli exercitatione ac maiestate, quanta disciplinarum omnium scientia praeditus ornatusque sit? Ac per Deum immortalem, quis iam inficiabitur, *Erasmus* quendam veluti inexhaustum perennis eloquentiae fontem latissime manantem in pectore ac praecordiis gestare? de quo tam varii passim, tamque exundantes riuuli in studiosorum vireta copiosissime deriuantur? Quis inficiabitur, in aliis quidem permultis, alias atque alias dicendi dotes ac virtutes eminere? in *Erasmo* autem uno τῶν πάντων ἀγαθῶν σωρὸν, τῶν πάντων ἀγαθῶν μυρμηνίαν, τῶν πάντων ἀγαθῶν θάλασσαν εἶναι.

Hactenus STEPHANVS PONCHERIVS et GERMANVS BRIXIVS, quorum laudes ERASMVS ante annum sextum decimum saeculi post Christum natum decimi sexti sibi conciliauit, plures deinde intra vicennium illud, quod viuendo exegit, (mortuus enim est anno tricesimo

P R A E F A T I O.

sexto,) aliis ingenii monumentis, in cultiore Europa assecutus. His subiungemus alium eloquentiae Erasmiana laudatorem et vindicem, imo vindicem etiam religionis et orthodoxiae a suspicione haereseos Arianorum, quam nonnulli ei  
 a Domi- imputarunt. Est is DOMINICVS BAV-  
 nico Baudio. DIVS, ICtus et Professor historiarum Lug-  
 dunensis, qui in epistola ad PAVLVM  
 MERVLAM\*, ERASMI vitam editurum,  
 A. cIc Ic vi. perscripta, praeter alia  
 haec in laudem incomparabilis ciuis sui  
 habet: Facis rem optimam, *inquit*, et  
 acceptissimam candidioribus ingeniis,  
 quod opere hactenus inedito memoriam  
*maximi hominis* non quidem vindicas ab  
 iniuria obliuionis, quae tantam lucem  
 obruere non potest, sed grata tamen no-  
 ui muneris largitione rursus eum velut in  
 Famae theatrum producis, vt et plausu  
 excipiatur ab *Erasmiani* nominis amato-  
 ribus, qui bona sua norunt, et maligni-  
 tatem sui taedeat, quae *tantum heroëm*  
 tam parui pendit. Nam ne quid dissimu-  
 lem,

\* Centuria II. epist. II. p. 246 seqq. ex editione,  
 quam IOHANNES FRIDERICHVS, lingua-  
 rum et historiarum Professor Lipsiensis, Lipsiae A.  
 cIc Ic xxviii. 8. procurauit.

P R A E F A T I O.

lem, serio indignor paulatim elabi de manibus doctorum hominum monumenta summi artificis, atque iis anteferri nonnullos abortiuos partus eorum, qui magno conatu saepe magnas nugas agunt, et quorum praecipua virtus est sapere ex indicibus atque inuentariis. Porro, si recte calculum posui, duo potissimum genera sunt eorum, qui de homine sequius opinantur. Quidam stylum ejus et dictionem carpunt: alii (quod est longe grauissimum) eum insectantur tanquam subsannatorem omnis religionis, et fautorem teterimae haereseos Ariano rum. Piores illi sine populi suffragio ty rannicam dominationem sibi arrogant, quod legem statuere audent, qua quis lo qui aut scribere debeat, quum *Orator ille summus*, nec dicendi solum, sed et censendi auctor optimus, quaeferit, nec unquam inuenire potuerit, quaenam esset in vario ac multiplici eloquentiae quasi vultu praestantissima forma dicendi, magisque animo et imaginatione complexus est, quam facultate asscutus absolutam effigiem eloquentiae. Ad retundendam eiusmodi dictorum insolentiam sufficiet,

## P R A E F A T I O:

ciet, si dicamus, ERASMVM esse secu-  
tum venam et ideam ingenii sui, quod  
longe consultissimum arbitror, nec aliter  
aequabilitas et vnliformis tenor in stylo  
seruari poterit. Quod si primaria dos  
sermonis in eo versatur, ut perspicue sen-  
sa mentis euoluantur, hac laude nullus  
cum ERASMO paria fecit: tam admirabili  
felicitate ac facilitate vox et manus  
secuta est internas animi cogitationes, vt  
vix vnquam litera in eius scriptionibus  
apparuerit, et tamen tanta lux eruditionis  
passim effulget, vt scires ex foecundissi-  
mo pectore copiam istam lectissimae ora-  
tionis redundare. Spiritum et vitam ei  
debent renascentes literae: nec vlla eius  
scripta plus habent in recessu, quam quae  
minus illecebrarum et vanitatis fronte ac  
titulo praetexunt. A flagitio *irreligiosi-  
tatis* abunde hominem absoluunt tot prae-  
clara meditamenta, quae prorsus spirant  
veram et viuam pietatis indolem. Nam  
vt nihil vrere potest nisi ignis, ita nullum  
artificium, nulla affectatio vnquam ex-  
primet tam nativas affectiones, aliud ve-  
ritatis ingenium est, aliud simulationis  
figmentum. Facile cordatus iudex de-  
prehendere potest: Quid

P R A E F A T I O.

*Quid solidum crepet, et pictae tectoria  
linguae.*

Cur autem existimetur, fauisse partibus *Arianorum*, causae nihil erat, sed inde arrepta est occasio calumniae, quod in Annotationibus ad Nouum Testamentum saepiuscule neget, quidquam ad rem facere nonnullos Scripturae locos, vnde Orthodoxi aeternitatem filii Dei, et eandem cum Patre essentiam comprobari credabant. Quis vero tam hospes est in Patrum libris, vt non subinde animaduerterit manifestam in iis αλογισταν ναι ζηλον αλλ' ό πατερ επιγρωτιν. Omnibus armis praeliabantur aduersus haereticos, etiam plumbeis mucronibus, et, vt olim augur Fabius Maximus dixisse fertur, saluis auspiciis ea geri, quae pro reipublicae salute gererentur, ita boni isti patres credebant, recte et sapienter institui, quidquid pro defensione veritatis tentaretur. Non debuit autem ob acrius et accuratius iudicium atque examen vir optimus venire in tam atrocem suspicionem, a qua satis superque eum liberat explicatio primi capitilis Euangelii secundum Iohannem. Salibus et iis interdum aculeatis abundant nonnulla

P R A E F A T I O.

nonnulla eius opera, in quibus crassos er-  
rores et aniles quasdam superstitiones ora-  
tionis libertate perstringit, vnde orta est  
opinio contemtarum religionum: sed  
norma Christianae charitatis suadere de-  
buit humaniorem interpretationem. Vi-  
detur autem ERASMVS magis habuisse  
quid fugeret, quam quid sequeretur. Vnus  
omnia peruidere non potuit, et rem haud  
**exiguam** praestitit, quod in tantis igno-  
rantiæ tenebris oculos attollere potuerit  
ad inuestigandam lucem veritatis. Meti-  
culosior fuit, et timens offendionum, at-  
que hoc vnicæ in vita studuit, vt omnium  
ordinum et generum benevolentiam col-  
ligeret. Id forsitan impedimento fuit,  
quo minus cornicum oculos configere  
ausus fuerit, et omnia iniquitatis myste-  
ria velo leuato patefacere. Multum ta-  
men, imo infinitum ei debet posteritas,  
et forte non haberent reprehensores eius,  
vnde famam consequi potuissent, nisi ipsis  
dedisset quod reprehenderent. Hactenus  
**DOMINICVS BAVDIUS**, laudatoribus  
eloquentiae et Vindicibus religionis  
ERASMI summo iure adscribendus, cuius  
verba eo lubentius hic repetenda duxi-  
mus,

P R A E F A T I O.

mus, propterea quod simul causam nostram, qua memoriam Viri summi et selectas eius epistolas rursus velut in Famae theatrum producimus, masculine perorat, et de eloquentia et religione eius vere et incorrupte iudicat; quanquam IOANNES ALBERTVS FABRICIVS, non intermoriturae famae Polyhistor, argumentum *de religione Erasmi* singulari exercitatione critica, Hamburgi A. cIɔ Iɔ cc xvii. primo defensa, luculentius excusit, quae auctior in *Sylloge Opusculorum* \* Fabricianorum habetur. Quemadmodum autem ea, quae hactenus diximus, partim ad notitiam epistolarum ERASMI, olim typis excusarum, partim ad auctoris propriorem et interiorem cognitionem aliquid facient: ita non possumus non iisdem aliquot elogia virorum doctorum subiungere, quibus superiore ac nostro saeculo eius epistolas condecorarunt. Primus fit VINCENTIVS FABRICIVS, Consul Gedanensis, qui in epistola secunda A. cIɔ Iɔ c xxxi. scripta p. 241.

Lauda-  
tae sunt  
Erasmi  
Episto-  
lae a  
Vincen-  
tio Fa-  
bricio,

ita

\* Edita est Hamburgi An. cIɔ Iɔ cc XXXVIII.  
4. et habetur a p. 356 - 405.

P R A E F A T I O.

ita de iis iudicauit: „Vnius Erasmi epistolas cum lego , praeter quandam renascientium literarum quasi historiam, in primis legentem tenent, quas circa exortum purioris doctrinae scripsit. Quippe qui medius et neutrius partis nihil gratiae, (quis enim in epistola ad amicum?) nihil det odio. Quid autem in istis sibi placeat, in illis displiceat, generoso candore exponat. In quibus tamen nihil magis, quam singularem viri versutiam, qui hos ita sibi demereri potuit, vt illos non offenderet, mirari sollevo \*., Alter fit DANIEL GEORGIVS MORHOEIVS , qui in Polyhistore suo literario L. I. c. 23. p. 279. nihil iis esse suauius et acutius dixit. Latinitas, ita pergit, in illis non mala, non quidem talis, quam ad imitandum aliquis sibi proponere debeat, (hic enim antiqui Scriptores omne ferunt punctum) sed nativa, extemporalis etc. Et pagina sequenti ita inquit: Erasmi Epistolae propter rei literariae

a Morhofio,

\* Prodierunt FABRICII epistolae cum eius orationibus et poematibus Francofurti et Lipsiae Anno C I D I 9 C LXXXV. 8.

P R A E F A T I O.

rariae multiplicem cognitionem legendae,  
et velut ad locos communes redigendae  
sunt etc. Continentur in iis arcana sta-  
tus ciuilis, ecclesiastici, literarii illorum  
temporum, faceta nonnunquam et iocosa,  
vt ipse fuit ingenio mire festiuo etc. Li-  
tes in Theologorum palaestris tum ven-  
tilatas, et quicquid ad illarum historiam  
pertinet, illic deprehendes. Quanquam  
**E R A S M V S** se medium semper gesserit,  
studium tamen partium non raro depre-  
hendes. Magna fuit eius viri veneratio,  
et merito quidem, ingenium excellens,  
vastum, diffusum, fecundum, acre, prom-  
tum, ad omnia paratum, in decus et  
miraculum saeculi natum. Triumphare  
his ciuibus Batauia potest, **E R A S M O** et  
**G R O T I O**, quibus pares postera saecula  
non facile datura sunt. Tertius deni-  
que fit **G R E G O R I V S M A I A N S I V S**, Cele-  
berrimus Hispanus, qui in praefatione ad  
epistolas suas in hanc sententiam differit:  
*Gerardus Gerardi, notus omnibus no-  
mine Desiderii Erasmi, prae grande scri-  
psit Epistolarum volumen. in quo ex-  
cellentissimum eius ingenium, extem-  
porat*

P R A E F A T I O.

*poralis facundia, incredibilis facilitas  
apparet*.

Atque haec quidem ea fini de Magno ERASMO in medium afferenda, et huic nouae selectiorum eius epistolarum editioni praemittenda esse censui, ut alios ad eius venerationem, ad lectionem operum, et in primis ad lectionem adagiorum et epistolarum eius nostra etiam aetate magis magisque excitarem. Magnopere praedicanda est ecclesia Graeca hodierna, quod magnum ERASMI operibus premium hodieque statuit, et optandum esset, ut alii coetus Christiani idem facerent, summa eius in rem sacram et literariam promerita magni aestimarent, in utilitatem suam conuerteruet, grataque prosequerentur mente. Ego certe magnopere mihi gratulabor, si his virorum doctorum praeclaris de ERASMO iudiciis a me allatis \*\*, lectoribus quibusdam operum

\* Editionis Valentinae p. XIII.

\*\* Vide plura in THOMAE POPEBLOVNT Censura celebriorum auctorum, in IOACHIMI FRIDERICI FELLERI Monumentis ineditis p. 405. et in IOANNIS FABRICII Historia Bibliothecae Fabricianaee P. I. p. 320. et p. 359.

Hinc a nobis etiam diligenter sunt legende.

P R A E F A T I O.

rum vel epistolarum eius nouum calcar  
me addidisse deprehendero, certissime  
persuasus, illis huius consilii ac studii  
poenitentiam nullo vñquam tempore co-  
mitem futuram esse. Laudandum etiam  
est consilium Bibliopolae, quod cepit,  
nouam epistolarum *Erasmi* selectiorum  
editionem in vsum virorum doctorum et  
studiosorum iuuenum euulgandi. Quum  
enim illae antiquiores Collectiones hodie  
sint rariores, grandiores illae, *Londinen-*  
*sis* et *Leidenſis*, pretiosiores, Basileensis  
etiam epistolarum selectiorum editio iam  
dudum diuendita, in tabernis librariis  
per aliquot annos frustra fuerit quaesita:  
is certe haud leuem apud *Erasmiani* no-  
minis amatores gratiam inibit, dum ea-  
rum editionem longe emendatiorem et au-  
ctiorem exhibit. Ego enim docto Cor-  
rectori, *Christiano Friderico Forwerkio*,  
Ienensi, optimam editionem *Leidensem*  
dedi, vt beneficio eius non modo errores  
typographicos, in Basileensi editione fre-  
quenter occurrentes, corrigeret, sed etiam  
integras voces et periochas in illa omissas  
inde restitueret. Factum etiam illud est  
omni studio, ut yere hanc editionem

Quid in  
hac no-  
ua epi-  
stolarum  
selecio-  
rum  
editione  
praesti-  
tum fu-  
erit.

## P R A E F A T I O.

*emendatiorem*, variisque locis *auctiorem* praedicare possim. Adiecit is etiam suafu meo indicem, in quo epistolas, quibus annus est adiectus, secundum illos digessit, vt lectoribus illarum, qui seriem temporum amant, et imaginem ERASMI adolescentis, iuuenis, viri nosse cupiunt, eo commodius illas euoluere liceret. Animus quidem fuit his selectioribus epistolis nonnullas ERASMI et amicorum eius epistolas manu exaratas et nondum publicatas, nonnullas in editione etiam *Leidensi* neglectas, et quasdam post illam hinc inde in Belgio, Heluetia et Germania impressas, appendicis loco adiungere. Et ineditarum quidem ad manus mihi sunt duodecim, ex tabulario quodam maximam partem descriptae, rerum memorabilium plenae; harum autem octo, quibus etiam emendationes a Viro Clarissimo, HVGONE AB HEVSEN, in quinque Epistolis ERASMI editionis Leidensis institutae \*, sunt adiicienda. At mutauit deinde consilium, retro malo illas alio tempore Sylloge quadam complecti,

\* V. eius Historiam Episcopatum foederati Belgii P. IV. in appendice.

P R A E F A T I O.

praecipue quum sperare liceat, fore, vt alias *Erasmi* ineditas epistolas adhuc impetrare queam. Auctor enim est M O R H O F I V S supra laudatus\*, *Marquardum Gudium* quinquaginta ERASMI Epistolas inter MSSta sua seruasse. Me quidem non latet, PETRVM BVRMANNVM tres earum in Collectione epistolarum Gudii et Claudii Sarrauii publicasse, ab Hermanno de Viuien secum communicatas, in Leidenfi Erasmianarum epistolarum editione repetitas, sed illud ignorare me fateor, vbi ERASMI epistolae a Gudio olim possessae delitescant. Rem igitur viri erudit, harum rerum amatores, mihi facient gratissimam, si Bibliothecas vel publicas vel priuatas haud grauatum mihi indicare velint, vbi hae vel aliae eius epistolæ habeantur, quo illarum exempla mihi expetere, iisdemque Syllogen meam adaugere liceat. Si vero nihil earum impetravero, nec hoc spicilegium meum ha-

c 3 rum

\* In libro de ratione conscribendarum epistolarum ex editione IO. BVRCHARDI MAII p. 25.

P R A E F A T I O.

rum deliciarum amatoribus plane displi-  
cebit, aliis virorum summorum epistolis  
*avendōtōis*, quae praesto sunt, forte locu-  
pleteandum. Tu vero, LECTOR BE-  
NEVOLE, *Erasmiana*, si sapere velis,  
ama, et hac promulside inuitatus, in aliis  
eius epistolis et operibus apparatius et hi-  
larius coena. Scribebam Lipsiae,  
d. xxi. Sept. A. R. S.

cI cI cc li.



INDEX



# INDEX EPISTOLARVM

P R I O R

QVI EST

## CHRONOLOGICVS.

1490	A rnoldo	Pag. 174
1496	A Christiano	129
	Montjoio ( <i>Gulielm.</i> )	130
1497	Falconi ( <i>Joanni</i> )	124
	Batto ( <i>Jacobo</i> )	138
	Witfordo ( <i>Richardo</i> )	125
	Piscatori ( <i>Roberto</i> )	159
	Gulielmo Goudano	130
	Joanni Bruxellenſi	137
	Lubecensi <i>cuidam</i>	127
	Aurotino ( <i>Cornelio</i> ) <i>Canonico</i>	126
	Christiano	166
	Greio ( <i>Thom.</i> )	265
	Batto <i>suo</i>	169
	Evangelistæ	264
1498	Nicolao <i>a Burgundia</i>	173
	Lutzenburgo ( <i>Ant.</i> )	267
	Batto <i>suo</i>	269
	Bergis ( <i>Henr. à</i> ) <i>Episc. Camerac.</i>	261
	Christiano	262
	Jacobo, <i>Tutori suo</i>	175
	Batto ( <i>Jacobo</i> )	151

## INDEX I.

1498	Piscatori ( <i>Rob.</i> )	264
	Caminado ( <i>Augustino</i> )	150
	Benserado ( <i>Nicol.</i> )	271
	Coleto ( <i>Joanni</i> )	161
	Montjoio ( <i>Guiliel.</i> )	164
	<i>ad eundem</i>	256
	Sixtino ( <i>Joanni</i> )	154
	Gaguino	263
	Gaguinus <i>Erasmo</i>	263
	Greio ( <i>Thom.</i> )	265
	Amico <i>cuidam</i>	145
1499	Batto	255
	<i>ad eundem</i>	273
	<i>ad eundem</i>	274
	Joanni, <i>Canonico Bruxellano</i>	272
	Lutzenburgo ( <i>Ant.</i> )	268
	Benserado <i>suo</i>	270
	Moro <i>suo</i>	187
	Montjoio ( <i>Guil.</i> )	187
	Andrelino ( <i>Fausto</i> )	169
	Fausto <i>suo</i>	176
	Caminado ( <i>Augustino</i> )	149
	Nicasio <i>suo</i>	137
	Christiano <i>Lubecensi</i>	276
	Guilielmo <i>Goudano sodali</i>	140
	Gaguino ( <i>Roberto</i> )	144
	<i>ad eundem</i>	172
	Ludovico <i>suo</i>	254
	Notho ( <i>Petr.</i> )	254
1500	Adriano <i>in Christo Amicissimo</i>	259
	1500 Ed-	

## INDEX I.

1500	Edmundo <i>Sacerdoti optimo</i>	258
	Edmundo, <i>ut Fratri, dilecto</i>	260
	Olaho ( <i>Nicol.</i> )	582
1503	Ægidio ( <i>Petro</i> )	145
1506	Coleto ( <i>Jo.</i> )	292
	Linacro ( <i>Thom.</i> )	281
1507	Wentfordo ( <i>Roger.</i> ) <i>suo</i>	251
	Coleto ( <i>Joanni</i> )	185
1510	Halseyo ( <i>Thom.</i> )	285
	Ammonio ( <i>Andr.</i> )	237
	Moro ( <i>Thomæ</i> )	213
1511	Ammonio <i>suo</i>	240
	<i>ad eundem</i>	242
	<i>ad eundem</i>	234
	Coleto <i>suo</i>	284
	Ammonio ( <i>Andr.</i> ) <i>suo</i>	241
	Gonello <i>suo</i>	217
	Ammonio	235
	Coleto <i>suo</i>	284
	Ammonio	236
	<i>ad eundem</i>	238
	<i>ad eundem</i>	242
	<i>ad eundem</i>	239
1512	Cardinali Nanetenſi	291
	Egnatio ( <i>Jo. Bapt.</i> )	286
	Ammonio ( <i>Andr.</i> ) <i>suo</i>	238
	Adolpho, <i>Principi Veriano</i>	289
1513	Ammonio <i>suo</i>	243
	<i>ad eundem</i>	244

I N D E X I.

1514	Noviomago ( <i>Gerard.</i> )	295
	Ægidio ( <i>Petr.</i> )	287
	ad eundem	224
	ad eundem	230
	Linacro ( <i>Thom.</i> )	283
	Ammonio ( <i>Andr.</i> )	237
	Zasio ( <i>Ulrico</i> )	308
	ad eundem	308
	Wentfordo ( <i>Roger.</i> )	308
	Servatio <i>rever. Patri</i>	252
	Caraffe ( <i>Petro</i> ) <i>Episcopo Theatino</i>	625 211
1515	Moro ( <i>Thom.</i> )	290
	Grymano ( <i>Dominico</i> ) <i>Cardinali</i>	51
	Raphaeli, <i>Cardinali S. Georgii</i>	61
	Ammonio ( <i>Andr.</i> )	250
	Leoni X. <i>Pontifici Max.</i>	35
	Gonello ( <i>Guiliel.</i> )	205
	Sylvagio ( <i>Joanni</i> )	210
	Leoni X. <i>Pontif. Max.</i>	68
	Kirhero ( <i>Joanni</i> )	233
	Thomæ, <i>Cardin. Eboracensi</i>	213
	Waramo ( <i>Gulielmo</i> ) <i>Archiepisc. Cantu-</i> <i>ariensis</i>	322
	Gonello <i>suo</i>	204
	ad eundem	206
	ad eundem	228
	Theologo <i>cuidam</i>	181
1516	Bero ( <i>Ludov.</i> )	28
	Watsono ( <i>Joh.</i> ) <i>insigni Theologo</i>	21
	Grejo ( <i>Thom.</i> ) & Viterio ( <i>Petr.</i> )	20
	1516 De-	

## INDEX I.

1516	Delino (D. Francisco)	10
	Budæo (Guliel.)	12
	Francisco, Galliarum Regi	17
	Copo (Guliel.)	16
	Canoffæ (Ludov.) Episcopo Bajocensi	19
	Rhegio (Urbano)	72
	Ægidio (Petro)	217
	Bartholino (Ricardo)	32
	Ammonio suo	248
	Rhegio (Urbano)	377
	Thomæ, Episc. Dunelmensi	209
	Thomæ, Card. & Archiep. Eborac.	246
	Moro (Thomæ)	211
	Ægidio (Petro)	77
	ad eundem	228
	Leoni X.	25
	Sylvestro, Episcopo Wigorniensi	27
	Sapido (Joanni) Liberal. Artium Doctori	30
	Ammonio (Andr.) suo	249
1517	Berselio (Paschacio)	103
	Poncherio (Steph.) Episc. Paris.	2
	Moro (Thomæ)	214
	Fabro (Jac.) Stapulensi	82
	Ægidio (Petro)	84
	Pacæo (Richardo)	88
	Gonello suo	87
	Bovillo (Henr.)	89
	Batto (Cornelio)	219
	Clavæ (Antonio)	219
	Laurino (Marco)	220
	Coletto (Joanni) Decano S. Pauli	116
	1517 Ri-	

## INDEX I.

1517	Rimaclo <i>suo</i>	209
	Latamero ( <i>Guil.</i> )	312
	Urfewico <i>suo</i>	247
	Budæo <i>suo</i>	8
	Paliuro ( <i>Lucæ</i> )	93
	Stromerio ( <i>Henr.</i> ) <i>Aurbachio Medico</i>	96
	Richardo <i>suo</i>	94
	Noviomago ( <i>Gerard.</i> )	309
	Fevino ( <i>Jo.</i> )	323
	Lystrio ( <i>Gerard.</i> )	324
	Noviomago ( <i>Gerardo</i> )	97
	Budæo <i>suo</i>	III
	Bergis ( <i>Ant. à</i> )	293
	Ammonio <i>suo</i>	253
	Christophoro, <i>Præfuli Basiliensi</i>	94
	Ægidio ( <i>Petro</i> )	222
	Zafio <i>suo</i>	III
	Hoochstrato ( <i>Andr.</i> )	309
	Noviomago ( <i>Gerardo</i> )	102
1518	Erardo, <i>Episcopo ac Principi Leodiensi</i>	106
	Philippo a Burgundia, <i>Episc. Eccl. Tra- ject.</i>	108
	Nefeno ( <i>Guil.</i> )	297
	Ægidio ( <i>Petro</i> )	225
	Glareano ( <i>Henrico</i> )	91
	Buschio ( <i>Herm.</i> )	117
	Henrico VIII. <i>Anglorum Regi</i>	90
	Grimano ( <i>Dominico</i> ) <i>Card. Tit. S. Marci</i>	85
	Lascari ( <i>Joanni</i> ) <i>Constantinopolitano</i>	86
	Parcio ( <i>Thom.</i> )	231
	Bombasio ( <i>Paul.</i> )	74
		1518

I N D E X I.

1518	Hueo ( <i>Guil.</i> )	305
	Zafio ( <i>Udalrico</i> )	98
	Oswaldo	98
	Amorbachio ( <i>Bonifacio</i> )	370
	Buslidio ( <i>Egid.</i> )	101
	Eschenveldio ( <i>Christoph.</i> ) <i>teloneæ Popar-</i> <i>dienſi</i>	120
	Werterio ( <i>Joanni</i> )	117
	Gerbelio ( <i>Nic.</i> ) <i>Juris Pontificii Doctori</i>	119
	Ægidio ( <i>Petro</i> )	215
	<i>ad eundem</i>	225
	Cuidam	337
	Bombasio ( <i>Paul.</i> )	299
	Sampsoni ( <i>Richard.</i> ) <i>J. U. D.</i>	81
	Zafio <i>suo</i>	110
	Velio ( <i>Casp.</i> )	202
	Banifio <i>suo</i>	203
	Ægidio ( <i>Petro</i> )	218
	Oecolampadio ( <i>Joanni</i> )	232
	Buslidio ( <i>Egid.</i> )	296
	Ægidio ( <i>Petro</i> )	223
	Barlando ( <i>Adriano</i> )	317
	Lypcio ( <i>Mart.</i> ) <i>Bruxellano</i>	343
	Glareano ( <i>Henrico</i> )	366
	Lypcio ( <i>Mart.</i> )	374
1519	Noetio ( <i>Fodoco</i> )	342
	Marca ( <i>Ant. à</i> ) <i>Abb. Belliloc.</i>	368
	Marca ( <i>Erard. a</i> ) <i>Episc. Leod.</i>	279
	Carino ( <i>Lud.</i> )	307
	Vivi ( <i>Ludov.</i> )	281
	Budæo <i>suo</i>	112
		1519

## INDEX I.

1519	Lypfio ( <i>Mart.</i> ) Bruxellensi	372
	Longolio ( <i>Christoph.</i> )	113
	Cordo ( <i>Euricio</i> )	179
	Jacobo Hornensi	181
	Draconi ( <i>Joanni</i> )	178
	Croyo ( <i>Guilielm.</i> )	182
	Hutteno	188
	Alberto, <i>Card.</i> & Archiep. Magunt.	191
	Bergis ( <i>de Anton.</i> )	193
	Thomæ, Episcopo Dunelmensi	197
	Richardo, Episcopo Wintoniensis	196
	Friderico, Duci Saxonie	183
	Schalbo ( <i>Gaspari</i> )	184
	Eobano Hesso	197
	Papinio ( <i>Anton.</i> )	301
	Ægidius ( <i>Petrus</i> ) Erasmo Roterod.	220
	Banisio suo	194
	Claymondo ( <i>Joanni</i> ) insigni Theolo-	
	go	121
	Collegio Canonicorum Metensem	279
	Joanni, Episcopo Roffensi	315
	Zutpenio ( <i>Petr.</i> )	303
	Haco ( <i>Chph.</i> )	302
	Conrado & Laurentio Abbat.	356
	Iselstein ( <i>Florentio ab.</i> )	317
	Grymano, <i>Card.</i>	322
	Budæo suo	332
	Beraldo ( <i>Nic.</i> )	333
	Pacæo ( <i>Richard.</i> )	326
	Montjoio ( <i>Guil.</i> )	329
	Dancastro ( <i>Guil.</i> )	328
		1519

## INDEX I.

1519	Lupfeto ( <i>Thom.</i> )	327
	Thomæ, <i>Card. Eborac.</i>	330
	Guilfordo ( <i>Henr.</i> )	325
	Robino ( <i>Fo.</i> )	340
	Nicolao, <i>Præposito Edano</i>	336
	Montjoio ( <i>Guil.</i> )	198
	Noviomago ( <i>Gerard.</i> )	200
	Marliano ( <i>Aloys.</i> ) <i>Episc. Tudensi</i>	333
	Moro ( <i>Tho.</i> )	345
	Lypcio ( <i>Mart.</i> ) <i>Bruxellensi</i>	373
	<i>ad eundem</i>	374
	<i>ad eundem</i>	374
	<i>ad eundem</i>	375
	Vivi ( <i>Lodov.</i> )	516
1520	Gruingio ( <i>Henr.</i> )	355
	Sylvestro, <i>Episcopo Wigornensi</i>	318
	Campegio ( <i>Laurentio</i> )	319
	Chiregatto ( <i>Francisc.</i> )	320
	Richardo, <i>Episc. Wintoniensis</i>	313
	Alberto, <i>Card. Mogunt.</i>	335
	Matthiæ, <i>Saxon. Duci s a Decimis</i>	334
	Lupfeto ( <i>Tho.</i> )	351
	Turzoni ( <i>Fo.</i> ) <i>Episc. Uratisl.</i>	361
	Vilingero ( <i>Jac.</i> )	344
	Marca ( <i>Erardo à</i> <i>Præsuli ac Principi Leodiensi</i>	320
	Alberto, <i>Card. Mogunt.</i>	347
	Ofhusio ( <i>D. Gabr.</i> ) <i>Carthusiensis</i>	1
	Reuchlino ( <i>Fo.</i> )	311
	Sbrulio ( <i>Richardo</i> )	338
	Cnophæ ( <i>Andr.</i> )	358
		1520

## INDEX I.

1520	Bedello ( <i>Tho.</i> )	365
	Ritio ( <i>Paulo</i> )	345
	Pacæo ( <i>Richard.</i> )	346
	Rhodostegrio ( <i>Gothofr.</i> )	348
	Leontio <i>suo</i>	364
	Scarpinello ( <i>Augustin.</i> ) <i>Neapolitano</i>	369
1521	Bartholino ( <i>Laur.</i> )	420
	Cattinarius ( <i>Mercurinus</i> ) <i>Erasmo</i>	615
	Pacæo ( <i>Rich.</i> )	357
	Livino <i>Abbatii</i>	416
	Harst ( <i>Carol.</i> )	418
	Taleo ( <i>Gulielm.</i> )	419
	Frobenio ( <i>Hieron.</i> )	419
	Pacæo ( <i>Rich.</i> )	353
	Linacro ( <i>Tho.</i> )	350
	Schudelino ( <i>Jo.</i> )	352
	Alciato ( <i>Andr.</i> )	512
	Hajoni ( <i>Hermann.</i> ) <i>Frisia</i>	367
1522	Wattenvilo ( <i>Nic.</i> )	514
	Ennio, <i>Episcopo Verulano</i>	515
	Adriano VI. <i>Papæ</i>	550
	Heresbachio ( <i>Conrado</i> )	467
	Francisco, <i>Archiep. Eborodunensi</i>	451
	Sucqueto ( <i>Jo.</i> )	552
1523	Christophoro, <i>Episc. Basil.</i>	513
1524	Christophoro <i>Episc. Basil.</i>	380
	Scarpinello ( <i>Augustin.</i> )	382
	Molino ( <i>Franc.</i> )	469
	Thomæ, <i>Cardin. Eboracensi</i>	386
	Tonstallo ( <i>Cutbert.</i> ) <i>Ep. Lond.</i>	384
	Pacæo <i>suo</i>	229
		1524

## INDEX I.

1524	Bero ( <i>Rich.</i> ) <i>Abb. Glasc.</i>	383
	Tonefio <i>Consiliario Cardin. Eboracensis</i>	381
	Henrico VIII, <i>Regi Angliae</i>	385
	Sadoletus ( <i>Jac.</i> ) <i>Erasmo</i>	462
	<i>Idem ad eundem</i>	612
	Wimphelingio ( <i>Jac.</i> )	381
	Camerario ( <i>Joach.</i> )	387
	Molino ( <i>Franc.</i> )	470
	Voltzio ( <i>Paul.</i> ) <i>Abbatis</i>	511
	Eustachio ( <i>Andreae</i> )	379
	Grueriis ( <i>Leonard. a.</i> )	412
	Truchses ( <i>Christoph.</i> )	453
1525	Nauseæ ( <i>Frid.</i> )	471
	Cornelio, <i>Bergensi Questori</i>	457
	Georgio, <i>Duci Saxonie</i>	464
	Hunno ( <i>Martin.</i> )	463
	Felici, <i>Episc. Theatino</i>	466
	Puccio ( <i>Ant.</i> ) <i>Episc. Pistoriensis</i>	411
	Barlando ( <i>Hadr.</i> )	448
	Berquino ( <i>Lodov.</i> )	449
	Antonino ( <i>Jo.</i> ) <i>Medico</i>	472
	Calvo ( <i>Franc.</i> )	473
	Barbirio ( <i>Petro</i> )	473
	Vergilio ( <i>Polydoro</i> )	474
	Budæo ( <i>Guil.</i> )	476
	Egnatio ( <i>Baptist.</i> )	402
	Lasco ( <i>Hierostao à</i> )	403
	Polo ( <i>Reginaldo</i> )	405
	Critio ( <i>Andr.</i> )	406
	Nauseæ ( <i>Frider.</i> )	409
	Bombafio ( <i>Paul.</i> )	408
	Apocello ( <i>Jac.</i> )	408
	Benedicto ( <i>Dan.</i> )	450
		1525

## INDEX I.

1525	Aldrisio ( <i>Rob.</i> )	521
	Laurino ( <i>Matthiae</i> )	415
	Brunsfeldio ( <i>Othoni</i> )	455
1526	Nauseæ ( <i>Frid.</i> )	409
	Budæo ( <i>Guil.</i> )	535
	Bernardo, <i>Episcop. Trident.</i>	529
	Barlando ( <i>Hadr.</i> )	520
	Ægidio ( <i>Petr.</i> )	518
	Cuidam	520
	Casimbroto ( <i>Leonardo</i> )	525
	Bertulpho ( <i>Hilar.</i> )	410
	Tussano ( <i>Jac.</i> )	522
	Molino ( <i>Franc.</i> )	532
	Georgio, <i>Duci Saxonie</i>	401
	Copo ( <i>Guil.</i> )	458
	Ægidio ( <i>Petro</i> )	541
	Afulano ( <i>Francisco</i> )	542
	Carondileto ( <i>Ferico</i> )	540
	Schydlovietz ( <i>Christoph. à</i> )	544
	Lasco ( <i>Hieroslao à</i> )	544
	Pisoni ( <i>Jacob.</i> )	545
	Bernardo, <i>Episc. Trident.</i>	392
	Fettichio ( <i>Theobaldo</i> )	389
1527	Mornyeo ( <i>Petr.</i> )	524
	Vergilio ( <i>Polydoro</i> )	537
	Aldrisio ( <i>Rob.</i> )	539
	Schydlovietz ( <i>Christoph. à</i> )	392
	Critio ( <i>Andr.</i> ) <i>Episc. Plocensi</i>	394
	Francisco Hasseltensi	399
	Zebridovio ( <i>Andr.</i> )	398
	Medico <i>cuidam</i>	413
	Fossa ( <i>Tielmann à</i> )	394
	Vivi ( <i>Ludov.</i> )	422
		1527

1527	Caduceatori ( <i>Henr.</i> )	421
	Ferdinando <i>Regi</i>	547
	Margaretæ, <i>Reginæ Navarre</i>	459
	Maximil. à <i>Burgundia</i>	437
	Borsalo ( <i>Joanni</i> )	400
	Waramo ( <i>Guil.</i> )	414
	Cochleio ( <i>Joanni</i> )	432
	Fossa ( <i>Tielmann à</i> )	376
	Bibliopeco ( <i>Joanni</i> )	461
	Schydlovietz ( <i>Christoph. à</i> )	443
	Tomitio ( <i>Petro</i> )	445
	Botteo ( <i>Henr.</i> )	447
	Antonino ( <i>Jo.</i> ) <i>Medico</i>	396
	Lasco ( <i>Joanni à</i> )	441
1528	Nova Aquila ( <i>Herm. Com. à</i> )	435
	Maximiliano à <i>Burgundia</i>	439
	Georgio, <i>Duci Saxoniæ</i>	391
	Pacæo ( <i>Rich.</i> )	440
	Bembo ( <i>Petr.</i> )	504
	Cuidam	436
	Moro ( <i>Tho.</i> )	446
	Bayfio ( <i>Lazaro</i> )	433
	Talefio ( <i>Quirino</i> )	548
	Vario Marvillano ( <i>Nic.</i> )	434
	Manrico ( <i>Alphonso</i> )	429
	Decimario ( <i>Petro</i> )	431
	Henrico, <i>Angliæ Regi</i>	486
	Joanni, <i>Cardinali Lotharingia</i>	479
	Gattinario ( <i>Mercurino</i> )	477
	Decio ( <i>Justo</i> )	495
	Agathio ( <i>Hieron.</i> )	497
	Toffano ( <i>Petro</i> )	501
	d 2	
		1528

1528	Danesio	491
	Decimario ( <i>Petro</i> )	496
	Alciato ( <i>Andr.</i> )	498
	Brixio ( <i>Germano</i> )	490
	Vesuvio ( <i>Nicol.</i> )	499
	Stadio ( <i>Christoph. à</i> )	502
	Joanni, <i>Archiepisc. Panormit.</i>	488
	Zebridovio ( <i>Andr.</i> )	505
	Budæo ( <i>Guilel.</i> )	478
	Bernardo, <i>Episcopo Tridentino</i>	482
	Petro, <i>Episcopo Cracoviensi</i>	483
	Nova Aquila ( <i>Herm. à</i> )	484
	Davidi ( <i>Mart.</i> )	525
1529	Mornyeo ( <i>Petr.</i> ) <i>Abb.</i>	481
	Salamancae ( <i>Anton.</i> )	506
	Egnatio ( <i>Bapt.</i> )	494
	Bernardo, <i>Episc. Trident.</i>	508
	Hajoni ( <i>Hermann.</i> ) <i>Phryssio</i>	503
	Grapheo ( <i>Corn.</i> )	509
	Lotzero ( <i>Joanni</i> )	533
	Pistorio ( <i>Sim.</i> )	423
	Balthasari, <i>Episc. Hildesheimensi</i>	424
	Valdefio ( <i>Joanni</i> )	425
	Grueriis ( <i>Leonardo à</i> )	426
	Javando ( <i>Claudio</i> )	492
	Francisco, <i>Thefaurario</i>	493
	Fuggero ( <i>Ant.</i> )	427
	Bero ( <i>Ludovico</i> )	554
	Ricio ( <i>Hieron.</i> )	526
	Joanni, <i>Brisgoico</i>	534
	Æmilio ab Æmiliis	558
	Maximiliano à Burgundia	562

## INDEX I.

1529	Cornario ( <i>Jano</i> )	561
	Frobenio ( <i>Jo. Erasmio</i> )	605
	Henkello ( <i>Jo.</i> )	606
	Francisco, <i>Theſaurario</i>	594
	Alciato ( <i>Andr.</i> )	527
1530	Rofino ( <i>Jo.</i> )	602
	Manrico ( <i>Alphonſo</i> )	579
	Dingen ( <i>Conr. à</i> )	610
	Stibaro ( <i>Danieli</i> )	590
	Pistorio ( <i>Simoni</i> )	581
	Vlatteno ( <i>Joanni</i> )	582
	Bonfio ( <i>Lucæ</i> )	583
	Dilfo ( <i>Francisco</i> )	584
	Valdefio ( <i>Alphonſo</i> )	585
	Montjoio ( <i>Carol.</i> )	591
	Schydlovietz ( <i>Christophoro à</i> )	598
	Quinono ( <i>Guil.</i> )	599
	Grueriis ( <i>Leonard. à</i> )	585
1531	Vergaræ ( <i>Franc.</i> )	608
	Boëriis ( <i>Joanni &amp; Bernardo</i> )	609
	Castellano ( <i>Petro</i> )	595
	Quintino <i>suo</i>	597
	Georgio, <i>Saxoniae Ducē</i>	588
	Vlatteno ( <i>Jo.</i> )	602
	Eobano, <i>Hefſo</i>	603
	Commerſadio ( <i>Georg.</i> )	600
	Senatui <i>Befontino</i>	617
	Agricolæ ( <i>Georg.</i> )	566
	Rinckio ( <i>Jo.</i> )	574
	Bernardo, <i>Episc. &amp; Card. Trident.</i>	577
	Rivenſi <i>Episcopo</i>	576
	Kretzero ( <i>Matthia</i> )	587
1532	Pauntgartnerò ( <i>Joanni</i> )	568

I N D E X I.

1532	Pauntgartnero ( <i>Joanni</i> )	572
	Sasboutho ( <i>Jodoco</i> )	564
	Isenburg ( <i>Gulielmo ab</i> )	571
	Pflug ( <i>Julij</i> )	611
	Clebergero ( <i>Jo.</i> )	622
	Cantæ ( <i>Jacobo</i> )	570
1533	Senatui <i>Besontino</i>	616
	Leigniero ( <i>Sim.</i> )	620
	Ludovico, <i>Abbatii</i>	619
1535	Bembus ( <i>Petr.</i> ) <i>Erasmo</i>	614
	Bero ( <i>Ludov.</i> )	621

E P I S T O L Æ

A B S Q V E A N N O A D S C R I P T O,

	Clavæ ( <i>Anton.</i> ) <i>Consiliario</i>	23
	Cuidam	146
	Cuidam	146
	Cuidam	147
	Boschio ( <i>Arnoldo</i> )	166
	Faustus <i>Erasmo suo</i>	171
	Erasinus <i>Fausto suo</i>	171
	Faustus <i>Erasmo</i>	171
	Erasinus <i>Fausto suo</i>	171
	Faustus <i>Erasmo suo</i>	171
	Ludolpho <i>suo</i>	172
	Dorpio <i>suo</i>	208
	Ægidio ( <i>Petro</i> ) <i>ad eundem</i>	226 227
	Dingen ( <i>Conr. à</i> ) <i>Præsuli Wirtzenburg.</i>	314
	Theologo <i>cuidam</i>	341
	Henricus VIII. <i>Angliae Rex</i> , <i>Erasmo</i>	556
	Grunnius ( <i>Lambertus</i> ) <i>Erasmo</i>	560

INDEX

\*\*\*\*\* INDEX POSTERIOR,

seu eorum, ad quos Erasmus Epistolas has  
dedit, & qui vicissim alias ad  
ipsum dedere.

<b>A</b> bbati Belliloci Antonio a Marca	Pag. 368
Bertinico Antonio de Bergis	193. 293
Gemblacensi Antonio Papinio	301
Laurentio Bartholino	420
Monasterii S. Bavonis Gandavi Livino	416
Montis S. Mariæ & Charitatis Ludovico	619
Glasconiensi Richardo Bero	383
S. Sulpitii Petro Mornyeo	481. 524
Paulo Volzio	511
Abbatibus Monasteriorum Schuterani & Etho-	
nis	356
Adriano	259
Ægidio Petro	77. 84. 145. 215. 217. 218. 222. 223 - 228. 230. 287. 518. 541
Ægidius Erasmo	220
Æmilio ab Æmiliis Brixiano	558
Agathio Hieronymo	497
Agricolæ Georgio	566
Alciato Andreæ LL. Doctori	498. 512. 527
Aldrisio Roberto Anglo	521. 539
Amerbachio Bonifacio	370
Ammonio Andreæ	234 - 244. 248 - 250. 253
Andrelino Fausto	169. 171
Andrelinus Erasmo	171
Anonymis	145 - 148. 181. 341. 436. 520
Antonino Medico	396. 472

## INDEX II.

Apocello Jacobo Helvet.	408
Archiepiscopo Cantuariensi Guiliel.	321. 414
Ebrodunensi Francisco	451
Hispalensi Alphonso Manrico	429. 579
Panormitano Johanni	488
Archiepisc. Besont. Offic. Leonardo	412. 585
Arnoldo	174
Afusano Francisco	542
Augustino Suo	149. 150
<b>B</b> anisio Jacobo	194. 203
Baptistæ Johanni	286
Barbirio Petro	473
Barlando Adriano	317. 448. 520
Bartholino Richardo	32
Batto Jacobo	138. 151. 169. 255. 269
Cornelio	219. 273. 274
Bayfio Lazaro	433
Bedello Thomæ	365
Bembo Petro	504
Bembus Erasmo	614
Benserado	270. 271
Beraldo Nicolao	333
de Bergis Antonio	193
Bero Ludovico	28. 554. 621
Benedicto Danieli Mediolanensi	450
Bergensi Cornelio	457
Bertulpho Hilario	410
Berquino Lodovico	449
Besontino Senatui	616. 617
Biblio pego Joh. Dano	461
Bibliopolæ Romano Francisco Calvo	473
Boëriis Joanni & Bernardo	609
	Boim-

## INDEX II.

Bombasio Paulo	74. 299. 408
Bonfio Lucae	583
Borsalo Decano Zandenburghensi	400
Boschio Arnoldo	166. 174
Botteo Henrico Officiali Burgenfi	447
Bovillo Henrico	89
Brisgoico Johanni Theol. Professori	534
Brixio Germano	490
Brunsfeldio Ottoni	455
Bruxellensi Johanni	137. 272
Bruxellano Martino	343. 372-376
Budæo Guilielmo	8. 12. III. II2. 332. 476. 478. 535
a Burgundia Maximiliano	437. 439. 562
Buschio Hermanno	117
Buslidio Ægidio	101. 296
Caduceatori Henrico a Staffenburgio	421
Camerario Joachimo	387
Canonico Cornelio	126
Johanni Fevino	323
Canonicorum Metensium Collegio	279
Cantæ Jacobo	570
Card. Alberto Archiepisc. Mogunt.	191. 335. 347
de Croy Archiepisc. Toletano	182
Eborac. Thomæ	213. 246. 330. 386
S. Georgii Raphaeli	61
Grymano Dominico	51. 85. 322
Laurentio Campegio	319
Lotharingiæ Johanni	479
Nanetenſi	291
Carino Ludovicus	307
Carondileto Ferico	540
Casimbroto Leonhardo	525
d 5	Castel-

I N D E X . II.

- |  |                    |
|--|--------------------|
| Castellano Petro                         | 595                |
| Christiano                               | 129. 166. 262      |
| Chiragatto Francisco Protogr. Apostolico | 320                |
| Clavæ Antonio Consiliario                | 23. 219            |
| Claymundo Johanni Insigni Theologo       | 121                |
| Clebergero Joanni                        | 622                |
| Cnophæ Andreæ Sacerdoti                  | 358                |
| Cochleio Joanni                          | 432                |
| Coleto Joanni, Decano S. Pauli           | 116. 161. 185.     |
| Commerstadio Georgio                     | 284. 292           |
| Copo Gulielmo Medico                     | 600                |
| Cordo Euricio Ludimagistro               | 16. 458            |
| Cornario Jano Zuiccavieni Medico         | 179. 561           |
| <b>D</b> anesio                          | 491                |
| Davidi Martino                           | 525                |
| Decimario Petro                          | 431. 496           |
| Deloino Francisco                        | 10                 |
| Dilfo Francisco                          | 585                |
| Doncastro Guielmo                        | 328                |
| Dorpio                                   | 208                |
| Draconi Joanni                           | 178                |
| Duci Saxoniæ Friderico                   | 183                |
| Georgio                                  | 391. 401. 464. 588 |
| <b>E</b> dmundo Sacerdoti                | 258. 260           |
| Egnatio Baptistæ                         | 402. 494           |
| Eobano Hesso                             | 197. 603           |
| Episcopo August. Christophoro a Stadio   | 502                |
| Basilensi Christophoro                   | 94. 380. 513       |
| Cameracensi Henrico a Bergis             | 261                |
| Bajocensi Lodovico Canossæ               | 19                 |
| Epi-                                     |                    |

## INDEX II.

- Episcopo Cracoviensi Petro Tomitio 445. 483  
 Dunelmensi Thomæ 197. 209  
 Gurcensi 506  
 Condoniensi Francisco Molino. 469. 470  
 Heripolensi Conrado 610  
 Hildeshemensi Balthasari 424  
 Leodiensi Erardo 106. 279. 320  
 Londinensti Cutberto Tonstallo 384  
 Parisiensi Stephano Poncherio 2  
 Pistoriensi Antonio Puccio 411  
 Plocensi Andreæ Critio 394. 406  
 Rivensti 576  
 Roffensi 315  
 Theatino Petro Caraffæ Nuntio Apost.  
     apud Anglos 211. 466  
 Trajectensi Phil. a Burgundia 108  
 Trident. Bernardo 392. 482. 508. 529. 577  
 Tudensti Aloysio Marliano 333  
 Verulano Ennio 515  
 Uratslaviensi Joh. Turzoni 361  
 Wigorniensi Sylvestro 27. 318  
 Wintoniensi Richardo 196. 313  
 Wirzenburgensi Conrado 314  
 Episcopus Carpentoractensis Jacobus Sadoletus  
     Erasmo 462. 612  
 Eschenveldio Christophoro 120  
 Evangelistæ 264  
 Eustachio Andreæ Monacho Cluniacensi 379  
**F**abro Stapulensi 82  
     Falconi Joanni 124  
 Fausto Poëta Regio 176  
 Fettichio Theobaldo 389  
     a Fossa

## INDEX II.

a Fossa Tielmanno	376.	394				
Frobenio Erasmo		605				
Frobenio Hieronymo		419				
Fuggero Antonio		427				
<b>G</b> aguino Roberto	144.	172.	263			
Gaguinus Erasmo			263			
Gattinario Mercurino Cæsaris Canicellario		477				
Gattinarius Erasmo		615				
Gaudano Gulielmo		130				
Gerbellio Nicolao Juris Pontificii Doctori		119				
Glareano Henrico		91.	366			
Gonello	87.	204.	205.	206.	217.	228
Grapheo Cornelio						509
Grejo Thomæ & Petro Viterio						20
Grejo Thomæ						265
Gruingio Henrico Decano Embricensi						355
Grunnius Lambertus Erasmo						560
Guilefordo Henrico Rei Equestris Præfector						
Regio						325
<b>H</b> aco Christophoro						302
Hajoni Hermanno Phrylio						503
Halsejo Thomæ						285
Harst Carolo						418
Haseltenfi Francisco Franciscano						399
Henkello Joanni						606
Heresbachio Conrado						467
Hoochstrato Andreæ						309
Hornenfi Jacobo						181
Hueo Gulielmo, Parif. Eccl. Decano						305
Hunno Martino Medico						463
Hutteno						188
<b>J</b> avando Claudio						492
					ab	

## INDEX II.

ab Iselstein Florentio	317
ab Isenburgo Comiti Gulielmo	571
Justo Regis Poloniæ Secretario	495
<b>K</b> irhero Joanni	233
Kretzero Matthiæ	587
<b>L</b> ascari Joanni Constantinop.	86. 446
<b>L</b> a Lasco Hieroslao Poloniæ Baroni	403. 544
Latamero Gulielmo	312
Laurino Marco Canonico	220
Laurino Matthiæ D. de Watervliet	415
Leigniero Simoni	620
Leontio	364
Linacro Th.	281. 283. 350
Longolio Christophoro	113
Lotzero Joanni Medico	533
Lubecensi Cuidam	127. 276
Ludolpho	172
Ludovico suo	254
Lupseto Th.	327. 351
Lutzenburgo Ant.	267. 268
Lyftrio Gerhardo	324
<b>M</b> atthiæ a Decimis Georgio Sax. Duci	334
Medico Cuidam	413
Molino Francisco	532
Montjoio Gulielmo Comiti	130. 164. 187. 198 256. 329. 591
Moro Thomæ	187. 211. 213. 214. 290. 345. 446
<b>N</b> auseæ Frid.	409. 471
Nefeno Gulielmo	297
Nicosio Sacellano Cameracensi	137
Noetio Jodoco Consiliario Brabantiaæ	342
Notho Petro	254
a No-	

- à Nova Aquila Comiti Hermanno 435. 484  
 Noviomago Gerardo 97. 102. 200. 295. 309  
**O**ecolampadio Joanni 232  
 Oshusio Gabrieli Carthusiensis 1  
 Officiali Leonardo 412. 426. 585  
 Olaho Nicolao 582  
 Osvaldo 98  
**P**apæ Adriano Sexto designato 550  
 Papæ Leoni X. 25. 35. 68  
 Pacæo Richardo 88. 229. 326. 346. 353. 357. 440  
 Paliuro Lucæ 93  
 Parcio Thomæ Secret. Urbis Caletiensis 231  
 Paschafio 103  
 Pauntgartnero Joanni 572. 568  
 Pflug Julio, Duci Sax. a Consil. 611  
 Piscatori Roberto 159. 264  
 Pisoni Jac. Præposito &c. Hungaro 545  
 Pistorio Simoni 423. 581  
 Polo Reginaldo Anglo 405  
 Præposito Edano Nicolao 336  
 Principi Veriano Adolpho 289  
 Phryfio Herm. 367. 502  
**Q**uinono Gulielmo 599  
 Quintino 597  
**R**egi Angliæ Henrico Octavo 90. 385. 486  
 Rex Angliæ Henricus Erasmo 556  
 Regi Galliarum Francisco 17  
 Regi Pannoniæ Bohemiæque Ferdinando 547  
 Reginæ Navarræ Margaretæ 459  
 Reuchlino Joanni 311  
 Rhegio Urbano 72. 377  
 Rho-

I N D E X . II.

Rhodo Gothofrido	348
Richardo a Sacris Gulielmo Montjoio	94. 125
Ricio Hieronymo	526
Rimaclo	209
Rinckio Joanni	574
Ritio Paulo	345
Robino Joanni Decano Mechliniensis	340
Rosino Joanni	602
<b>S</b> adoletus Jacobus Erasino	462
Sampsoni Richardo	81
Sapido Joanni	30
Sasboute Jodoco	564
Sbrulio Richardo	338
Scarpinello, Ducis Med. apud Anglos Oratori	369. 382
Shalbo Gaspari	184
<b>a</b> Schydloviez Christophoro Cancellario Regis Poloniæ	392. 443. 544. 598
Schudelino Joanni	352
Sixtino Joanni	154
Sodali Gulielmo	140
Stibaro Danieli	590
Stromerio Henrico	96
Sucqueto Joanni	552
Sylvagio Joanni Regis Catholici Cancellario	210
<b>T</b> aleo Gulielmo	419
Talesio Quirino	548
Thefaurario Ecclesiae Besontinæ Francisco	493. 594
Tonesio Consiliario Cardinalis Eborac.	381
Tossano Petro	501
Truchses Baroni in Walpurg	453
	Tussano

INDEX II.

Tussano Jacobo	522
Tutori Pensionario Antverpiensi	175
<b>V</b> aldefio Alphonso	585
Valdefio Joanni	425
Vario Nicolao Marvillano	434
Velio Gaspari	202
Vergaræ Francisco	608
Vergilio Polydoro	474. 537
Vesuvio Nicolao	499
Vilingero Jacobo Rom. & Hisp. Regis Thesau- rario	344
Viterio Petro	191
Viveti Ludovico	281. 422. 516
Vlatteno Joanni	582. 602
Ursevico	247
<b>W</b> attenwilo Nicolao Præposito Bernensi	514
Watsono Joanni	21
Wentfordo Rogerio	251. 252
Werterio Joanni	117
Wimphelingio Jacobo	381
<b>Z</b> afio Udalrico	98. 110. III. 308
Zebridovio Andreæ	398. 505
Zutpenio Petro	303



EPI-

\*\*\*\*\*  
E P I S T O L Æ  
S E L E C T I O R E S

E X

D E S I D E R I I   E R A S M I  
R O T E R O D A M I

Libro Epistolarum decerptæ;  
Quibus aliunde plurimæ accessere.

---

E R A S M U S   R O T E R O D .  
D . G A B R I E L I   O F H U S I O  
C A R T H U S I E N S I

S.   D.



studii ac negotiis vix erat otium  
scalpendis, ut ajunt, auribus:  
Tamen mitto tibi tuos versicu-  
los, ne queri possis ulla in re  
non morigerum animo tuo fu-  
isse Erasmum, vere tuum in Christo. Scio  
quam multa mala doceat otium. Proinde malo  
te istiusmodi opellis transmittere tempus, quod

A

datur

datur a Sacrorum pensis vacuum, quam ad de-  
teriora prolabi. Attamen longe satius erat,  
e sacris libris Christi Paulique imaginem vivam  
& efficacem pectori tuo penitus imprimere,  
quam plumbo, ære, chartisve exprimere.  
Quod ipsum arbitror te facere mi Gabriel, nec  
istam industriad tuam aliud esse quam felicis  
ingenii luxuriam, quam in suo Nepotiano laudat  
etiam Hieronymus. Non arbitror a Christo  
nato seculum fuisse malitiosius. Quo minus  
oportet vos pœnitere instituti vestri. Mea  
sata in has procellas abripuerunt. Nec tacere  
mihi licet, nec digna Christo loqui. Christus  
clamat: Confidite; ego vici mundum. Mundus  
videtur brevi clamaturus: Ego vici Chri-  
stum, adeo pro dotibus evangelicis palam re-  
gnat ambitio, voluptas, avaritia, audacia, va-  
nitas, impudentia, livor, malitia: etiam inter  
hos qui se lucem ac salem hujus mundi profi-  
tentur. Revisam vos, ut primum licebit. In-  
terea salutabis optimum Patriarchen vestrum,  
Oeconomum, & eum qui nos obiter, magno,  
ut apparebat, affectu salutabat. Bene valentein &  
ad cœlestia semper anhelantein te servet ac pro-  
vehat Christus, unica spes piarum mentium, mi  
Frater in Christo charissime. Ex Anderlaco.  
Pridie Id. Octob. Anno M. D. XX.

ERAS. ROT. STEPHANO PONCHERIO  
Episc. Parisien. Christianissimi Regis apud  
Catholicum Oratori S.

Quan-

Quanquam Franciæ Regnum totius Orbis Christiani longe florentissimum esse constat, ornatissime Præful, mihi tamen hoc nomine præcipue felix esse videtur, quod Principem naustum sit, non titulo tantum Christianissimum: sed omnibus vere regiis dotibus eximie cumulatum, tum ætate florenti, ut spes sit hanc felicitatem vestræ Galliæ ac nobis Vicinis & Amicis diuturnam imo perpetuam fore. Indoles erecta vvidaque, animus, non Rege modo, sed tali quoque Rege dignus, sic ardens & excelsus, ut tamen ad omnem humanitatem sit propensissimus, rursum sic erectus ac simplex, ut summa vigilantia prudentiaque sit præditus. Siquidem nuper in conflictu cum Helvetiis satis declaravit, ita se paratum instructumque ad bellum gerendum, si pacem non liceat adipisci, ut multo tamen pacem malit quam bellum. Magis enim habet studio, ut Regnum suum optimis legibus, incorruptis moribus, honestissimis studiis locupletet, exornet, illustret: quam ut Ditionis suæ pioneria proferat. Nimirum intelligit hæc demum esse vera Regni decora, has veras opes: hanc veram & nullis unquam seculis cessuram gloriam. Proinde parum esse putat justis præfidiis Regnum suum muniisse, nisi idem Viris eruditione juxta ac vitæ integritate præcellentibus ditet atque honestet: hoc potissimum pacto felicem ac magnum Regem se fore judicans: non si quam plurimis, sed si quam optimis imperet. Quos cum plurimos habeat domi: cum-

primis autem incomparabilem illum Guliel-  
mum Copum Medicinæ Vindicem atque An-  
tistitem, quem certatim sibi vindicant, hinc  
Gallia, hinc Germania: præterea Gulielmum  
Budæum, certissimam Galliarum gloriam, qui  
jamdudum Italis utriusque Literaturæ palmarum  
magno Eruditorum omnium consensu præ-  
puit: sic cæteros omnes vincens in Romani Ser-  
monis eloqueritia, ut in Græca Dictione vincat  
seipsum: tamen aliunde quotidie præmiis accersit  
allicitque, veterum ac laudatissimorum Regum  
jamdiu obsoletum exemplum hîc quoque no-  
bis referens. Cæterum quod inter hos, & no-  
stri rationem habere non gravatur, equidem vi-  
deo quantum illius animo debeat. Atque uti-  
nam is sim, qui tam eximii Principis judicio re-  
spondere queam. Onerat me quorundam can-  
dor ejusmodi laudibus, quas nec agnoscere pos-  
sim, nisi sim improbissimus: nec tueri, nisi longe  
alius sim, quam ipse me novi. Alioqui Gallia  
vestra cum aliis de causis mihi semper cordi fuit,  
tum hac etiam peculiariter jucunda, quod illic  
annos aliquot in optimis literarum studiis sua-  
vissime sim otiatius, sed jam ætas hæc a verten-  
do solo dehortatur, ut etiamsi non delegisse  
hanc sedem, tamen sedendum esset, ubicunque  
senectus deprehendisset. Ad hæc alligat Caroli  
Principis optimi benignitas, & animus in eve-  
hendis optimis studiis, sic cum tui Regis animo  
consentiens, ut hujus laudis certamen cum illo  
suscepisse videatur. Quamobrem nihil est quod  
in

in præsentia super hac re certo respondeam, nisi  
me & penitus agnoscere Regis optimi erga me  
studium, & gratiam habere, perinde ac si dela-  
ta illius benignitate jam usus essem: neque de-  
futurum me in posterum voluntati tanti Princi-  
pis, ultiro sua liberalitate provocantis, siquidem  
id bona cum fide cumque decoro licebit. Quod  
si non continget, ego me nihilo minus debere  
putabo Galliæ, & vos vicissim boni consuletis,  
si non præsto quod non possum. Corpusculum  
hoc haud possum omnibus commune facere,  
animum animique proventus possum. Cate-  
rum quando video Celsitudinem Regiam tuam  
que Amplitudinem id tantopere conari, ut Gal-  
liam vestram egregie probis ac literatis Viris  
exornetis, commodum mihi succurrit Henricus  
Glareanus, pridem mihi Basileæ domestica con-  
fuetudine notus, homo mea sententia ad vota  
vestra, si quisquam alius, accommodus. Eum  
tibi paucis delineabo, sed verissime: Genere Hel-  
vetius (nam hæc quoque Natio Studiorum glo-  
riam cum Militiæ laude incipit cœnjungere) æ-  
tate florenti, quippe nondum tricesimum eges-  
sus annum, valetudine firmissima ac laboris to-  
lerautissimus, annos iam aliquot versatus in Pro-  
fessione Liberalium Disciplinarum, primum Co-  
loniæ, mox Basileæ, nec id sane sine summa lau-  
de: Septem Artium, quas vocant, Doctor, non  
titulo tantum quemadmodum Vulgus ejus Or-  
dinis solet: Sophistices peritissimus, sed quo-  
niam resipuit, nunc ejusdem hostis ac perfuga:

Theologiam non tantum a limine salutavit, verum ad ipsa usque penetralia progressus quondam, sed offendit partim frigidis illis argutiis, quibus solis pene nunc in Scholis applauditur, partim inexplicabili Theologorum inter se contentione dissidioque, pedem retulit, & Christum ex ipsis fontibus, quam ex illorum lacunis haurire maluit. In hunc usum Græcam Literaturam magno studio cœpit amplecti: Poëta non invenustus; nam in hoc genere quondam admodum adolescens apud Coloniam Agrippinam a Cæsare Maximiliano lauream meruit: In oratione soluta talis, ut nec ingenium, nec eruditio nem desideres, usum fortassis & exercitationem alicubi requiras: magna Historiarum cognitio, in Musica, in Cosmographia, in cæteris item Disciplinis, quas Mathematicas vocant, exercitissimus; nam in his præcipue regnat ille. Jam quod in hoc hominum genere rarum esse solet, inoribus est adeo castis ac puris, ut non animus modo, sed aures etiam ab omni turpitudinis commemoratione abhorreant, veræ Pietatis cultor ardentissimus: ne Momus quidem ullum in eo vitium notare possit, nisi quod in spinosos Sophistas, magna libertate debacchari solet: si tamen hoc vitio, ac non potius judicio tribui debet. Nostri enim quam sit hoc hominum genus insolens ac procax, nisi si quis ei studio meliores literas adjunxerit. Cum his non minore animo depugnat Glareanus, quam olim cum monstrosis Hercules. Et in hos quantumvis clamosos sufficiunt

ciunt illi latera, sufficit vox & imprimis animus invictus, vereque Herculanus. Et ob id non admodum illi convenit cum Theologis, non dico eruditis, cum quibus maxime convenit: sed cum quibusdam istis qui præter illiteratas Literas, & frigidas aliquot Quæstiunculas, nihil dicerunt. Hos eo facilius fundit, conscinditque, quod ipse sit olim in illorum castris versatus. Tametsi hunc quoque fervorem & impetum, ac velut ἐνθεσιατρικὴν actas indies reddit moderatiorem. Cæterum ab omni supercilioso fastu que longissime abest. Moribus facillimis, & ad omnem vitæ consuetudinem appositis. Jussiris canere, nihil cunctatus canet: malis legere, leget. Libet ludere, jocabitur festivissime. Vis seruis agere, subito alius erit: atque ita facilis est, ut tamen adulari nesciat. Jam si statum hominis cupis cognoscere, totus est liber, nec libidini deditus, nec admirator pecuniae, nec uxori alligatus, nec ullis Sacris addictus extra Baptismum. Is nuper ad me scripsit, fore ut ipsi salarium annum apud Gallos constitueretur ex Fisco Regio, simul atque pax coisset inter vos & Helvetios, quam nunc coisse vehementer gaudeo: quod si est assecutus, quæso ut tua Humanitas hominem velit cognoscere: expertura, num falsam imaginem finxerim: sin minus dabit operam ut accersatur, sed honesta conditione. Scio quid illius dotes promereantur, sed ut est modestissimus, erit opinor centenis Coronatis contentus, quos, mihi crede, non male collocabis. Novi

quam recte moneat Horatius, etiam atque etiam adspiciendum, quem cui commendemus. At in hoc nihil vereor, ne mox incutiant aliena mihi peccata pudorem. Solent agere gratias, quorum commendatio valuerit: At ego expecto ut mihi agantur gratiae, postea quam Glareanus meus vobis perinde notus esse cooperit, ac mihi est. Hac in re si quid a nobis fieri voles, impera. Nam meis literis evocatus, & lubentius advolabit, & celerius, ne nihil interim magnifice de me ipso dicam: maxime, si quemadmodum illum tibi, ita te illi depinxero. Sed heus tu, vacuis Epistolis non est accersendus, viaticum addatur oportet, velut arrhabo reliqui promissi. Vide quam familiariter tecum agam, ceu tuæ Celsitudinis oblitus: sed ita me tua corrupit Humanitas, quæ hanc docuit impudentiam. Quam aut totam ignoscas oportet, aut bonam certe partem tibi ipsi imputes. Bene vale. Antverpiæ decimo sexto Calend. Martias. Anno M D XVII.

## ERASMUS BUDÆO SUO

S. D.

**N**actus codicem inspexi loca. Quod idem esse putas παρανολαθεῖν & assequi, non omnino tibi assentior. Si quis orationem intellectu perdifficilem perceperit, is assecutus recte dicetur. Cæterum qui cogitatione sequitur dicentem, semper attentus, is demum παρανολαθεῖ. Annotavi multa ex Autoribus exempla, quæ in hoc consentiunt. Quin & ea quæ ipse adducis, mecum

mecum faciunt. Porro quod admones, omnia prius ordine discenda fuisse, deinde oportuisset scribere; Primum sic verto, quemadmodum tu vis, nisi quod Typographus pro persecutus, mutavit prosecutus. Cæterum in annotationibus utrumque sensum ostendo, ut possimus παρα-  
κολυθηνότι referre, vel ad ordinem vestigantis ac discentis, vel ad seriem narrationis. Et utrumque video probe posse defendi. Nihil tamen defendo, quum liberum fecerim Lectori, utrum volunt eligere. Jam de κατηχίθης, quod ita reddidi, quasi κατήχησο scriptum esset, quo videris non-nihil offensus: scis tempus esse indefinitum, an-  
ceps, ni fallor, ad quamvis præteriti rationem: proinde verti per præteritum plus quam perfe-  
ctum, quo magis significarem, illum ante Bapti-  
sum hæc didicisse. Quod exempla profers ex autoribus verbi κατηχεῖσθαι, habeo gratiam.  
Quanquam is non videtur mihi lapsus memo-  
ria, qui negat se meminisse. Alioqui neino non labitur memoria, quando nullus est, quin quæ-  
dam non meminerit: verum qui per oblivio-  
nem aliud scribit, & asseverat, quam res habet,  
is demum labitur memoria. Hæc paucis attigi,  
jam ad iter accinctus, & ab Aula fessus. Nihil  
mihi potes facere gratius, quam si ad hunc mo-  
dum de cæteris item admoneas, ita ut facis, a-  
mice. Béne vale, Decus Galliarum ac Literarum  
Antistes. Antverpiæ pridie idus Julias, Anno  
M D XVII.

ERASMUS ROTERD. D. FRANCISCO  
DE LOINO s. d.

**V**ideo splendidissime Deloine, quot quantis-  
que nominibus debeam Gulielmo Budæo,  
non vestræ modo Galliæ, quod tu verissime  
scribis, verum etiam totius Ævi nostri Decori,  
atque Ornamento incomparabili: qui non con-  
tentus ornare me testimonio suo, apud omnes  
ubique Doctos, gravissimo, nobilitare tot erudi-  
tissimis Epistolis, insuper Amicis tam multis lo-  
cupletat beatque, atque o Deum immortalem!  
cujusmodi. An non merito sic existimem, in-  
gentem accessionem factam meis possessionibus,  
posteaquam Gulielmus Parvus, Franciscus De-  
Joinus, Ludovicus Ruzeus, Amicorum meorum  
numero additi, in bonis meis esse cœperunt?  
Porro cum tria nomina recenseo, boni Superi!  
quot egregias Dotes, quot Ornamenta rarissima  
compendio sum complexus? Nec hos solum  
illius opera lucrifacio, quin ille jam verbis con-  
ceptis mecum pactus est, quicquid usquam gen-  
tium nobis est Amicorum, id lege Pythagorica  
nostrum utrique fore commune. Est ille qui-  
dem, fide optima; ut si quisquam aliis, sed ta-  
men est apud me hujus pacti syngrapha, ipsius  
digitis descripta, si quid inficiari velit. Quidvis  
patiar citius, quam semel traditam possessionem  
tam præclaram interverti mihi. Ad egregias  
istas laudes, quas mihi tua tribuit Epistola:  
ni-  
hil habeo quod respondeam, nisi vos de me sane,

aman-

amantissime errare. Jam quod Lucubrationes  
meas omneis abs te, non legi modo, intelligo,  
sed excuti quoque, sed penitus introspici, u-  
trum-ne felicem me dicam, cui a suminis eru-  
ditione pariter atque autoritate Viris, hoc di-  
gnationis & honoris habeatur: an infelicem  
potius, qui talis cum sim, neque enim meipsum  
nescio, in Judices tam oculatos inciderim? Id  
quoties mecum reputo, quo pudore me suffun-  
di putas? Libet vociferari, non scripsimus ista  
Deloinis, hoc est, plus quam Læliis ac Persiis.  
Ista literariæ Militiæ Tyronibus parata sunt, aut  
certe crassulis quibusdam & amuisis Theologis,  
quibus antehac erat ad Catholicarios, ad Main-  
metrectarios, velut ad Apollinis tripodeim, fru-  
stra confugiendum. Horum Cimmeriis tenebris  
conati sumus quantulumcunque lucis aperire.  
Cur vos Summates Viri, Patriciique Ordinis Pro-  
ceres, ad hoc plebejum convivium vosmetipso  
ingeritis? Non istic palatis hæc parabantur le-  
gumina. Video, video, quantum sollicitudinis  
mihi sit adjiciendum Operis nostris, si quid post-  
hoc emisero. Cum ante paucos menses apud  
Coletum tui facerem mentionem, protinus a-  
gnovit nomen Deloini, ac recordatione veteris  
consuetudinis visus est admodum delectari. Ni-  
colaus Beraldus lepide nimirum hospitalis tes-  
seræ meminit in subscriptione sua. Nam me-  
mini cum olim essem Aureliæ, Italiam aditurus,  
me hominis hospitio usum, atque apud eum  
dies aliquot fane quam benigne comiterque ha-  
bitum.

bitum. Etiam nunc audire mihi videor lingua in  
illam explanatam ac volubilem, suaviterque  
tinnientem & blande canoram vocem, oratio-  
nem paratam, ac pure fluente in: videre os illud  
amicum & plurimum humanitatis præ se fe-  
rens, supercilii nihil: mores venustos, commo-  
dos, faciles, minimeque molestos: quin & In-  
terulam sericam velut Apophoretum obtulit ab-  
ituro, vixque ab homine impetravi, ut liceret  
recusare. Hujus igitur tesseram lubens agno-  
sco. Salutem hilaris accipio, meamque multo  
cum fœnore rescribo. Si causaberis hanc epi-  
stolam parum esse copiosam, fac eas legas, quas  
ad Budæum misimus, & queri desines: poste-  
quam enim lex illa placet, ut amicorum omnia  
sint communia, si quid literarum ad illum da-  
tum est, id ad te quoque datum esse putabis.  
Bene vale, Patrone incomparabilis, & Ruzeum  
meo nomine saluta diligenter. Antverpiæ, no-  
nas Calendas Martias, MDXVI.

## ERASMUS ROTEROD. GULIELMO BUDAEO s. d.

**V**ix tandem explicaveram me ab illa lo-  
quacissima Epistola, quæ quam tibi mo-  
lestæ futura sit, vel hinc conjicio, quod mihi  
quoque scribenti tædio fuerit. Eam vix dum ob-  
signaveram, cum alteræ tuæ mihi redunduntur  
Literæ, quibus Christianissimi Regis animum er-  
ga me significas. Ad has λακωνικῶς responde-  
am oportet, simul ne te, pariter ac me tædio  
loqua-

loquacitatis enecem, simul quod eodem tempore ad plureis item alios mihi scribendum sit. Regis animum, vere Principe dignum, atque adeo tali Principe, merito probo atque exoscular. Quod de nobis tam magnifice sentit, id potissimum vobis Amicis debeo, qui me illi depingitis, non qualis sum, sed qualem optatis haberi. Atque id sane facitis non mediocri periculo, nec id meo tantum, verum etiam vestro. Quanquam eadem de re iam diligenter egerat Regis nomine, Clarissimus Orator Episcopus Parisiensis, quem Virum tu non minus vere, quam graphice depingis in tuis literis. Per longum fuerit consultantium more, quæ res ad hoc invitent, quæ contra deterreant, Epistola complecti: Tuum consilium quod sit video. Id ego felicius etiam fore judico, quod datum sit ab homine, non prudentissimo solum, verum etiam amantissimo. Nam si usquam locum habet Græcorum proverbium ἐχθρῶν αἰδωγεῖ δῶρα, in consiliis locum habere puto. Cæterum, ut hac de re fateor, me plurimum debere cum vobis omnibus, tum in primis Regi munificissimo optimoque: ita non possum in præsentia certi quicquam respondere, nisi communicato consilio cum Cancellario Burgundiæ, qui nunc abest, Cameracum proficiscens. Interea dum & ipse negotium meo cum animo diligentius perpendo, & Amicorum sententiam exquirō, ille, ut spero, redierit, cuius animum simul atque cognovero, faciam te certiorem de  
toto

toto meo animo. Hoc solum in præsentia dicam, mihi Galliam multis nominibus semper fuisse charam, sed nunc haud alio nomine commendatiorem, quam quod Budæum habet. A qua non est quod me facias alienum, & ut tu vocas, externum. Nam si Cosmographis credimus, ad Galliam pertinet & Hollandia. Commodum admonuissi, quod ipse sæpenumero admiratus sum, Gulielmorum gentem mihi tantopere favere, sive id fato quodam accidit, sive casu. Olim vix decem natus annos, collusorem amavi Gulielmum. Rursum quindecim annos natus, sic æqualem quendam dilexi, ut mihi esset me ipso charior. Huic successit Gulielmus Hermannus, homo doctus, cuius hymnös opinor vidisse te: post hunc Gulielmus Montjoius, perpetuus & constantissimus Mæcenas meus. Deinde Gulielmus Latamerus, Vir in utriusque literaturæ præstantia Linacro non inferior, homo vere Theologus, hoc est, integerius simul & eruditissimus, nostrique cum primis studiosus. Ad hæc, Gulielmus Grocinus, cuius epistolam habes Sphæræ Proculi additam. Jam quot Gulielmos æquat unus ille Gulielmus Archiepiscopus Cantuariensis? Ad hæc Gulielmum Copum sic totum totus amo, ut ad ipsum etiam hominis nomen recreer. De te vero parcius dicam in os. Sed ditior sum, quam existimaram. Nesciebam insignem illum & omnium ore celebratum Theologum, Gulielmum cognomento Parvum, virtutum eminentia maximum, usque adeo meum

meum esse. Mane, nondum omneis Gulielmos meos recensui. Est Basileæ Gulielmus Neffenus, optimarum literarum ardentissimus conjectator, mihi sic unice deditus, ut Pyladem meum appellare jure optimo possim. Is nihil contetur, quodvis etiam capit is periculum adire pro suo Erasmo. Ex oratore vestro cognovi, Paulum Æmilium tandem evulgare rerum Gallicarum Historiam. Non enim poterit non esse absolutissimum opus, quod a Virō non minus docto, quam diligent, plus annis viginti fit elaboratum. Utopiam Thomæ Mori, si nondum videre contigit, fac cures emendam, neque pigeat per otium legere. Non pœnitabit operæ insumptæ. Thomæ Linacri lucubratiōnes ex officina Badiana propediem exituras, dici non potest, quam gaudeam. Nihil ab eo Viro expecto, non absolutissimum omnibus numeris. Deum immortalem! quod seculum video brevi futurum, utinam contingat rejuvenescere. Petrus Ægidius hospes meus, ut bonarum literarum & admirator, & egregie peritus: ita tui cū primis studiosus, rogavit ut suis verbis tibi salutem adscriberem. Is suis digitis prolixam illam scriperat epistolam, quanquam alias occupatissimus, cum mihi non vacaret rescribere, & alterum e ministeris Lovanium ablegasse, alter ab oculis laboraret. Bene vale. Antverpiæ nono Calend. Martias M. D. XVI. D. Cutbertum Tonstallum a nobis avulsit Imperator Maximilianus, cui postea-

posteaquam Orator assignatus est, Successore missō, qui apud Carolum nostrum ageret, desit diutius eodem in loco commorari. Quod vitæ genus non omnino displiceret, modo Bibliotheca nos quoquo iremus comitaretur. Huc si venerit coram, sin minus, absentem literis appellabo, de literis ad te. Rursum vale.

**ERASMUS ROTEROD. GULIELMO COPO s. d.**

**O** Felicem Galliam tali Principe, o te fortunatum istiusmodi Patrono, o me beatum tanti Monarchæ favore. Cæterum ad tuas literas, quas Regis tui jussu scripseras ad me, nondum licet certi quippiam respondere; sed brevi statuam, ac renunciabo. Interim hujus honoris usura fruar, quod laudatissimorum hominum commendatione, laudatissimo Regi placuerim, pro cuius erga me studio quantum debeam, nec dissimulabo, nec obliviscar unquam. Ejus Majestati per literas utcunque gratias egi. Sic enim jussit Budæus, sed tu idem dexterius feceris oratione, nec ipsi solum, verum etiam eximio Theologo Gulielmo Parvo, & Reverendo Patri Francisco de Rupeforti, qui quam errant amanter, tam officiose sunt de nobis mentiti Regi. Quod Aphorismos nostros desideras, cave putes istius esse generis, cuiusmodi sunt tui Hippocratis; Alia res est. At si libellum posces Erasmi, de Institutione Principis Christiani, istoc titulo citius inveneris. Bene vale.

vale. Antverpiæ sexto Calend. Martias. Anno  
M. D. XVI.

Audio sane & gaudeo, Thomæ Linacri lu-  
cubrationes excudi Lutetiæ. Utopiam Mori,  
si nondum legisti, fac requiras, si quando vo-  
les ridere, imo si fontes ipsos intueri, unde o-  
mnia fere Reipublicæ mala oriuntur. Rursum  
vale.

CHRISTIANISSIMO GALLIARUM REGI  
FRANCISCO Erasmus Roterodamus

s. d.

**C**um Inclytum Franciæ Regnum, omniumque  
consensu longe florentissimum, plurimos  
ediderit Principes, pietate, bellique gloria præ-  
stantes, Franciæ Regum Optime juxta ac Ma-  
xime, tu tamen in primis speciosissimum illud  
& Gallorum Regibus peculiare Christianissimi  
agnomen mihi præstare videris. Etenim cuin  
**CHRISTUS** ipse Regum Rex, ac Principum  
Princeps, haud alio insigni, symboloque suos  
dignosci voluerit, quam mutuae inter ipsos  
concordiae: tu posteaquam bello adversus Hel-  
vetios gesto, quam tibi nec animus, nec appa-  
ratus, ad bellum gerendum deesset declararas,  
tamen huc totis nervis incumbere maluisti, ut  
compositis in æternum bellorum tumultibus,  
præcipui Christianæ ditionis Principes perpe-  
tua jam pace inter se conglinarentur: ni-  
mirum prudenter illud animadvertis, ex Re-  
gum inter ipsos dissidiis semel omnium rerum

B

bona-

bonarum pestem, ac perniciem; contra malorum omnium colluviem, ac mare in vitam Mortalium invehī: quorum animos & opes si pax & amicitia sincera conjunxerit, mox futurum, ut jam velut aureo quodam Seculo, Pietas, optimæ Leges, & quicquid est honestarum Artium, simul efflorescat: quæ semper Pacis & comites esse solent & alumnæ. Intelligit, videt, perspicit animus iste tuus vere Regius, ita maxime fore te Principem felicem & eminentem: non si quam pluriinis, sed si quam optimis ac felicissimis imperaris. Illud igitur quo magis efficiat vigilantissima tua Majestas, cum tot habeat in Regno suo Viros, omni virtutum ac literarum genere præcellentes: tamen undique præmiis amplissimis adsciscit, quo Regnum per se ornatissimum talibus honestamentis redat ornatius, haud ignara istiusmodi decoribus multo verius, ac pulchrius illustrari Ditacionem suam, quam opibus, trophæis, pyramidiis aliisve quantumlibet magnificis substructionibus. Porro quod inter hos me quoque tua Benignitas dignata est honestissimis præmiis sollicitare: video sane quantopere debeam animo tuo non minus humano quam excenso. Atque utinam adfit mihi tanta vis ingenii & eruditioinis, ut aliqua saltem ex parte tanti Principis expectationi respondere queam, tantum autem eloquentiæ, ut Heroicas istas Virtutes tuas, eximiaque Decora dignis aliquando præconiis Posteritati commendem, atque inprimis hoc

hoc divinum restitutæ Pacis beneficium, te cumprimis admittente, partum Orbi Christiano. Precor Deum optimum maximum, ut postea quain illi complacitum est pulcherrimos istos impetus animis vestris immittere, idem provehat, beneque fortunet. Vere profecto scripsit Rex ille pacificus, corda Regum in manu Dei esse, & illius arbitrio huc aut illuc impelli. Quis enim dubitet istam mentem hujus afflatu vobis dari? Proinde spes est fore, ut qui novam hanc felicitatem Orbi Christiano largiri cœpit, idque per te potissimum, idem munus suum vestra pietate, constantiaque quam maxime diuturnum ac proprium velit esse. Is Majestatem tuam Rex Excellentissime diutissime felicem, ac rebus omnibus florentem Regno, imo Orbi terrarum servet, ac tueatur, cui me totum trado, dedicoque. Antverpiæ nono Calend. Martias. Anno M. D. XVI.

R. D. LUDOVICO CANOSSÆ, EPISCOPO  
Bajocensi, Erasmus Roterod.

s. d.

**E**t felicitatem istam tibi gratulor, cuius meritis favore Leonis Pontificis vere Maximi, contigerit ista Dignitas, & animum tuum erga bonas literas magnopere probo, denique pro tuo de me judicio, vel, ut melius dicam, pro isto tam amico de nobis errore, gratiam habeo maximam, neque secus debere me puto tuæ Benignitati, quam si quod offert (offert au-

tem conditionem liberalissimam, ac plane meis  
meritis ampliorem) jam accepissem. Cæterum  
quoniam nunc abest Cancellarius Burgundiæ,  
cujus opera pridem adscitus sum in famulitium  
Catholici Regis Caroli, non habeo quod cer-  
tum in præsentia respondeam, id tamen faciam  
propediem. Interea perge favere tuo (ubi ubi  
terrarum futurus est) Erasmo. Bene vale,  
cui me totum addico. Antverpiæ sexto Calend.  
Martias. Anno M. D. XVI.

ERASMUS ROTEROD. THOMÆ GREIO  
& PETRO VITERIO

S. D.

**E**odem die mihi vestræ redditæ sunt lite-  
ræ, querelarum plenæ, quod nihil re-  
spondeam. Præter has postremas expostulatri-  
ces, imo objurgatrices, binas duntaxat a vobis  
accepi, hoc est, a singulis singulas: Quibus  
hactenus non respondi, sed tamen nisi fallor,  
jussi vos salvere in literis ad Badium datis. Nec  
ideo minus vos amo, si scribo rarius, qui sic  
distrahor, partim his Aulæ tumultibus, partim  
iniquitate Fortunæ, nonnihil etiam studiis, ut  
vix sim apud me. Hæc scripsi graviter ægro-  
tus, non pituita, sed verius peste, quæ plurimos  
hic jam tenet. Quod deploras mi charissime  
Viteri te istuc a me missum, quo mea consue-  
tudine careres, scis ipse te quorundam malitia  
Caletio depulsum fuisse, quem exitum ego  
semper expectabam. Atque utinam nunc ea  
tibi

tibi esset fortuna, qualem ego optarim. Sed tamen est aliquid in Patria vivere, præsertim tali. Et sorte tuam ita reddes tolerabiliorem, si quod sis esse velis. Quod si quid est, in quo requiras officium nostrum: fac periculum: num idem sim Erasmus, qui semper fuerim. Literarum officio non possim omnibus respondere, etiamsi nihil agam præterea. Tuum mi charissime Greie, studium atque animum tam pium, dici vix posset, quantopere exosculer. De Filii indole gratulor ex animo. Quod ipse Sacra potissimum amplecteris, hoc est, ea per quæ vivas feliciter, & moriaris felicius, prudenter facis, & rectissime tibi consulis. Quantquam tu quidem superstes eris in liberis, quibus bis pater es: quippe non contentus in hanc lucem produxisse, Christo parturis eosdem. Valete ambo, quos, ut æque tum mihi, tum inter vos charos, epistola quoque conjungere visum est. Bruxellæ, Idibus Februar. Anno M. D. XVI.

ERASMUS ROTERODAMUS JOANNI  
WATSONO Insigni Theologo

s. d.

**Q**uam mihi rem Optime Watsone narras? Ita ne tecum in ipsam usque Syriam peregrinatus sum? Neque fecius ipse, cum Amicos omneis, tum in primis Watsonum meum animo mecum circumfero, quoquo terrarum me recepero, memor suavissimæ familiaritatis nostræ,

nostræ, & noctium etiam Fabulis jucundissimis citra tedium nobis transmissarum. Quin & illud voluptati fuit, quod veterum Amicorum, quibuscum Venetiis egi, consuetudinem, memoriam mihi refricuisti. Cæterum cuius nomen tibi exciderat, Marcus est Musurus. Novi Candorem istorum; sic Erasimum onerant suis laudibus, ut si Superis placet, sunt qui illi invideant etiam. Id quod ego profecto nunquam expectaram fore, ac vix etiamnum mihi persuadeo. Novum testamentum tibi, hoc est, Viro tum integro, tum eruditio probari, non moleste fero: de quo tamen ipse nihil ausim profiteri, nisi nos annixos pro virili, ut qualicunque industriola nostra, Christi Philosophiam bonis mentibus commendaremus. Tuumque mi Joannes animum magnopere probo, qui sic in Scoticis Labyrinthis versaris, ut tamen hæc simpliciora crassioraque non asperneris, pariter & illis satisfaciens, & tuo nihilominus fruens judicio. Convenit hoc ipsis tuis moribus ita piis, ut supercilios careant, ita comibus, ut absit levitas, ita severis ut absit asperitas. Sed desinamus hæc videantur *γν̄ ἐπανινος, αλλ̄ αμοιβη*. Petrus Falco, Vir apud suos primæ autoritatis, domum reversus, multa de duobus Anglis scripsit, oblitus opinor nominum. Mihi illico tetigit animum. At, at, hic ille Watsonus meus. Nam profectum acceperam; Jam equum consideram, Cantabrigiam aditurus, & ecce quidam nunciat R. P. Episcopum Roffensem vestræ

Scholæ

Scholæ Cancellarium, eodem die Londini futurum. Hunc dum in singulos dies operior, defedi dies aliquot Londini. Nec tuæ Literæ mihi redditæ sunt, nisi post menses aliquot. Quod mearum Lucubrationum indicem petis, jam id inscio me præsliterat Adrianus Barlandus, homo venusto ingenio, nec in amœna sermonis facilitate. Ipsius igitur Epistolam ad te mitto. Salutabis Amicos nominatim omnes, & si id ipse nominatim non jubeam. Bene vale Amice mellitissime. Bruxellæ, Idibus Januar. Anno M. D. XVI.

ERASMUS ROTEROD. ANTONIO  
CLAVÆ Consiliario

s. d.

**D**e Sororis obitu, consolarer te Vir ornatissime, ni persuasum habereim, ægritudinem istam, quam in aliis lenit adimitque tempus ipsum, in te singulari tua sapientia jam dum esse sospitam. Nos ita distraxerunt, hinc morbus, hinc Studiorum non unus labor, hinc crebra migratio, ac remigratio, ut vix apud me fuerim. Nec inter hæc tamen unquam excedit nobis Clava, Candidissimus Literatorum Patronus, nimirum ipse Literatissimus. Scripsimus enim semel atque iterum. Roberti nostri πολυτεχνίαν probo, opinor omnibus tentatis aliquid successurum denique. Is ad me misit non Epistolam, sed ut ipse vocat Tragœdiam, ac prorsus θλιάδα κωνών, verum hanc

B 4

ipse

ipse comicis salibus mire condierat. At mihi nondum liquet, utri pejorem gratiam debeam, einne qui me tam inimice laceravit: an illi, qui me publicitus apud populum nimis amice laudavit, hoc est traduxit, & invidiosum reddidit: nec enim ulla res est, quæ acriores invidentiæ stimulos excitet inter Mortales, quam si quem immodice prædices. Non ferimus id in Summis Viris, & quorum virtus invidia major esse debuit. Quo minus mirum, si non ferunt in me, qui sum & infra mediocritatem. Imo quod Parochus ille sic in me debacchatus est, Præconi isti meo debo: ἀναιρεσία εὐοια, οὐδὲν ἔχθρας διαφέρει. Quorsum autem attinebat te nugis ejusmodi involvi, melioribus occupatum? Nec referebat, quid hi aut illi inter se debacentur, ad me perscribere. Juxta Poëtas, nec ipse Jupiter placet omnibus, sive pluat, sive serenus sit. Nos quidem dedimus operam & magis in posterum dabimus, ut placeamus universis: interim tum recti conscientia, tum illo me consolor, quod optimis quibusque certe non improbamur, fortassis omnibus placituri, simul atque livor ab obitu conquieverit. Mori Utopiam ubi legeris, putabis te repente in alium Orbem translatum esse. Adeo illic nova sunt omnia. De messe non sum anxius, modo ne redditum superent impendia. Est quod huic animo, quod huic otio fatis sit. Et hæc vita mox εκτετοξεύτεται. Porro famæ sarcinam lubens etiam abjecero, ac prope modum in Epicuri senten-

tentiam pedibus eo λάθε βιώσοις. Sed heus jam  
abs te Literas expečto semigræcas ὅς τρίτου ἥδη  
ἔτος εἰληνίζεις. Cæfarem meo nomine salutato  
diligenter. Cancellarius ex animo tuus est. Bene  
vale. Antverpiæ.

LEONI DECIMO ERASMUS ROTE-  
RODAMUS s. d.

**V**t ubique, Beatissime Pater, incredibilis  
ista tua bonitas pietasque vincit, non fo-  
lum merita nostra, verum etiam vota. Quod  
meus pudor contractius parciusque rogabat tua  
Benignitas largius ac prolixius indulxit. Nec  
illud sane me clam esse voluit, quibus hoc be-  
neficii debere, cum ipse cuperem in solidum  
tuæ unius debere Sanctitati. Sciebam Regem  
Catholicum me suis Literis tibi commendasse,  
sed alia de causa, atque id tamen factum est,  
non solum absente me, verum etiam infcio. An-  
glorum Regi licet aliis pluribus nominibus de-  
berem, tamen hic calculus me prorsus latebat  
hactenus. Intelligo, intelligo Beatissime Pater,  
quam gravem, quinque multiplicem sarcinam  
humeris sustineam. Primum enim manibus pe-  
dibusque adnitendum est, ut isto munere, quod  
tua Pietas indulxit, sic utar, ut tum dante, tum  
accipiente, dignum est. Deinde conandum est,  
ut aliqua certe ex parte tantorum Principum  
commendationi respondeam: quandoquidem  
his beneficiorum tui gratiam communem esse volui-  
sti. Postremo danda est opera, ut non dicam

officio, (quis enim præstet officium, aut Christo aut huic proximo Pontifici?) sed tamen aliqua grati animi significatione respondeam accepti muneris magnitudini, quod ipsum jam protinus difficillimum esse video: deinde Leonis Amplitudini, sic modis omnibus Maximi, ut quantum Romani Pontificis fastigium inter reliquos Mortales eminet, tantum Leo inter Romanos Pontifices excellat: id quod multo etiam difficilius. Hoc an præstaturus sim, necio, certe sic adnitar, ut omnes intelligent mihi præter vires nihil defuisse, suppetat modo vita, quam mihi non optarim longiorem, quam quæ Posteritati consecrandis Leonis Optimi Maximi divinis virtutibus ac meritis sufficiat. Minus infeliciter aggredi solet ardua, qui & libenter aggreditur, & suscepti negotii pondus non ignorat. Quod si nos justæ vires destituent, auxiliares Eruditorum Hominum suppetias implorabimus, quorum nemo est usquam, qui non fateatur sese plurimum tuæ Pietati debere, Pacis publicæ Vindici, quæ semper honestorum studiorum altrix fuit. Libet interim, tum mihi privatim hanc gratulari felicitatem, cui contigerit probari, non solum Pontifici Maximo, sed Leoni, inter maximos suis dotibus maximo: tum autem publice Seculo huic nostro, quod prorsus aureum fore spes est, si quod unquam fuit aureum: ut in quo tuis felicissimis auspiciis, tuisque sanctissimis consiliis, tria quædam præcipua generis humani bona, restitutum

tutum iri videam; Pietatem illam vere Christianam multis modis collapsam; Optimas Literas, partim neglectas hactenus, partim corruptas, & publicam ac perpetuam Orbis Christiani concordiam, pietatis, & eruditionis fontem, parentemque. Hæc erunt nunquam intermoritura, Leonis Decimi trophyæ, quæ doctorum Hominum Literis, æternæ memoriae consecrata, tuum Pontificatum, tuamque gentem semper illustrabunt. Deum Opt. Max. precor, ut istam mentem tibi perpetuam esse velit, te nobis quam maxime diuturnum, quo rebus humanis ex animi sententia compositis, sero in cœlum redeat Leo. Bruxellæ. M. D. XVI.

D. SYLVESTRO, EPISCOPO WIGOR-  
nienſi, Serenissimi Britanniæ Regis apud Sum-  
mum Pontifice in Oratori Erasmus  
Roterodamus s. v.

**D**uplicasti beneficij tui gratiam, Amplissime Præſul, dum singulari officio, quo me nihil promeritum es prosecutus, addis Literas humanitatis plenas. Multa mihi de singulari tua in Doctos bonitate prædicaverant multi, sed nunc omnem famam infra verum fuisse compario, qui mihi videris huic potissimum rei natus, ut de omnibus bene merearis. Quid enim non præſtaturus sis aliis, cum hæc præſtes Erasco, vix de facie noto? Proinde mirari defino, quod te pari favore, parique beneyvolentia prosecuti sunt pridem Henricus ejus nominis Septi-

Septimus Regum longe cordatissimus, nunc ejusdem nominis Octavus, Patri simillimus Filius, quod te Leo Pont. Max. singulari charitate complectitur. Tot rerum similitudo vos conciliat. Utrique virtus utriusque fortunæ vicibus exercita, factaque illustrior. Utrique studium benemerendi privatim, ac publice de omnibus. Utrique ingenii lenitas ac benignitas mira. Ipsi per Literas utcunque gratias egi, sed id per te fiet rectius, ut cuius opera factus sum illi obnoxius, per eundem me gratum esse cognoscat. Non gravaberis hoc velut auctarium addere tuis in nos officiis & alioqui maximis. Bene valeat T. R. Sublimitas, cui me totum dico dedicoque. Bruxellæ. M. D. XVI.

ERASMUS ROTERODAMUS  
LUDOVICO BERO s. d.

**A**n merito mihi gratuleris optime Bere, nondum scio: tu certe amantissime facis, somnians eam fortunam mihi contigisse, qualem amor iste tuus optaret. At qualis qualis est hæc mea fors, si scias quam ambierim, nova quedam videatur: si merita æstimes, magna: si animum, satis: quanquam eam præbendam vertimus in pensionem, censui detrahentes, ne quid otio decederet, cuius nobis prior, quam pecuniæ ratio. Te merito amo Vir Humanissime, qui pari studio procul absentem prosequeris, quo præsentem semper complexus es.

es. Invidiam merebantur fortasse, qui præclarum aliquid profitentur, aut rara quipiam eruditione premunt aliorum gloriam, aut submotis plerisque se jactitant. At quid rei mecum est invidiae, qui nec profiteor quicquam, & vix mediocri literatura, nullius officio luminibus, neque cuiquam mortalium meipsum antepono, aut æquo etiam. Tantum mea qualicunque opella, pro viribus adjuvo publica studia. Sed nonnullis alicubi videor liberius incandescere, verum iis, qui non perpendunt quam indignis modis acceptæ sint Sacrae Literæ, ac Virorum sanctissimorum Lucubrationes. Cum in ipso grassarer opere, sæpenuero stomachum ob rei indignitatem effervescentem cohibuit ratio, ubique dissimulare non potui. Et tamen posthac moderationem fecit mira quorundam morositas. Etenim si qua fieri possit, ita cupiam prodesse studiis, ut neminem omnino mortalium offendam. Id si minus contingit, lenit nonnihil hanc molestiam primum recti conscientia, deinde quod adhuc probor a probatissimis. Et spes est fore, ut quod nunc placet candidis, mox placeat omnibus. Certe quod indoctum sit, aut impium, absit ut mihi unquam placeat, vel in meis ipsius Libris. Bene vale. Apud R. P. Episcopum Basiliensem, tu fac mihi sis Epistolæ vice. Memini, memini, semperque meminero, quantum illi debeam Principi. Bruxellæ, Calend. Januar. Anno M. D. XVI.

ERASMUS ROTERODAMUS JOAN-  
NI SAPIDO, Liberalium Artium  
Doctori s. d.

Carmen tuum, Eruditissime Sapide, tam uni-  
ce placuit toti sodalitio, quam tu illi unice  
charus es. Mihi sane, ut non fuit ingratum:  
ita voluptati esse non potuit. Neque enim unius  
est hominis delectari & erubescere: nisi mihi  
forsitan adeo nihil oris esse credis, ut ifla tua  
præconia citra ruborem legere queam.. Verum,  
est quod tecum expostulem. Tot eruditis jux-  
taque candidis Amicis meam consuetudinem  
gratularis, nec mihi vicissim de illorum gratula-  
ris, contubernio, quasi minus sum ipse felix hoc  
nomine, quam illi. Nam mihi prorsus in amœ-  
nissimo quopiam Musæo versari video: ut ne  
dicam eruditos tam multos, & eruditos tam  
non vulgari more. Nemo latine nescit, nemo  
græce nescit, plerique & hebraice sciunt: hic in  
Historiæ cognitione præcellit: ille callet Theo-  
logiam, hic Mathematices peritus est: alius An-  
tiquitatis studiosus, ille Jurisconsultus. Jam hoc  
quam sit raru[m], ipse nosti. Mihi certe hactenus  
non contigit in æque felici versari contuber-  
nio. Verum ut hæc fileantur: qui candor o-  
mnium, quæ festivitas, quæ concordia? Unum  
omnibus animum esse jures. Nec est quod complores  
te ab hac mensa abesse: ut Platonis more  
loquar, tam ades quam qui maxime. Nullum  
prandium, nulla cœna, nulla ambulatio, nulla  
con-

confabulatio sine Sapido nobis agitur. Porro  
fortem tuam, ut laboriosam esse non negaver-  
im, ita tragicam ut tu vocas, aut deploran-  
dam esse prorsus inficior. Ludi literarii Magi-  
strum esse, proximum Regno munus est. An tu  
putas sordidam esse functionem, primam illam  
ætatem tuorum Civium optimis literis & Chri-  
sto statim imbuere, totque probos & integros  
Viros Patriæ tuæ reddere? Stultorum opinio-  
ne humilius est, re longe splendidissimum. Ete-  
niam si Ethnicis quoque semper præclarum ma-  
gnificumque fuit de Republica bñemereri (di-  
cam audacter) nemo melius de ea meretur,  
quam rudis Pueritiæ Formator: modo doctus  
& integer: quæ duo sic in te paria sunt, ut  
nesciam utro teipsum superes. Jam quod in Sa-  
lario diminutum est, Christus ipse de suo pen-  
sabit abunde. Siquidem ipsa Virtus satis am-  
plum sui præmium est. Neque vero quicquam  
moveat animum tuum: quod vides quorun-  
dam ignavissimo otio, tantum annui censu e  
publico decretum, qui sibi vivant, vel Princi-  
pibus inserviant, at non ex usu Reipublicæ: ei  
vero qui communis est omnium Liberorum Pa-  
rens, & in re maxime omnium necessaria, tan-  
tis sudoribus agit publicum negotium, tam ma-  
lignum Stipendum exsolvi. Integrum & in-  
corruptum Virum Munus hoc requirebat, cui-  
que vel gratuita Pietas cordi fit. Itaque magni-  
tudo Salarii, Dignitasque proposita sceleratissi-  
mum quemque ad hoc negotii pelliceret. Ipse  
mi

mi Sapide Dignitatem addes ex tuis dotibus,  
 Muneri, si parum apud homines splendido, cer-  
 te apud Christum magnificentissimo. Nec est  
 quod hanc sodalitatem invideas Basileæ. Habet  
 & Sletstadium  $\mu\sigma\tau\epsilon\eta\sigma$  suum, fortassis infre-  
 tius, sed quam multis aliis unum opponere po-  
 tes Paulum Voltzium Curiensem Abbatem?  
 Deum immortalem! quæ mentis puritas, qui  
 candor ingenii, quam prudens simplicitas, qui  
 studiorum ardor, quam nullum omnino in tot  
 dotibus supercilium. Tales tales opinor fuisse  
 priscos illos Religionis Antistites, Antonium, Hi-  
 larionem, Hieronymum. Proinde si numeres  
 contubernium, perpauci fateor estis: si expen-  
 das, multi, cum tot homines tibi præstet unus.  
 Majorem in modum te rogo, fac ut is Vir in-  
 telligat me sui memorem esse. Mellitissimam  
 Conjugem tuam, nec leve tuorum laborum fo-  
 lamen, quovis margarito candidorem Margarita-  
 ram meis verbis saluta diligenter. Bene vale.  
 Basileæ. M. D. XVI.

ERAS. ROTEROD. RICARDO  
 BARTHOLINO s. d.

**M**irum quam me cœperint Hendecasyllabi Ga-  
 sparis Velii, doctissime Bartholine. Tam  
 erudita facilitate fluunt omnia, ut facile depre-  
 hendas ingenii venam non elegantem esse mo-  
 do, verum etiam divitem ac benignam. Sed  
 parcias eum laudem oportet, quod me tam im-  
 modice

modice laudarit ipse. Utinam hanc operam in argumentum felicius collocasset. O felicem Germaniam! si tandem liceat a bellis conquiescere: id quod Principum sapientia brevi confore spes est. Etiamsi nonnullos adhuc habet ignobile vulgus, qui belli in Gallos suscipiendo faces subjiciant. O cogitationes impias! Christianus Orbis adversus Christianæ Ditionis purissimam ac florentissimam partem conspirabit? Sola Gallia nec Hæreticis est infecta, nec Bohemis schismaticis, nec Jūdæis, nec Seini-Judæis Maranis, nec Turcarum confinio afflata: quemadmodum aliæ, quas & citra nomenclaturam suo quisque animo agnoscit. Non alibi Senatus augustior: non alibi Schola vel celebrior, vel sanctior: nusquam major Legum autoritas, nusquam similis Regni totius concordia. Qui magis Imperio digni, quam qui imperant optime? Quid quod nobis interim pestilente consulunt, qui bellum moliuntur. Gallis sic undique finitimi sumus, ut ipsi potius Galli simus: jamque Civile Bellum futurum sit, si Galli cum Gallis pugneamus. Ad hæc quid consultius, quam cum Vicino proximo, tum autem Vicino tam potente benevolentia coniungi. Atque istic quidecum in Gallos odium certam victoriam pollicetur, nec in mentem venit, quot annis, quam infeliciter luctati sumus cum Gelriis: nam de Frisiis incertus adhuc eventus est; Sed ut contingat victoria, quid æque votis expetant Turcae, & si quibus

etiam invisius est nomen Christi, quam pulcherrimam ac munitissimam Orbis Christiani partem ferro, ignique vastari, floremque nostræ Religionis indignis modis proteri. Prohibeat Deus Opt. Max. ut istorum amentiarum Fortunæ favor, aut Principum calculus accedat : *αλλα ταῦτα οὐκὶ γε πάρεγγε.* Porro Carminis editioni favere quî possum, doctissimi quidem, sed tamen immodice de me mentientis ? quod nihil aliud, quam illum qui scripsit admirabilem, me ridiculum faciet. Faverem illius Gloriæ, si frontem perficere queam. Abitum vestrum ut cunque tulero, si propediem nobis reddamini. Nam & te proprius introspicere, & Velium nosse cupio. Porro Paulus Ricius sic me proximo colloquio rapuit, ut mira quædam me sitis habeat cum homine sæpius ac familiarius conferendi sermonem. Præter Hebrææ Linguae peritiam, quantum ille tenet Philosophiae, quantum Theologiae ! tum quæ animi puritas, qui discendi ardor, qui docendi candor, quæ disputandi modestia ! Mihi sane Vir ille primo statim gustu placuit olim Papiæ, cum illic Philosophiam profiteretur. Nunc proprius intuito magis etiam placet. Is deum vere mihi videtur Israëlitam agere, suoque Cognomini pulchre respondere : cuius omnis voluptas, omnis cura, omne otium ac negotium, in Divinis est Literis. Dignus nimirum animus, cui otium contingat quam maxime honorificum. Eruditissimo Eruditorum omnium Mæcenati Cardinali,

dinali. Gurcensi facito me commendatum.  
Bene vale. Antverpiæ, decimo Mart. Anno  
M. D. XVI.

BEATISSIMO PATRI LEONI DECIMO,  
Pontifici vere Maximo, Erasmus  
Roterod. s. d.

**S**i Celsitudinis tuæ ratio habeatur, Beatissime Pater, nemo vel Summorum Principum inveniatur, qui non veriturus sit ad te scribere. Quis enim non metuat eum compellare literis, qui quanto cæteri Mortales Pecudibus antecellunt, tanto ipse Mortales universos Majestate superat, & inter Homines prorsus cœleste quoddam agit Numen? Attamen singularis quædam Naturæ tuæ bonitas, & incredibilis Humanitas, qua quidem illam ipsam superas Magnitudinem tuam, qua superas & maximos, non solum publica totius Orbis voce prædicata, verum etiam ipsa, quod ajunt, fronte, totoque corporis habitu relucens, mihi vero, cum olim agerem Romæ, domestico etiam congressu degustata, tantum addit fiducia, ut nec ipse, infimæ pene fortis Homuncio, dubitarim Sublimitatem tuam meis interpellare literis. Atque utinam liceat vere beatissimis istis advolutum pedibus oscula figere. Video passim, audio passim, quacunque patet Orbis Christianus, summos pariter atque infimos sibi de tali Principe gratulari. Quod quideam cum omnes meritissimo faciant, nullos tamen æque

id facere par est atque eos, qui veræ Pietatis & optimarum Literarum studio ducuntur: primum quod nobilis illa & nominis immortalitate semper victura Medicum Familia, cui Leonem debet Orbis, semper excellentium probitate ac literis Virorum, & Altrix fuerit & Ornatrix. Ex quā nobis, velut ex Equo Trojano, tot eximii in omni doctrinæ genere Proceres, paucis jam annis exilierunt, tot Cicerones, tot Marones, tot Platones, tot Hieronymi: ut vel hoc unum omen Studiosos omneis summa in spem debeat erigere, Numinum Providentia Leonem Orbi datum, sub quo præclaræ Virtutes, sub quo Bonæ Artes omnes renfloescant. Jam vero ab isto tuo Genere adeo non degeneras, ut Domus alioqui multo omnium laudatissimæ Gloriam, tuis superaris Virtutibus, atque hoc ipso reddideris illustriorem, quod illius lucem Ornamentorum tuorum splendore quodainmodo obscuraris. Nimirum ad optimam Indolem optima accessit Institutio: & felicissimo Ingenii tui solo, longe bellissimus obtigit Cultor, politissimus ille Politianus: cuius opera non spinosis istic ac rixosis Literis, sed veris illis, nec sine causa Bonis appellatis, ac mansuetioribus, ut vocant, Musis es initiatus: quæ ferum etiam Ingenium mite placidumque solent efficere. Neque vero initiatus tantum, verum etiam absolutus. Itaque duæ res, quas in Principe Civitatis requirit Plato, Naturæ bonitas & recta Educatio, sic nobis constant

constant in totius Ecclesiæ Principe, ut amplius ne votis quidem concipi poslit. Neque vero defuit hisce tam egregiis primordiis, vel tua ipsius industria, vel Divini Numinis favor. Quibus rebus factum est, ut cum Romanæ Urbis libertas integerrimos quoque Viros non raro soleat adsperrgere: tu ut vitam, ita & famam modis omnibus illibatam ad istam attuleris Dignitatem, ad quam usque adeo nullis pecuniarum aut Factionum præsidiis penetraisti, ut nec ambiens, nec expectans, non tam Hominum suffragiis, quam Divini Numinis calculo delectus fueris atque adscitus. Neque vero mediocriter illustravit laudum tuarum Decus, illa Fortunæ sœvientis iniquitas, quæ sane Superum permisso videtur incidisse, quo nimirum genuina Virtus Animi tui, velut aurum igni exploratum spectatior redderetur Mortalibus. Nam ut Mario plurimum addidit laudis Fortunæ vicissitudo, ita quidam Alexandri gloriae hoc detrahunt nomine, quod perpetuo pene rerum successu fuerit usus. Timothei vero felicitas, picturis etiam fuit exagitata. Egregium Nauclerum adversa tempestas arguit. Insignis Sculptor, quo duriorem ac minus obsequenter natus est materiam, hoc majus Artis suæ miraculum præbet. In quovis rerum statu explicat sese genuina illa Virtutis vis: nusquam tamen clarior, quam quoties Noverca Juno Herculem suum omni genere malorum exercet. Magis illustrarunt Ulyssem tot exantlati labo-

res, quam feliciter excisa Troja. Quanquam il-  
lud sæpenumero videmus accidere, ut qui res  
adversas fortiter pertulerunt, Fortunæ blandien-  
tis indulgentia corruptantur. At tu quam in-  
tegritatem in rebus afflictis semper præstiteras,  
eandem hactenus ad summum rerum apicem  
evectus præstitisti; Nisi quod nunc tuam Bo-  
nitatem magis sentimus, dum nobis expressius  
Christi refers imaginem, cuius haud dubie vi-  
ce in geris, posteaquam ad summam Bonitatem  
summarique Sapientiam, par accessit Potentia:  
ut quantum pro tua Bonitate prodesse vis,  
quantum pro tua singulari Sapientia, qua ra-  
tione succurrendum sit Rebus humanis, per-  
spicis, tantundem pro Summi Pontificii fastigio  
possis. Ut enim nihil possit accidere pestilen-  
tius, quam si Pravitas ac Stultitia, Summi Ma-  
gistratus armetur autoritate: ita non alia res  
æque salutaris a Superis dari potest Mortalibus,  
quam si ad cuncta moderantis Dei similitudi-  
nem, tria hæc in Principe copulentur. Porro,  
quo major est Potestas, hoc perniciosior est, si  
inciderit in Hominem vel stultum, vel malum.  
Sensit illico Mundus Leonein gubernaculis re-  
rum adnotum, repente Seculum illud plus  
quam ferreum, in aureum versum: ac tanta,  
tamque fatalis subito rerum omnium commu-  
tatio, ut neimini non palam esset, hæc autore  
Deo geri. Compositæ Bellorum undæ, cohibi-  
tæ Principum inter ipsos minæ: acerbis odiis  
dissidentes Maximorum Regum animi in Chri-  
stianam

ftianam adacti concordiam: sublatum perniciōsissimum illud Schisma, & ita sublatum tam ingens malum, ut ne cicatrix quidem superfit. Ut fileam interim, quod aliquot Italæ Principes suis Civibus, quod complures Cives in exilium actos suæ Patriæ reddidisti: quod tuam Familiam diu Fortunæ injuria vexatam restituisti: quod Florentiam Civitatem tuam, quæ Majorum tuorum prudentia diu florentissima fuit, multo reddidisti florentiorem. Hoc nimirum erat Gentilitio Medicis cognomini respondere, tot tam immedicabilibus pene totius Orbis malis subito mederi: idque non vi, neque severitate, veluti sectionibus, inusturis, aut alioqui tristibus pharmacis: sed consilio, sed prudentia, sed Animi moderatione, sed mansuetudine. Alii laudibus vehant Bella a Julio Secundo vel excitata gnaviter, vel gesta feliciter, Victorias armis partas recenseant, Triumphos regaliter actos celebrent: quantumlibet hisce rebus Gloriæ tribuent, tamen eam cum multorum dolore conjunctam fuisse, fatentur necesse est. Ut interim fileam, quod ex Rei Bellicæ gloria, magnam partem fibi vendicant Principes, quorum ductu auspicisque negotium agitur: majorem fortasse Miles, cuius periculo, manibusque res geritur: maximam vero Fortuna, quæ nulla in re magis dominatur, quam in Bello. Ad Leonis autem gloriam nullus est qui ingeniiscat, nemo qui iussset: neque periculum est, ne quod in

plerisque fieri solet, damnet Posteritas, cui sua  
applauferit Ætas. Accedit huc, quod tua gloria,  
præterquam quod nulli non salutaris, nulli non  
laetissima fuit: tota tibi cœlestique Numinis  
propria est, ut quæ publico omnium bono  
bene fortunante Deo, incredibili tua Sapientia  
contigerit: atque vel ob hoc ipsum magis est  
propria tibi, quod illius munere contigerit, qui  
non favet iinmerenti. Ut maximum declararit  
Julium totus pene Orbis ad bellum excitatus,  
certe majorem téstatur Leonem pax Orbi restituta.  
Clarius arguit tuam magnitudinem, quod inclytus  
Iudovicus Galliarum Rex, se suaque omnia tuo  
submisit arbitrio, quam Julii, quod ab eo bello  
victus est, aut certe vexatus. Magis illustravit  
Autoritatem tuam Serenissimus Angliae Rex,  
hujus nominis Octavus, quod te Autore de-  
posuit arma: quam Julii, cum illius insin-  
ctu suscepit arma: propterea quod ad capes-  
sendum bellum facile quemvis alliciat Victo-  
riæ spes, nemini non blandiens, & haud scio  
an illis potissimum, quibus infidias struit For-  
tuna. At vero efficere, ut tantus Rex, imo ut  
Juvenis excenso atque invicto præditus animo,  
ad hæc tanto rerum successu velut exultans,  
Victoriam jam certam amittat e manibus, atque  
ex hoste acerrimo in summam transeat con-  
cordiam: id vero plane Divinitatis cuiusdam  
esse videtur. Denique ut pro tempore necessa-  
ria fuerit Julii severitas, certe magis saluta-  
ris fuit Leonis mansuetudo: multoque pro-  
pius

pius ad ejus accedens exemplar, cuius locum inter Mortales occupat Rom. Pontifex: nempe Solomonis illius pacifici, qui sua concordia Cœlum pariter ac Terram conciliat atque conglutinat, qui tolerantia vicit, non copiis: qui moriendo triumphavit, quique non aliorum sanguine sibi vindicavit Imperium, sed suo sanguine nobis Regnum cœleste comparavit. Proinde optimo jure sibi gratulatur Orbis Christianus, talem Leonem, in cuius ore reperit Mundus plus quam melleam dulcedinem. Quid enim pace dulcius? præsertim post gravissimos ac diutinos Bellorum tumultus, quibus inter nos collidebamur, immensa Christiani sanguinis jactura; ingenti bonarum Mentium dolore; magno Turcarum gaudio. Ad ipsam etiam illorum temporum recordationem inhorrescit animus. Sed cuiuscunque malum illud acceptum feret Posteritas, Medici certe debemus remedium. Quod superstest, confidimus fore, ut quemadmodum Sainsonis ænigma jam perspeximus, ita CHRISTORES tuas bene fortunante, mox & illud Apocalypseos in te quadret: Vicit Leo de tribu Juda. Sapientiæ Moderationisque tuæ dulcedinem jam sensimus omnes. Et Leonem videlicet illum vietorem, brevi spectabimus. Hoc nobis de te pollicentur Virtutes istæ tuæ jam incomparabiles: hoc utrumque nomen ominatur, & quod ad summum Pontificium attulisti, & quod creatus Pontifex adoptasti. Etenim cum Joannem audimus ac Leonem, quid aliud intelligamus, quam eximiam

Bonitatem cum invicto Animi robore conjunctam. Quin illud quoque felix auspiciū habere videtur, quod non solum Leonem habemus: quo nomine nullus adhuc fuit Romanus Pontifex, non egregie laudatus, verum etiam Leonem Decimum. Nam quicquid ingens esset, id decūnum appellabat Antiquitas. Proinde quicquid Virtutum in singulis Leonibus excelluit, id totum expectamus a Leone Decimo. Primi Leonis felicem Autoritatem; Secundi eruditam Pietatem, & sacræ Musices studium; Tertii præter salutarem Eloquentiam, animum quoque ad utramque Fortunam infractum; Quarti simplicem illam & a CHRISTO laudatam Prudentiam; Quinti sanctam Tolerantiam; Sexti Pacis ubique farciendæ studium; Septimi cœlo dignam sanctimoniam; Octavi integritatem; Noni effusam in omneis Benignitatem. Hæc inquam omnia nobis promittunt, non solum Nominum ipsorum haudquaquam contemnenda auguria, verum etiam hæc quæ jam abs te præstata videmus, quæ videmus apparari. Feliçes Rerum orsiis, felicem portendunt exitum. Porro Victoria spem hoc nobis facit certiorem, quod optime perspicit Sapientia tua, ut est gemina victoria, ita Bellum quoque geminum esse, alterum cum vitiis, nimirum omnium pestilentissimis, & haud scio an solis Christianæ Professionis hostibus: Alterum cum impiis & barbaris Christiani nominis, & Romanæ Sedis iniuricis. Ac prius quidem illud, ut magis necessa-

cessarium est, ita & longe difficilius, & a nobis maxime pendens, eoque maiore tractandum cura. Quod simul atque a nobis rite confectum fuerit, posterius hoc facile **CHRISTO** auxiliante conficietur. Ut ne dicam interim utriusque Belli longe diversam esse rationem. Alterum est ejusmodi, ut a bonis non nullis improbetur. Alterum uno cunctorum ore laudatum. Nam ad Bellum cum vitiis gerendum, haud dubie, adhortatur **CHRISTUS**, extimulat Paulus: at belli cum Turcis fuscipiendi, nec Autor est **CHRISTUS**, nec adhortatores Apostoli. Ut deimus utrumque gerendum, certe majore studio moliendum, quod indixit Spiritus ille cœlestis, quam quod instiuerunt Homines. Et haud scio, an, quemadmodum ipse **CHRISTUS**, una cum suis Apostolis ac Martyribus, beneficentia, patientia, sancta doctrina sibi subegit universum Orbem, ita rectius Turcas vitæ pietate subacturi simus, quam armis: ut iisdem rationibus vindicetur Christianum Imperium, quibus olim paratum esse constat. Quod si utrumque probandum est, probandum autem proculdubio, quicquid Romanus approbarit Senatus, neutra certe in recessat inaudita tua Pietas, Pater Beatissime, quæ simul & Christianæ Plebis Religionem, jam olim multis collapsam modis, & indies magis ac magis collabentem, saluberrimis, ut audio, Synodi Constitutionibus sarcit ac restituit & hujusmodi Constitutionibus, non quæ quantum,

stum, aut dominandi libidinem, aut tyrannidem  
oleant; sed quæ vere spiritum referant Apostoli-  
cum; quas qui quis a Patribus, non a Dominis  
profectas possit agnoscere; in quibus piæ Mentes  
ipsum CHRISTUM veluti loquentem vene-  
rentur. Hac igitur via molitur Sanctitas tua, ut  
CHRISTI Ecclesia veris ac suis opibus locu-  
pletetur, ut sua præmineat Gloria, ut sua polleat  
Ditione; breviter iis cœlestibus donis cumule-  
tur, quæ nonnunquam tum potissimum exube-  
rant, cum cæteris illis destituimur maxime. Quan-  
quam nec alteram illam Virtutis functionem vi-  
deris negligere, ut qui conciliandis omnium in-  
ter se Principum animis, componendisque Chri-  
stianorum rebus, pulcherrimam pariter ac tutissi-  
mam struis viam ad impiam Turcarum Gen-  
tem vel subigendam, vel profligandam. Non fe-  
rent aliquando Leonis nostri rugitum immanes  
illæ Beluæ, sentient, sentient invictum illud Leonis  
mansuetissimi robur quantumvis truculentæ Feræ,  
impares erunt Pontifici, magis pietate quam co-  
piis armato, ac Numen etiam immortale secum  
in bella trahenti. Video jam dudum, Beatissime  
Pater, quam ingens laudum tuarum campus se  
nobis aperiat, sed longe impar est hujus ingenio-  
li vis rebus tantis explicandis, ad tam divina fa-  
cinora nostra non adspirat Eloquentia vel potius  
Infantia. Atque utinam hoc studium detur Eru-  
ditis omnibus, ut velint, tum ea facultas, ut  
possint omnium seculorum memoria dignas  
Leonis Decimi Virtutes, dicendi viribus exæ-  
quare.

quare. Me quidem procul absterret tua Celsitudo, quem enim illa non absterreat? Et tamen nescio quo pacto, mihi vehementer gestit animus pro virili omneis ingenii nervos in hoc explicare, ut quanta extiterunt Leonis in Christianam Gentem merita, tanta & posteris habentur ac celebrentur, nullo unquam tempore intermoritura. Qua de re diu cogitanti mihi, cum exploratum haberem, nequaquam ingenii nostri praesidio confici posse, prope modum visum est, fieri posse, ut hac ratione utcunque, quod conor, liceat assequi, si ad id efficiendum immortalis alicujus per se Nominis adminiculo fuerimus usi. Perspiciebam divum Hieronymum sic apud Latinos esse Theologorum Principem, ut hunc prope solum habeamus, Theologi dignum cognomine: non quod cæteros damnem, sed quod illustres alioqui, si cum hoc conferantur, ob hujus eminentiam velut obscurantur, denique tot egregiis cumulatum doctibus, ut vix ullum habeat & ipsa docta Graecia, quem cum hoc Viro queat componere. Quantum in illo Romanæ facundiæ? quanta linguarum peritia? quanta omnis Antiquitatis, omnium Historiarum notitia, quam fida memoria, quam felix rerum omnium mixtura, quam absoluta Mysticarum Literarum cognitione: super omnia quis ardor ille, quam admirabilis Divini pectoris afflatus, ut unus & plurimum delectet eloquentia, & doceat eruditione, & rapiat sanctimonia. Atqui ut hunc

Virum unum habemus dignissimum, qui legatur ab omnibus: ita unus sic depravatus erat, sic contaminatus, sic conspurcatus, ut nec a Doctis posset intelligi. Videbam facinus quidem pulcherrimum, si nostra cura Doctor tam eximius Orbi restitueretur. Verum perspiciebam tantum esse in eo negotio difficultatis, ut ea res non unum desideraret Herculem. Tantum aberat, ut unum me parem esse posse considerem, adeo non Hercules, ut vix etiam homo. Attamen certatim adhortantibus Eruditis, efflagitantibus Episcopis: nominatim autem unico illo, non meo tantum, sed & omnium Literarum, omnis Virtutis, apud Britannos Mæcenate, D. Gulielmo Archiepiscopo Cantuariensi. Quo quidem Viro ut nihil habet illa Insula, vel eruditione, vel integritate, vel omnibus denique ornamenti Episcopalibus absolutius: ita non alium habet, ad provehendum optimarum rerum studium propensiorem: porro in omnibus negotiis, quæ ad Sedis Romanæ dignitatem, amplitudinem, ac maiestatem pertinent, ea pietate, ut majore non possit. Deinde jam veluti restitante, & ob immensam laboris magnitudinem, susceptæ provinciæ suppœnitentem, Reverendi in CHRISTO Patris Joannis Petri Caraffæ Episcopi Theatini, qui nunc apud Anglos, nomine Sanctitatis tuæ Oratorem agit, denuo redaccendit oratio, suaque voce & applausu reddito mihi animo in certainen revocavit. Quid enim non per-

persuadeat illa tam singularis Hominis Eloquentia? Quem non permoveat, tam integri, tam gravis Autoritas Præfus? Quem non inflammet tam rara Optimi Viri Pietas? Nam ad trium Linguarum haud vulgarem peritiam, ad summam cum omnium Disciplinarum, tum præcipue Theologicæ rei cognitionem, tantum homo juvenis adjunxit integritatis & sanctimoniae, tantum modestiae, tantum mira gravitate conditæ comitatis: ut & Sedi Romanæ magno sit ornamento, & Britannis omnibus absolutum quoddam exemplar exhibeat, unde omnes omnium virtutum formam sibi petere possint. Hic tantus tantum tribuit hisce meis laboribus, ut ne, si immodestissimus quideam sim, possim agnoscere. Et tamen nescio quo pacto laudibus illis suis, jam fesso calcar addidit, fatiscentem erexit, deficientem restituit. Horum igitur & his consimilium hortatibus extimulatus, atque in primis ejus auxilio fretus, qui non solet unquam piis deesse conatibus, veluti novus jam ad intermissum opus redeo. Epistolarum Volumina, nam hæc mihi proprie sumpsi, a mendis, quibus extincta fuerant verius quam depravata: partim veterum collatione Codicuum, partim nostrapte sagacitate repurgavimus: Græca, quæ vel deerant omnino, vel perperam erant addita, reposuimus diligenter. Quod idem factum est, & in Hebraicis: verum ἐν αὐτῷ θησέως, ut græcum habet Proverbium, quod eas Literas ipse primoribus modo labris degustarim.

rim. Ad hoc quoniam divus Hieronymus, ut est omni genere Literarum absolutissimus, ita mirus est opum suarum ostentator: ut qui paſſim gaudeat iſfulcire, quicquid uſquam apud omnis linguae Scriptores abſtrusum ac reconditum habeatur: unde fit, ut eruditus etiam Lector ad plerosque locos, velut ad salebras, reflitet. Adjecinus commoda suis locis ſcholia, quoties occurrit, quod Lectorem remoraturum esse videbatur. Præterea quoad licuit, in ordinem redigimus omnia. Nothos ac ſubditios Libellos quos partim caſus, partim Librarium quæſtus, aut incititia, partim improbiffimi cujusdam Impoftoris temeritas, Hieronymianis Lucubrationibus adinifciuit, non refcuimus quidem, ſed ab aliis ſemotos, ademptis titulis, in ſuum relegavimus Tomum: ut neque fit, quod deſiderare poſſet avidus magis quam elegans Lector: neque rurſum tam iſulfæ neniae, ſeſe poſthac tam incomparabilis Viri titulo venditarent. Atque id ne audacter magis quam judicio feciffe videremur, Præfationibus & Cenfuris additis, quid in his ſecutifimus, Lectorem docuimus. Quid multis? Tantum hīc laboris exantlatum eſt, ut parum abſuerit, quin meipſum enecarim, dum ſedulo adnitor, ut Hieronymus renascatur. Neque verebor illud vel jurejurando conſirmare, minoris ipſi Hieronymo conſtitiffe, suas ſcripſiſſe Lu-  
cubrationes, quam nobis reſtituiſſe & illuſtrafe. Fervet igitur jampridem ingens Opus, & apud

apud Inclytam Rauracorum Basileam totus renascitur Hieronymus: idque in Officina Frobeniana, qua non est alia vel accuratior, vel unde plus bonorum exeat Codicum, præsertim qui ad Sacras pertineant Literas. Neque vero unius hominis hic labor est, neque unius hominis impendium. Nam in cæteris Hieronymi Monumentis, quæ mihi non sumpsi, etiam si pro tempore non nihil opitulor, a compluribus eruditissimis Viris jam pridem est desudatum. Inter quos est eximius ille Vir Joannes Reuchlinus Phorcensis, trium linguarum Græcæ, Latinae, & Hebraicæ pene ex æquo peritus: ad hæc in nullo Doctrinæ genere non versatus, ita ut cum primis certare poscit. Unde merito Virum hunc ceu Phœnicem, & unicum suum Decus tota suspicit ac veneratur Germania. Neque parum attulit momenti Conon Nurebergensis, Theologus ex instituto horum, quos vulgo Prædicatores vocant, Vir ut Græcæ Literaturæ callentissimus, ita in adjuvandis Bonis Literis infatigabili quadam diligentia, cumque his Beatus Rhenanus Selestadiensis, Juvenis tum exquisite doctus, tum in judicando naris emunctissimæ. Porro plurimum attulerunt momenti, Fratres Amorbachii, quorum & impendiis & sudoribus cum Frobenio communicatis, hoc negotii potissimum peragitur. Quæ quidem Domus in hunc usum ab ipsis fatis parata videtur, ut ejus opera revivisceret Hieronymus. Pater, Vir omnium optimus, treis Filios

lios in hoc Græcis, Hebræis, ac Latinis Literis curarat instituendos. Ipse decedens, Liberis suis Studium hoc velut hæreditarium commendavit: quicquid erat facultatum huic negotio dedicans. Atque optimi Juvenes pulcherrimam Provinciam, ab optimo Parente mandatam graviter obeunt, sic mecum partiti Hieronymum, ut quod ab epistolaribus Libris supereft, id ad illorum pertineat curam. At quorsum hæc, inquiet Sanctitas Tua? Nimirum huc ibam Beatissime Pater, nihil est Hieronymiano nomine celebrius, nihil ipso comprobatus, & tamen video quantum huic lucis, quantum ponderis & autoritatis sit accessuum. Leonis Gloria nihil luculentius, & tamen haud mediocris, ni fallor, huic adjungetur accessio, si tam rati, tam ingens, tam inclytum Opus, felicissimo tui Nominis auspicio, veluti denuo renatum, in lucem & in hominum manus exeat. Et pulchre videtur convenire, ut omnes Bonæ Literæ, quæ Pacis alumnæ sunt, per eum Pontificem reflorescant, per quem otium & pax Studiorum altrix, Orbi terrarum parta est. Et pulchre quadraverit, ut primus Christianæ Religionis Doctor, ejusdem Religionis Antistiti summo dicetur: & optimus omnium Theologus, omnium optimi Pontificis titulo commendetur. Evidenter haud sum nescius, religiose quoque tentandum, ut Beatitudini tuæ quicquam de- dicetur: dignum Numine sit oportet, quod Numini consecretur. Attamen si sensero hac in re  
tuæ

tux quoque Majestatis favorem, non solum  
hasce Lucubrationes, verum etiam universum  
Studiorum meorum proventum cupiam Leo-  
ni consecrare. Ipse ex tantis sudoribus non a-  
lium expecto fructum, quam ut nostra qualis-  
cunque industria, Christiana Pietas ex Hierony-  
mi Monumentis adjuvetur. Is abunde repen-  
det præmium, in cuius gratiam hoc laboris de-  
sudo. A pluribus legetur, si fuerit a pluribus  
intelleximus Hieronymus, sed & libentius lege-  
tur ab omnibus, si tanti Pontificis calculo fue-  
rit comprobatus. Sanctitatem tuam nobis &  
universæ Reip. Christianæ, quam diutissime  
servet incolunem, semperque felicibus incre-  
mentis in majus provehat idem, qui te dona-  
vit Orbi, Christus Optimus Maximus. Datum  
Londini tertio Calend. Majas. Anno M. D. XV.

DOMINICO CARDINALI GRYMANO  
Erasmus Roterodamus.

S. D.

**Q**uo minus a primo illo, & eodem po-  
stremo congressu repetiverim Amplitu-  
dinem tuam, quemadmodum & illa jussérat, &  
ego me facturum receperam: non mea negli-  
gentia, sed tua magis inusitata quædam, &  
singularis comitas humanitasque fuit in causa:  
ac prorsus novo factum est modo, ut quæ res  
vel maxime debuerat ad redditum invitare, ea  
sola deterruerit ne redirem. Quid tandem istuc  
novæ rei fuit, inquies. Dicam equidem sim-  
pli-

pliciter, & quod Hominem decet Germanum,  
ingenu. Id temporis omnino decretum erat  
adire Britanniam. Huc me veterum necessitu-  
dinum affectus, huc potentium Amicorum am-  
plissima promissa, huc Regis omnium floren-  
tissimi propensissimus in nos animus vocabat.  
Hanc Insulam mihi Patriæ vice, adoptaram;  
hanc Senectuti meæ Sedem delegeram. Invita-  
bar, imo flagitabar crebris literis, modo non  
montes auri pollicentibus. Quibus ex rebus,  
homo strenuus alioqui pecuniarum contem-  
ptor, tantam auri vim animo conceperam,  
quantæ vix decem Paetolos eluendæ suffectu-  
ros crediderim. Proinde verebar, ne si redisset  
ad Tuam Celsitudinem, verterem animi decre-  
tum. Etenim qui primo statim colloquio, sic  
labefactaras, sic inflammaras animum meum:  
quid facturus eras, si diutius ac proprius fuisset  
congressus? Quod enim vel adamantinum  
pectus non flectat, tam amabilis ista morum  
tuorum comitas, tam mellita facundia, tam ex-  
quisita doctrina, tam fida juxta & amica con-  
filia? Denique tanti Primatis, tam expositus  
ad bene merendum animus? Sentiebam jam  
tum sensim labascentem animi sententiam, &  
cooperat quidem instituti suppœnitere, & tamen  
pudebat Virum parum constantem videri. Sen-  
tiebam Urbis amorem, quem vix excusseram,  
denuo tacitis auictibus gliscere: proinde ni me  
repente Roma divulsissem, nunquam deinde fue-  
ram Romanum relicturus. Abripui me, ne rursus  
afflarer,

afflarer, & in Angliam avolavi, magis quam profectus sum. Quid nunc igitur inquieres, num pœnitet confilii? num pœnitet non obsecutum fuisse amanter admonenti? Mentiri sane non est meum. Variæ res hæc afficere solet animum meum: neque enim non possum tangi Romæ desiderio, quoties tantus tantarum simul commoditatuum acervus in mensem venit. Primum Urbis omnium multo celeberrimæ lumen ac theatrum, dulcissima libertas, tot locupletissimæ Bibliothecæ, suavissima tot eruditissimorum Hominum consuetudo, tot literatæ Confabulationes, tot Antiquitatis Monumenta, denique tot uno in loco totius Orbis Lumina. Speciatim autem quoties succurrit cum aliorum Cardinalium, tum vero præcipue R. D. Nanensis, mirum quoddam erga nos studium; Card. Bononiensis propensissimus favor: Divi vero Georg. Card. non jam favor modo, verum etiam benignitas haud quaquam vulgaris: super omnia felicissimum illud cum Tua Pietate colloquium. Hæc vide licet faciunt, ut nulla prorsus Fortuna, tam benigna possit obtingere, quæ Romæ semel degustatæ desiderium eximat animo meo. Jam apud Britannos; tamen si Fortuna contigit non usquequaque pœnitenda, certe meis aliquanto major meritis: tamen, ut verum fatear, non omnino respondet, nec votis nostris, nec Amicorum pollicitis. Quæ res non tam accidit illorum perfidia, quam temporum iniquitate. Nam Regem ipsum, alioqui multo Regum o-

mnium benignissimum, ad hoc optime de Erasmo, tum sentientem, tum loquentem: id quod partim ipsius ad me literis, partim multorum prædicatione cōpertissimum habebam: subito ingruens Bellorum procella prope totum nobis eripuit. Tanto animo, tanto studio, pius ac generosus Adolescens Bellum apparabat, quod ad Ecclesiæ Romanæ dignitatem tuendam pertinere judicabat. Et Gulielmus Montjojus, vētustissimus post Henricum Bergium Episcopum Cameracensem, studiorum meorum Mæcenas, sic obrutus est belli oneribus, ut magis amaret quam succurreret, Vir antiquæ sane Nobilitatis, & incredibili beneficentia erga Bonarum Literarum Cultores, verum ut inter hujus Regni Barones, animo magis quam re beatus. Ut ne quid interim meam ipsius lentitudinem incussem, homo usque adeo non ambitiosus, ut plane Timothei fortuna sit opus, quæ dormientis impleat rete. Attamen quo minus pœnitere queat aditæ Britaniæ, Gulielmus Archiepiscopus Cantuariensis, totius Angliæ, non titulo tantum, sed omni decorum genere Primas, potissimum fuit in causa: Vir modis omnibus incomparabilis ac prorsus unicum ejus Regni Ornamentum & Præsidium, sapientia, judicio, doctrina, autoritate maximus: sed hoc tamen seipso major, quod ob singularem quantam modestiam, solus ipse magnitudinem suam non agnoscit: mira vitæ sobrietas, summa dexteritas ingenii, animus impiger, & ab otio prorsus abhorrens:

horrens: magnus rerum usus, ut qui in gravissimis Legationibus, maximisque Regum & Regni negotiis, jam olim sit versatus. Unde fit ut tot rebus administrandis, quot aliorum complures vix sufficient, unus non modo par sit, verum etiam supersit quod evolvendis bonis Autoribus, quod privatis Amicorum affectionibus impartiatur. Nam praeter Episcopi functionem, totius Regni Cancellarium, hoc est, summum Judicem agit. Is me sic amore complectitur, sic ornat autoritate, sic benignitate fovet, in summa sic ubique mirum quendam praestat Mæcenatem, ut si Pater esset, non possit indulgentius: si Frater, non possit amantius. Unde factum est, ut quod Romæ in tot egregiis Cardinalibus, in tot ornatissimis Episcopis, in tot eruditissimis Viris reliqueram, id totum in uno Homine mihi viderer recuperasse. Nunc vero posteaquam opera Leonis Pontificis vere Maximi, pax est Orbi restituta, multo quidem commodior est Britannica Fortuna: & tamen acrius etiam Romæ desiderio titillatur animus, dum & passim famæ præconio celebratur, & verisimillimum est, sub tali Principe veluti signo dato, quicquid usquam gentium est eruditionis eximiae, quicquid egregiae virtutis, hoc tempore Romam veluti in suum theatrum concurrere. Ante biennium igitur adornaram iter, comes futurus R. Patri D. Joanni Episcopo Roffensi, Viro omnium Episcopalium Virtutum genere cumulatissimo:

& ut compendio laudes illius explicem, Cantuariensi, cui Subsidiarius est, simillimo. Verum is ex itinere subito revocatus est. Rursum anno superiore meis auspiciis Basileam usque processeram. At hic quoque res quæpiam est remorata, nescio quid alii sensuri sint, at meo iudicio maxima: nam maximum fuerit oportet, quod ab Urbe potuerit avocare. Jampridem hoc moliebar, haud sane mediocribus vigiliis, ut divus Hieronymus nobis totus quasi renasceretur: quem sic Latini sumnum habemus Theologum, ut prope solum dicere liceat: sed eundem adeo depravatum, adeo confusum, adeo contaminatum, ut cum non sit aliis æque lectu dignus, tamen unus maxime sit, qui legi non possit, nedum intelligi. Hujus igitur Lucubrations omnes, præsertim Epistolares, in quibus plurimum erat negotii, primum in ordinem digessimus: deinde mendas, quibus obrutus erat magis quam oblitus, veterum auxilio Codicum, nostroque ingenio sustulimus. Addidimus cum argumentis commoda in loco Scholia, quo possit vel a mediocriter eruditis inoffensus legi, qui antehac, dicam audacter, sed vere, nec ab eruditissimis intelligebatur. Nam quemadmodum olim Romulus dictus est, non minus magnificus ostentator egregiorum facinorum quam gestor, ita videre est in divo Hieronymo novam quandam & variam eruditionem, cum sancta quadam ostentatione conjunctam. Græca & Hebraica, quæ vel deerant prorsus,

prorsus, vel sic erant adscripta, ut præstiterit nihil adscriptum fuisse, summa cura restituimus. Supposititia & adulterina, quæ quidem bona pars est, in suum relegavimus Volumen, ut nec desideraret aliquid avidus magis quam eruditus Lector, nec rursum indoctissima blateramenta tam incomparabilis Viri titulo diutius circumferrentur. Evidem perspiciebam Italiam, & Bibliothecarum auxiliis, & Regionis autoritate, ad Operis editionem magno usui futuram, sed cominodum offendit Basileæ quosdam ad id operis accinctos, imo jam aggressos: præcipue Joannem Frobenium, cuius & arte & impendio magna ex parte res agitur, nec non treis doctissimos Juvenes, Fratres Amorbachios, Hebraicarum quoque Literarum pulchre doctos. Atque his Literis non paucis in locis utitur Hieronymus. Ac mihi quidem hac in parte, juxta Græcorum proverbium Theseo quopiam fuit opus, ut qui Literas eas vix primo-ribus (ut ajunt) labris degustasse. His igitur in laboris partem adscitis, Herculano (quod ajunt) animo negotium aggressus sum. Fervet ingens Officina, excuditur elegantissimis formulæ: divus Hieronymus, imo renascitur, tantis impendiis & pecuniarum & sudorum, ut minoris constiterit Hieronymo sua conscripsisse, quam nobis restituisse. Mihi certe tantum hic laboris exhaustum est, ut parum abfuerit, quin ipse immorerer, dum studeo, ut ille renascatur. Summa, ni fallor, Operis, ad decem Vo-

Iumina succrescat. Sed quorsum hoc mihi, in-  
quies? Primum sciebam te pro perpetuo quo-  
dam tuo erga Bonas Literas studio pariter &  
Hieronymo gratulaturum, & nostris fauturum  
conatibus, imo fauturum Pietati Christianæ,  
cui plurimum adjumenti ex Hieronymianis Li-  
teris accessurum spero. Atqui hæc res, citra plu-  
rimarum & locupletissimarum Bibliothecarum  
auxilia confici, ut dignum est, non potest. Pro-  
inde si quid habet vel tua Bibliotheca, quam do-  
mi habes ditissimam, & omnijugis omnium  
linguarum Libris refertam, vel Sumini Pontifi-  
cis, aut aliorum, Pietatis tuæ fuerit, in publi-  
cam Orbis utilitatem impartire. Deinde mihi  
visum est vehementer congruere, ut summus  
Theologus, Summi Pontificis felicibus auspiciis  
exiret in manus hominum, ita restitutus, ut  
antehac nec editus videri possit: utque Scriptor  
omnium eruditissimus, ejus nomine commen-  
daretur Orbi, e cuius familia tot Literarum  
Proceres nobis prodissent. Sic enim pariter fo-  
re, ut tam eximii Pontificis autoritate, multum  
Hieronymo splendoris, ac dignitatis adjunga-  
tur, & vicissim ex eminentissimi Doctoris ce-  
lebritate, non mediocris accessio fiat Leonis  
Gloriæ. Nec enim video, quoniam alio monu-  
mento magis possint illius Decora immortali-  
tati consecrari. Huic igitur renatum Hierony-  
mum consecrabimus, præsertim si nostro judi-  
cio tuus accedet calculus. Nam alioqui prope-  
modum erat decretum, dicare Præsuli Cantua-  
riensi,

riensi, cui debemus omnia. Quanquam is quoque lubens ac volens, hoc quicquid est gloriæ, Romano Pontifici cessurus est, sat scio: eo est in istam Sedem animo. Et nos hujus memoriæ ita cum Leonis laudibus copulabimus, Optimi cum Optimo, Primatis cum Primo, ut hac via rectius etiam consultum fuerit, & Hieronymo, & Mæcenatis mei nomini. Edidimus præter alia per multa, Chiliadum Opus a nobis emendatum, & ita locupletatum, ut quarta Voluminis pars accreverit. Proxima æstate emisuri, varias, nec infrugiferas (ut opinor) Annotationes nostras in novum Testamentum, una cum Apostolicis Epistolis, sic a nobis versis, ut intelligi possint. In quo labore ita puto me ver satum, ut non sine causa post Laurentium Vallam, post Jacobum Fabrum, Virum juxta dictum, ac diligentem: videar hoc negotii suscepisse. Est in manibus Libellus de instituendo Principe, quem Illustrissimo Carolo Archiduci Burgundiæ, Maximiliani Nepoti, destinavimus. His defuncti rebus Commentarios, olim in Paulum inceptos, in manus revocabimus. Decretum enim est, quicquid superfuturum est ævi, id totum arcanis dedicare Literis. Nec ullus labor ab instituto deterrebit, si tuo tuique similium favore fulciemur. Scis enim jam vetustissimum illud esse, ut invidia, quavis excetra nocentior, egregiis conatibus semper obsibilet. Id quod nuper in summo illo Viro Joanne Reuchlino, non sine summo animi dolore

dolore conspeximus: Jam par erat, jam tempus erat, ut homo venerandæ senectutis, suis pulcherrimis studiis frueretur, & ex honestissima juvenilium semente laborum, suavissimam caperet messem. Conveniebat, ut Vir tot Linguis, tot Disciplinis instructus, hoc velut ætatis autumno, divitem ingenii proventum in universum Orbem effunderet. Ad hoc erat laudibus exstimalandus, præmiis invitandus, studio inflammandus. Et exortos audio, nescio quos, qui cum ipsi nihil præclarum efficere possint, perversissima via gloriam affectent. Deum immortalem! quam frivolis ex nugis quantas Tragoedias concitarunt! Ex libellulo, imo epistola, eaque Germanice scripta, quam nec ediderit ipse, nec edendam putarit, tantum excitari tumultus? Quis unquam vel scriptum novisset eum libellum, nisi isti Mundo publicassent. Quanto placabilius erat, si quid ibi fuisset erratum, ut errant Homines omnes, id vel premere, vel candide interpretari, aut certe tam eximiis Hominis virtutibus condonare. Non hoc dixerim, quod illic ullum videam erratum, qua de re sane aliorum est pronunciare: illud dicam, si quis ad istum modum malignius, & ut Græci dicunt *ἀποτόμως*, excutiat divi Hieronymi Libros, permulta reperiet a nostrorum Theologorum Decretis longe lateque discrepantia. Quorsum igitur attinebat Virum, & literis & ætate venerabilem, ob rem nihili in hujusmodi pertrahi turbas, in quibus jam septimum,

mum, opinor, perdit annum? Utinam hoc operæ, utinam hoc temporis, licuisset adjuvandis honestissimis Literarum studiis impendere. Nunc omnibus dignis præmiis, molestissimis litibus involvitur, non mediocri Doctorum omnium, imo totius Germaniæ & dolore & stomacho. Quanquam his omnibus spes est futurum, ut vestra opera Vir tam eximius & Orbi restituatur & Literis. Hyeme proxima Roma nos videbit, si modo faverit CHRISTUS Opt. Max. et Regia Majestas, una cum Archi-Episcopo Cantuariensi, denuo facultatem permittent abeundi; quam si non ipse, certe divus Hieronymus ab illis impetrabit. Te in plurimos annos incolumem ac florentem nobis, imo Literis & Orbi, servet optimus ille Samarites CHRISTUS, cui me totum addico dedicoque. Londini, Pridie Calend. Aprilis. Anno M. D. XV.

RAPHAELI CARDINALI SANCTI  
GEORGII Erasmus Roterodamus

S. D.

**Q**uod annis jam aliquot meæ filuerunt Literæ, non tuoruim in me meritorum oblivio fuit in causa R. P. quæ sane nec desii, nec desinam unquam, vel prædicare, vel meminisse: sed partim pudor quidam obstitit, quod improbum existimarem, tot gravissimis negotiis districtum, nostris insuper interpellare nungis: etenim aliquoties officiosum est, non salutare:

tare: partim temporum ipsorum iniquitas, quæ nobis plus quam ferrea inciderunt. Nam si leges silent inter arma, quanto magis tum silent Musæ virgines, cum tantis rerum procellis, personant, perturbantur, miscentur universa? Verum posteaquam Leonis Pontificis modis omnibus Maximi lætissimis auspiciis, Pax tandem est Orbi reddita; compositi Principum motus; sublatum illud omnium perniciosissimum Mundi dissidium, jam non solum meæ Literæ Romam ire gestiunt, verum ipse quoque mira quadam ardeo cupiditate, revisendi veteres illos meos Mæcenates. Est quidem apud Britannos Fortuna mediocris, ut minor & meis votis, & Amicorum promissis, ita meritis nostris major. Siquidem Rex ipse Henricus Octavus, cuius natura, mihi crede, nihil cogitari potest, vel melius, vel felicius: ita de nobis & loquitur & sentit, ut nemo vel amantius, vel honorificentius. Favent Episcopi, cum cæteri ferme omnes, tum præcipue Dunelmensis, qui Regi est a Secretis. Item Roffensis, Vir pietate doctrinaque singulari. Ad hæc Archiepiscopus Eboracensis, cuius nunc est incredibilis apud Regiam Celsitudinem, tum gratia, tum autoritas. Nam Regiis curis sic adeat, ut maxima pars publicorum negotiorum in hujus inclinet humeros. Porro R. Archiepiscopus Cantuariensis, totius Angliæ Primas, in quo Viro summum est, quicquid est optimum in rebus Mortalium, sic perpetua quadam benignitate, vel (ut verius

rius dicam) pietate, nos foveat, tuetur, ornat, ut si Frater esset aut Pater, non posset amantius. Et tamen non possum non discruciar Romanae Urbis desiderio, quoties animo recursat, quam libertatem, quod theatrum, quam lucem, quas deambulationes, quas Bibliothecas, quam mellitas Eruditissimorum Hominum confabulationes, quot mei studiosos Orbis Proceres, relicta Roma reliquerim. Atque adeo nonnunquam ipse mihi quovis infortunio dignus videor, qui te tantum ac talem Mæcenatem, sic de me meritum, sic ad ornandum & evehendum me modis omnibus propensum & expositum, cum quavis fortuna cominutandum duxerim. Sed quid facerem? Monteis aureos, imo plusquam aureos suis literis pollicebantur Amici. Certa promittebat Gulielmus Montjojus, & quidem ingentia, eaque rursum cum summo otio, vittaque libertate conjuncta, quam ego sic amplector, ut si quis hanc adimat, vitam esse non puteam. Defuncto Regi successerat plane Divinæ cuiusdam indolis Juvenis, nec ineleganter bonis Literis initiatus: nostri vero adeo jam multo ante studiosus, ut paulo ante Patris obitum, cum in Italia viverem, Literas ad me dererit, & suopte Marte conditas, & propriis descriptas articulis: sed ejusmodi, ut vel ex his singulare quoddam & Regno dignum ingenium possis agnoscere. Ex hisce videlicet rebus totus Midas, plusquam Pactolos ac Tagos animo conceperam. Seculum quoddam vere aureum,

aureum, & Insulas Fortunatas somniabam, *καὶ τὸν γεόμην*, ut inquit Aristophanes. Quanquam, ut vere dicam, non tam mihi defuit Fortuna, quam ipse Fortunæ defui, homo sic abhorrens a communibus negotiis, sic alienus ab ambitione, imo adeo socors, ut plane Timothei Fortuna sit opus, quæ dormientis retibus felicitatem implicet. Itaque nihil est, quod incussem Amicos, quibus una mecum blandissima spes imposuit. Siquidem cum reliquos Amicos, tum Regem ipsum, aurei Seculi Parentem, mox secuta bellorum procella, Musis omnibus præripuit. Adeo Juliana illa tuba Mundum universum ad Martis studium exciverat. Ceterum rebus jam vestra sapientia tranquillatis, velut de integro totus ad literarum accingor munia. Quanquam nec in mediis illis bellorum tumultibus unquam est a nobis cessatum. Emisimus enim cum alia permulta, tum Adagiorum Opus, diligenter a nobis recognitum, & ita locupletatum, ut quarta Voluminis pars accreverit. Excuditur jam dudum divus Hieronymus totus, imo renascitur, antehac adeo depravatus ac mutilus, ut nunc non tam restitutus, quam primum editus videri possit. Hunc non aestimandis sudoribus, multis collatis Exemplaribus, iisque pervetustis, emendavimus, adjectis in loco Scholiis, quo possit inoffensus legi. Scis enim apud hunc passum insulciri, quæ Lectorem obscuritate remoren-  
tur. Græca atque Hebraica vel reposuimus, vel cor-  
reximus.

reximus. Nothos atque suppositios Libros, quorum alios casus, alios impostor aliquis admiscuerat: non amputavimus quidem, sed insuum rejecimus Tomum, neve quid desiderare possit Lector avidior, quam elegantior, neve insulfissimi Blateronis nugæ, tam excellentis Viri titulo diutius fese venditarent. Excuditur ingens Opus, ad decem opinor Volumina rediturum: & excuditur tantis impendiis, tanta cura, ut ausim dejerare, his annis viginti, nullum Opus ex Iulius exisse Officina, pari sumptu, parive studio elaboratum. Nec arbitror ipsi Hieronymo tantidem constitisse suas Lubrurbationes conditas, quanti nobis constabunt restitutæ. Ipse certe in hoc negotium tanto incubui studio, ut parum abfuerit, quin meinet labore conficerum, dum operam dō, ut reviviscat Hieronymus. Verum ita fert animus, tam pio, tamque frugifero labori, vel immori libet. Nam mihi res quam cordi sit vide: anno superiore totos octo menses Basileæ sumus hac gratia commorati, non sine summo rei pecuniarie dispendio, ut laborem & iter omnium periculosissimum negligam. Ac proximo rursum autumno certum est Italiam repetere, quo videlicet ditissimas istas lustræm Bibliothecas. Nullius unquam laboris me piguerit, modo sensero tuum tuique similium favorem, nostris adspirare conatibus. Ad hæc nondum statui, sed ex tuo constituam consilio, cui sit hoc Operis inscribendum. Archiepiscopo Cantuariensi ni-

hil non debo. Dignissimus enim est, quem unum omnis mea celebret pagina. Alioqui probe videbam conventurum, ut Theologorum omnium Princeps, Pontificum omnium Principi consecretur, imo ut omnes Bonae Literæ ejus auspiciis reflorescant, per quem Pax est Rebus humanis redditâ, Literarum ac Studiorum Altrix. Video vicissim & Hieronymo non parum accessurum commendationis, ex Leonis nomine, & hujus nomini plurimum decoris addituram Hieronymianarum Lucubrationum Dedicationem. Verum hisce de rebus coram & pluribus & diligentius. Interim oro, ut si quid inciderit, eum Patronum praestes Erasmo, quem Romæ sum semper expertus. Si qua res exorietur, in qua infimi Clientuli obsequio non gravaberis uti, praesertim apud Archiepiscopum Cantuariensem, efficiam ut intelligas, omnia mihi defuisse potius quam fidem ac diligentiam. Sed illud pene exciderat, majorem in modum te & obsecro & obtestor, per Bonas Literas, quibus Tua Celsitudo semper unice favere solet, ut eximius Vir Dominus Joannes Reuchlinus, in suo negotio æquos vos sentiat & benevolos. Eadem Opera bene merebimini de Literis ac Literatis omnibus, quorum ut quisque doctissimus est, ita illi impensissime studet. Huic omnis debet Germania, in qua primus Græcarum & Hebraicarum Literarum Studium excitavit. Vir est enim complurium Linguarum egregie peritus, variis expolitus Disciplinis, jam

jam Libris editis clarus, & Orbi Christiano notus, Cæsari Maximiliano cum primis gratus, ut cui sit a Consiliis, gravis & honoratus apud suos, inter quos Triumviri munere fungitur, famæ semper hactenus incontaminata. Ad hæc se neclute jam & canitie reverendus. Proinde & ille promerebatur, ut hac ætate honestissimum Studiorum, dulcissimam meteret messem, & nos expectabamus, ut quod annis compluribus condidit, nunc in communem omnium deproimeret utilitatem. Bonis igitur omnibus indignissimum videtur, non solum apud Germanos, verum & apud Anglos & Gallos, quibus ex Literis notus est, tam eximium Virum, tot ornamentis pulcherrimis cunulatum, tam odiosis divexari litibus, idque ex ea re, quæ meo sane judicio vel ipsam asini umbram superet, in quam jocus extat proverbialis. Principum arma, vestra sapientia, cohita sunt, eadem & Literarum Cultoribus suani restitutæ pacem. Procul ejiciatur, quicquid rancorem, quicquid simultatem sapit. Posteaquam Principes vobis Autoribus in concordiam redierunt, absurdum est eruditos Viros libris ac jurgiis inter se conflictari, & cum illi tela habeant innoxia, hos se mutuo stilis veneno tinctis, configere. Quanto præstiterat hunc hominem, quod operæ, quod sumptus, quod temporis his litium tricis impendit, honestissimis Literis impartisse. Multis hîc gratiisior est Julii Secundi memoria, quod Jacobum Wimphe-

lingum, Virum præter Eruditionis & Sanctimoniæ commendationem, jam senio quoque venerabilem sua ipsius voce ab hujusmodi litibus absolvit, & calumniatoribus silentium indixit. Crede mihi, innumeros Mortales sibi devincturus est, quisquis Joanneum Reuchlinum Musis ac Literis restituerit: Bene valeat Tua Pietas, cui me, quantus quantus sum, dico consecroque. Londini, pridie Calend. Aprilis, Anno M. D. XV.

## LEONI DECIMO PONT. VERE MAX.

Erasmus Roterodamus

S. D.

**A**bunde felix mihi videbar futurus, Beatisseme Pater, si Sanctitas Tua boni modo consuluisset meam vel temeritatem, vel sedulitatem, qui non veritus essem Pontificie Majestatis Celsitudinem, & quod est augustius Leonis incomparabile fastigium, ultiro meis interpellare literis. Verum haec ut video, audacia mihi longe felicissime cessit: vicit enim & spes & vota nostra Pietas ista tua plusquam paterna, sponte missis duobus Brevibus, quorum altero me meaque studia locupletissimo simul & gravissimo testimonio ornat, altero Regiae Majestati, non minus animanter quam diligenter commendat. Summum est, Numinis æterni suffragium promeruisse: huic certe proximum esse reor, Summi Pontificis oraculo comprobari: plus etiam Leonis, hoc est ejus qui sum-

summam inter Mortales Dignitatem, omni virtutum ac literarum genere vicissim condecorat. Ea si mihi mature fuissent reddita Basileæ tum agenti, ne itinerum quidem ulla pericula me detergere potuissent, quo minus ad Beatissimos istos Pedes advolasse. At nunc in Patriam reversum, cum ætas nonnihil ingravescens remoratur, tum vero Principum retinet benignitas, & rarus quidam Patriæ in nos affectus alligat. Siquidem Illustrissimus Princeps Carolus, Rex Catholicus, hujus Seculi nostri Lumen ac Decus incomparabile, in cuius Ditione natus sum, cujusque Patri Philippo, quondam fui non modo notus, verum etiam charus, & absentem me annuo Salario benignissime invitavit, idque nec ambientem, nec expectantem. Et reverso ac vix etiam reverso, Sacerdotium, tum amplum, tum honorificum detulit. Cæterum quantum Serenissimi Regis Anglorum pristino erga me Favori, quantum Reverendissimi Cardinalis Eboracensis in me benevolentæ, & quantum Archiepiscopi Cantuariensis veteri erga me studio e commendatione Tuæ Sanctitatis accesserit, certis argumentis habeo compertum. Ea tum mihi gratior accedit, tum apud illos fuit efficacior, quod non extorta precibus, sed ultiro præstata fuerit. Proinde cum perspiciam me Tuæ Beatitudini debere permultum, plurimum eidem debere cupio. Imo juvabit omneis fortunas meas ac felicitatis summam uni Leoni acceptam fer-

re. Est autem, meo quidem animo, nonnulla felicitatis pars, debere libenter. Quid id sit, Reverendus in CHRISTO Pater, Episcopus Wigorniensis, invictissimi Anglorum Regis apud Tuam Sanctitatem perpetuus Orator, coram exponet, & Andreas Ammonius Tuæ Sanctitatis apud Anglos Nuntius literis significabit. Quia quidem in re non dubito quin eam bonitatem sensurus sim, quam mihi, tum ista naturæ tuæ benignitas, qua vel maxime CHRISTUM, cuius vices meritissimo geris, refertur Sanctitatis Tuæ literæ ultro pollicentur: præsertim cum ejusmodi sit negotium, ut non perinde ad meam pertineat dignitatem, cui candide faves, quam ad publicam Orbis utilitatem, cui omnes tuæ vigilant solicitudines. Poteram ad hancce rem impetrandum Summorum Principum abuti commendatione, verum malui quicquid hoc est beneficii, in solidum, Tuæ unius debere Benignitati. Quod sane quanquam non ignoro fore majus, quam ut ullis Mortalium officiis rependi queat, ad hæc eam esse Fortunæ tuæ magnitudinem, ut a nomine sibi referri gratiam postulet: mei tamen officii fuerit, adniti manibus pedibusque, ne tam eximiam beneficentiam, in hominem aut omnino indignum, aut parum memorem parvumque gratum collocasse videaris. Novum Testamentum, simul & Græce & Latine editum, a nobis recognitum, una cum Annotationibus nostris jampridem in lucem exiit, faustissimi

simi tui nominis auspiciis. Quod Opus an omnibus probetur, nescio : certe hactenus a probatissimis, ac primariis Theologis probari compereo, cumprimis autem ab incomparabili Antistite Christophoro Episcopo Basiliensi, quo teste liber excusus est. Nec enim hoc labore veterem, ac vulgo receptam Editionem convellimus, sed alicubi depravatam emendamus, aliquot locis obscuram illustramus: idque non ex animi mei somniis, nec illotis (ut ajunt) manibus, sed partim ex vetustissimorum Codicium testimoniis: partim ex eorum sententia, quorum & doctrinam & sanctimoniam Ecclesiastica comprobavit Autoritas, nempe Hieronymi, Hilarii, Ambrosii, Augustini, Chrysostomi, Cyrilli: semper interim parati, aut modeste rationem reddere, si quid recte docuimus, aut libenter corrigere, sicuti imprudentes, ut homines, lapsi sumus. Volumen unum recens adhuc & ab ipsa etiamnum calens officina, Romani hyeme proxima misimus, quod Sanctitati Tuæ redditum opinor. Et nunc alterum mitterem, ni scirem nisquam terrarum non jam vulgatum Opus. In eo tametsi sudatum est a nobis acriter, quantum & temporis modus a Principe indulti, & valetudinis ratio patiebatur: tamen haud defatigabor unquam, haud conquiescam, donec ita locupletatum, elimatum, elaboratumque reddidero, ut Leone & præter Pontificii Dignitatem Maximo, non omnino indignum videri possit. Hieronymus to-

tus, haud malis, ut opinor, avibus renatus, mense Septembre proximo, ingenti Doctorum omnium expectatione proditurus est in lucem. Quin posthac nulla ab Erasmo proditura est pagina, quæ Leonis Optimi juxta ac Maximi Pontificis præconium non sit habitura. Non postulat hoc tua singularis modestia, verum id debetur tuis divinis meritis, & totius Orbis interest, tam undique laudati Pontificis exemplum in posteros transmitti. Si natura nobis ad hoc efficiendum deerit, tamen ipsa beneficij tui magnitudo, ipse hujus pectoris tibi dediti ardor, ante omnia divinæ istæ tuæ virtutes, ingenii vim, ac dicendi copiam suppeditabunt. Bene valeat Tua Sanctitas, quam CHRISTUS Optimus Maximus Religioni suæ illustrandæ propagandæque, ac sublevandis rebus Mortaliuum quam diutissime servet incolumem. Londini, quinto Idus Augusti, Anno M. D. XV.

## ERASMUS ROTERODAMUS URBANO RHEGIO

S. D.

**E**xhibuit tuas literas haud vulgaris Amicus meus ac Patronus Joannes Faber Officialis, sed eo tempore, ut non potuerit intempestivius: quippe jam non solum in ipso Operis calce simul & capite tumultuanti, sed multorum etiam mensium perpetuis laboribus enecto verius quam fatigato. Quibus hoc certe debo, quod Urbanum cœperim cognoscere, Virm,

rum, id quod indicant literæ, candidum, prudenterem, facundum, eruditum, in summa, omnibus omnium Gratiarum ac Musarum dotibus undique præditum. Talem Principem vere magnum magnopere gratulor nostræ Germaniæ, cuius utinam essent quam plurimi similes, qui ad eas res, quæ semper egregiis Heroibus dignæ sunt habitæ, adjiciant animum: cui sane jam pluribus nominibus debo plurimum, vel quod tam amanter errat in Erasmo, vel quod tam munifice provocat & invitat ad ea, quæ mihi studiis omnibus erant ambienda, si modo liberum esset cuiquam me addicere, posteaquam Illustrissimo Principi Carolo, & meo Principi sum addictus, idque suffragiis Consilii Principalis excepta, seu recepta potius libertate. Quam si videbo periclitari, cuncta resignavero. Neque tamen defeci, nec unquam defecturus sum ab eximio Mæcenate meo Archiepiscopo Cantuariensi. Verum in confinio constitutus confido futurum, ut utrique satisfaciam Patriæ, tum ei in qua natus sum, tum ei in quam sum cooptatus. Alioqui ne senectutem quidem excusarem, tametsi plus est senii quam senectæ: nam annum ago, non plus, undequinquagesimum. Sed ætas non annis est æstimanda, imo viribus. Quod si feret itineris mei ratio, non gravabor bidui triduive dispendio, tam eximii Principis conspectum emercari. Cujus nomine ut nos invitaſti, ita vicissim illi meo nomine gratias ages, pari facundia epistolæ nostræ bre-

vitatem simul & rusticitatem excusabunt occupationes. Quæ si tibi vere cognitæ essent, mirareris etiam hoc ipsum qualemque est, a me scribi potuisse, tantum abest ut offendereris. Vale. Basileæ, sexto Calend. Martias, Anno M. D. XVI.

DES. ERASMUS ROTER. PAULO  
BOMBASIO SUO  
S. D.

**I**mo, quo potius Bombasius ille Mavortius, Ιωάννης ὁ μητρώος λέξω, δαιφεων, quam ad Helvetios? Nec erat quod illic metueres, ne quemadmodum Trebatius apud Britannos frigeres, cum passim etiam mediis brumis sudetur in hypocaustis. Distuli tuis respondere literis, quod existimarem fore, ut præsens præsentem amplecterer, vel Romæ, vel apud Helvetios. Eximum Antonium Puccium Legatum apostolicum hic offendi, hominem multis quidem eximiis dotibus suspiciendum, at mihi non alio nomine chariorem, quam quod Bombasio ex animo benevult. Is ubi Basileam sese contulisset, protinus per suos me salutat, invitat instanter ad colloquium & prandium. Quid multis? accepit Umbras meas, hoc est, eos quos mihi notos & charos, mea causa invitarat, inprimis Beatum & Amorbachios, tibi quoque notos. Ipse Vir tantus coactus est in hoc pistrinum descendere, si vellet Erasinum complecti. Sed unde, inquieris, Erasmo tantum supercilii? mi

Bom-

Bombasi, tam inhumanum, tamque superbum  
me non animus, sed morbus reddiderat, omnium  
sceleratissimus. Is me plus mensem affli-  
xit, atque ex intervallo sic repetiit, ut Medicos  
accerferem, quod non soleo, nisi cum prope-  
modum tædet vitæ, & ita hæret malum, quasi  
destinarit expugnare. Pacæus ad nos reversus,  
non epistolis, sed justis voluminibus, me cre-  
bro salutavit: neque tamen contigit colloqui,  
quod mox a Rege fuerit in Britanniam accersi-  
tus. Eum tibi cordi fuisse nihil hercule miror  
οὐσίον οὐσίων. Is apud suos dici non potest, quam  
sit charus omnibus, præcipue Regi humanissi-  
mo, & Cardinali Viro incomparabili. Scis,  
optime Bombasi, quam semper abhorruerim ab  
Aulis Principum. Quam vitam ego nihil aliud  
judico, quam splendidam miseriam ac persona-  
tam felicitatem: at in talem Aulam lubeat de-  
migrare, si liceat rejuvenescere. Rex, omnium,  
quos habet hæc Ætas, cordatissimus Bonis Li-  
bris delectatur. Regina non tantum in Sexus  
miraculum literata est: neque minus pietate  
fuspicienda, quam eruditione. Apud hos plu-  
rimum pollent, qui Bonis Literis, qui pruden-  
tia antecellunt. Thomas Linacrus Medicum  
agit: hunc Virum frustra tibi prædicem cum  
libris editis, qualis sit, declareret ipse. Cutber-  
tus Tonstallus illi est a Scriniis, quod munus  
apud illos primæ dignitatis habetur. Non cre-  
das mi Paule, cum hunc nomino, quam im-  
mensum omnium bonarum rerum Mundum

com-

complectar. Thomas Morus est a Consiliis, non Musarum modo, sed leporum & Gratiarum delicium unicum, cuius ingenium aliqua ex parte ex illius Scriptis subodorari potuisti. Pacæus huic pene germanus, ab Epistolis. Gulielmus Montjojus Reginæ famulitio præfectus est. Joannes Coletus est a sacris Concionibus. Præcipuos duntaxat recensui. Joannes Stoclerus præter Scholasticam hanc Theologiam, in qua nemini cedit, trium etiam Linguarum haud vulgariter peritus, a Sacris. Hujusmodi Viris ea differta est Regia, verius  $\mu\sigma\epsilon\tau\circ\sigma$  quam Aula, quas tu Athenas, quam Stoam, aut quod Lyceum ejusmodi prætuleris Aulæ? Quod mihi de Fabro gratularis, non minus ingratum est, quam fuit invisa Conflictatio: atque utinam ille moderatus lacefisset. Sed ita est, nemo omnibus horis sapit. Hoc quicquid est mali, meis imputare Fatis libet. Quid enim aliud faciam? Vir probus est Faber, eruditus, humanus, denique vetus etiam amicus. Sed eam felicitatem mihi Genius aliquis, opinor, malus invidit: & nunc eo sum in Virum animo, ut mihi vehementer molestum sit futurum, si quisquam de Fabro mea causa pejus sentiat. De recriminatione rumorem spargunt quidam, qui Monomachiis hujusmodi delectantur. Cæterum inter nos animorum consensus est: neque vero coimmittemus, ut tam veterem, tamque sinceram amicitiam, una nubecula dissidii videatur abolevisse. Si inter Barnabam & Paulum incidit  $\pi\alpha\varrho\sigma\zeta\nu\sigma\mu\circ\sigma$ , quid

quid novum, si inter nos humani quiddam extitit? Quantum istic Eruditi tribuant Scriptis meis, nescio: certe hic plus tribuunt, quam agnoscam. Et tamen non desunt, qui fortiter obganniant: sed ejusmodi ferme, ut aut non legant mea, aut qualiacunque sunt, frustra lecturi sint. Quod ni me tot bonorum Virorum candor consolaretur, jam dudum pœniteret tantarum vigiliarum, quas communibus studiis, præcipue vero sacris, pro mea virili juvandis insumo. Rumores quos vulgo spargunt de Turcis plerisque suspecti sunt, quod toties jam experti sint, alio spectare remiges, alio provehi cymbam, nec usquam esse verius τὸ πολλὰ τὰ πολέμα νενά. Sed quicquid istuc negotii est, precor, ut omnibus bene vertat: suscipitur enim ingens rerum humanarum commutatio non sine discrimine. De Marco Musuro & Palæoto rem acerbam nuntias, & interim cum cornicibus omnibus certabit, ὁ παρὰ τὴν εἰσόδον, αἱλὸς ταῦτα γε Θεῶν ἐν γένεσι νεῖται. Periit & apud Gallos Faustus, & apud Britannos Andreas Ammonius: quorum alter diu regnavit Lutetiæ, alter ad sumimam Dignitatem emersurus erat, si vita diuturnior contigisset. Tu cura ut recte valeas. Basileæ, septimo Calend. Augusti, Anno M. D. XVIII.

D E S. ERASMUS ROTERODAMUS  
PETRO ÆGIDIO SUO

Nactus

**N**actus sum h̄ic cubiculum, quod in tanta  
Hominum frequentia perdifficile est, sed  
perquam angustum, vicinum tamen Aulæ, &  
quo mihi magis commendatur, vicinum Ton-  
stallo. Proinde fac, ut primum licebit, libros  
meos huc transmittas seu navi, seu vehiculo, si-  
mulque per alium quempiam scribito, cui com-  
miseris, & quo jussieris deportari. Pompilius,  
ut video, artificem agit, morem videlicet anti-  
quum obtinens, quod fero moderatius. Ali-  
quando fortassis usū veniet, ut par pari referam.  
Vis audire quod rideas? Quod aliis diu multum-  
que sudantibus, s̄epe non contingit, id mihi  
pene obtigit dormienti. Rex Catholicus me  
propemodum Episcopum fecerat: ubi inquies?  
non apud extremos Indos, unde tamen aurum  
attrahit noster Barbirius, præfectus iis, quos  
nunquam visurus est, verum apud Siculos, Græ-  
culos olim, & nunc quoque dicaces ac festivos,  
sed feliciter erratum est, & ex animi mei sen-  
tentia. Postea compertum est, ejus honoris col-  
lationem ad summum Pontificem pertinere:  
mox Rex literis a Pontifice flagitavit, ut sui re-  
spectu fineret eam collationem valere. Hæc  
Bruxellis aguntur, dum nos Antverpiæ otiosi  
nugamur in Literis: atque id erat, cuius gratia  
me jusserrat evocari Cancellarius, quod si subolu-  
isset, contantius huc commigrassem. Cum  
advenienti gratularentur, qui qui erant consciī,  
beneque omninarentur, ego nihil aliud quam ri-  
dere poteram, & tamen pro animo gratias egi,  
sed

sed admonitis, ne posthac in hujusmodi negotio susciperent inanem operam, me meum otium cum nullo, quamvis splendido Episcopatu, permutare. H abes somniuin, quod rideas: & tamen mihi non displicuit tanti Principis animus, qui fere non favet, nisi quos probos aut novit, aut certe putat. G audeo mi Sua-  
vissime Petre, quod te tanta levarim molestia:  
jam enim me tui tuæque Uxorculæ miseresce-  
bat, nec mihi tamen hoc quicquid fuit mole-  
stiaæ potes imputare. Animus iste tuus, amore  
quodam immodico, officiis in me congerendis  
nunquam sibi satisfaciebat, Uxor raro tibi,  
quæ id cumprimis habet studio. Nunc absen-  
te Erasino, fruere tua commodius. Quantulum  
enim est hoc quod nobis adimit locorum se-  
junctio? Quod ipsum tamen licebit crebris sar-  
cire Literis, quas opto, ut quam maxime ala-  
cres hilaresque nobis mittas: sic enim intelli-  
gam te recte valere, quod ita mihi cordi est,  
ut nihil magis: hujus rei pars maxima, mihi  
crede, tibi ipsi in manu est. Plerique morbi  
nobis ab animo profiscuntur, & minus offendere  
ris studii laboribus, si ratione studia tua mode-  
reris. Bibliothecam tuam, epistolas ac schedas  
omneis in certos nidulos redigas, neque teme-  
re nunc in hunc, nunc in illum Autorem rapia-  
ris, sed unum aliquem ex præcipuis in manus  
sumito, non relicturus prius, quam ad calcem  
usque perveneris, annotatis interim, quæ digna  
memoratu videantur. Certum aliquod vitæ

genus

genus ipse tibi præscribito, quid quibus horis agere velis. Nec alia super alia congere, nisi prioribus explicatis: ita diem, qui nunc pene totus intercidit, tibi reddideris longiorem. Et quoniam incusas memoriaim, mea sententia profuerit, si in singulis annos Fastos pares, non est res magni negotii singulisque diebus annotes verbo, si quid extiterit, quod nolis obliuisci. Novi qui hac diligentia plurimum profecerint: in priinis egregius ille Franciscus Buslidius, Archiepiscopus Besontinus. Ante omnia vero te rogo etiam atque etiam, ut in rebus agendis consuecas judicio potius quam animi impetu duci. Si quid offendes, statim dispice, si quaderi possis, aut si qua minui queat malum: id rectius dispicies tranquillus, quam commotus, si quid est remedii, utere: sin minus, quæso te, quid boni adfert ira, aut mœror? nisi quod malum tuapte culpa conduplicas. Obsercro te per amicitiam nostram, nihil tibi sit antiquius vita & salute. Si rem tueri potes hac incolumi, tuere: sin minus, dispendiosum compendium est, rem incolumem præstare salutis aut tranquillitatis jactura. Denique si tibi ipsi parum es charus, vide ne duos eadem perdas opera. Neque enim aliter nobis videbimus incolumes, nisi te incolumi: quem ego, sic me Deus amet, potiorem mei portionem duco. Ne nimium operæ sumas in rebus leviculis: Fugax Ætas & vitrea res Valetudo, non quibuslibet est impendenda, quædam despicienda sunt,

sunt, & animus ad magna erigendus. Senecam ac Platonem tibi facito familiares: hi si crebro tecum confabulentur, animum tuum non sinent jacere. Vere magni est animi, quasdam injurias negligere, nec ad quorundam convitia habere vel aures, vel linguam. Fac aliquoties periculum, quanto plus valeat obsequium, & cordata blandiloquentia, quam animus præceps & impotens. Patris optimi senectutem, ita ut facis, officiis subleva, non solum quia Pater est, sed multo magis quia talis Pater. Sinceris Amicis utere, fictis abutere. Cum Uxorcula sic vivito, ut non tantum coitus causa te diligat, nec diligit modo, verum etiam reveratur: ei sic fidas, ut ea duntaxat communes, quæ vel ad rem domesticam, vel ad vitæ jucunditatem pertinent. Ita tuearis autoritatem erga tuos, ut nihilo fecius consuetudinem domesticam condiat morum comitas. De Liberis educandis frustra tibi præcipiam, cum tale exemplum habeas a Patre. Vides Petre suavissime, ut tibi consulam, ipse mihi parum consulens, sed ut sic ineptiam, tui compellit amor. Recte vale cum tuis omnibus. Bruxellæ, Pridie nonas Octobris, Anno M. D. XVI.

ERASMVS ROTEROD. EXIMIO JURIS  
Utriusque Doctori, Richardo Sampsoni

S. D.

**I**ngens ut scribis ornatissime Richarde, veræ necessitudinis argumentum est, quod tot  
F eximios

eximios Amicos habemus inter nos communies : præfertim cum eos neuter alteri conciliarit. Proinde res occulta quadam Fatorum vi geri videatur ; quanquam & alioqui vehementer sim inhumanus, ni te cumprimis amem, qui cum mihi pridem Cantabrigiæ, nuper Tornaci multo jucundissima fuerit consuetudo. Quid enim esse potest tuis moribus mellitus ? Jam non inhumanissimus modo sim, verum etiam ingratissimus : nisi Sampsonem inter præcipuos Patronos meos adscripserim, qui nec rogatus unquam, nec postulatus mihi, nec opinanti, nec expectanti, Præbendam Tornacensem pararit. Nam quo minus asscutus sim, non tu, sed mea absentia fuit in causa. Proinde puto me nihil minus in solidum debere, quod per te non sterterit, quo minus possideam. Reverendissimus Cardinalis perbenigne pollicetur, verum hæc ætas non moratur luntas spes. Etiam si mihi jam contigit, quod huic animo, quod huic otio fati est. Vehementer gaudeo vobis probari Paraphrasin, cumprimis autem Joanni Molendino, Homini naris emunctæ. Ille tibi meis verbis salutem annuntiarat : id officii vicissim nunc illi præstabis, & quidem accurate. Rene vale. Lovanii, Anno M. D. XVIII.

ERASMUS ROTERODAMUS

Jacobo Fabro Stapulensi s. d.

**D**octissime idemque optime Jacobe Faber, jam unis atque alteris Literis testatus sum,

sum, quam acerbe feram, hanc ansam obtigisse  
maledicis, de nobis garriendi. Præsentiebam  
hoc malum nasciturum. Sed quia non erat mi-  
hi integrum non respondere, e duobus malis,  
quod levius visum est, delegi. Nunc quod u-  
num supereft, oro te per Christianam charita-  
tem, per sanctissimorum Studiorum commu-  
nem amorem, per utriusque famam, quam ex  
Amicitiae lege par est utrique cordi esse, ut  
communi studio, malo huic qua licet medea-  
mur, ne latius serpat incendium. Vides Ho-  
mines ad malum proclives, undecunque dissi-  
diorum causas arripere. Nullum est pene Con-  
vivium, in quo non hinc pro Fabro adversus  
Erasmum, hinc pro Erasmo adversus Fabrum  
disceptetur, præsertim ab iis, qui reū penitus  
ignorant. Sparguntur tuo nomine diversæ vo-  
ces, alii prædicant abs te parari recriminatio-  
nem, alii negant dignari responso Erasmus.  
Rursus alii dicunt te non improbare, quod me  
defenderim; alii e diverso incusare temerita-  
tem meam. Ego quod ad me pertinet, haud  
multum labore, utrum respondeas, nec ne: mo-  
do ab odiosis istiusmodi dictis temperes, quæ  
nec tibi decorum est in Amicum jacere, nec mi-  
hi integrum dissimulare. Cæterum molestum  
est, nostra causa seri dissidia inter Christianos,  
exultare nostra dissensione eos, qui tuis æque  
ac meis Studiis infensi sunt. Non voco te ad Pa-  
linodium, licet indignis modis sim laceffitus,  
tantum Epistola quapiam testare, te Veri vesti-

gandi studio decertasse, cæterum inter nos animorum esse concordiam. Quod si non placet, denique malim te respondere, quam silentio tuo partes irritare, modo ea utare temperantia, quæ pristinos tuos deceat mores. Nullus Mortalium audivit me de Fabro loquentem, nisi tum amanter, tum honorifice. Tantum admirari me fateor, quibus rebus adductus ea in me scripsiferis. Neque secus sentio quam loquor, teste Christo. Bene vale Vir optime. Lovanii, 15. Calendas Majas. M. D. XVII.

ERAS. ROTEROD. PETRO ÆGIDIO  
Suo s. d.

**P**er nostram Amicitiam, qua non potest arctior esse, per tuam incolumentem, quæ mihi non secus atque mea ipsius est cordi mi Petre, da operam ut revalescas, ut reversus, te offendam hilarem ac lubentem. Ita mihi demum videbor reversus incolunis. Tempera victum, in redditum Adriani tui, cui mehercle plurimum fido. Est aliquid Amico uti Medico. Interim cave ne crebris pharinacis vires nimium exhaustias. In priinis tempera tibi ab omnivehementiori motu animi, ab immodico gaudio, ab intemperanti risu, ab ambulatione graviore, a studio vehementi, sed ante omnia ab iracundia. Mi Petre, omnia vitæ posthabenda sunt. Fortassis hæc admoneo importunius, sed utinam tam feliciter adinoneam, quam ex animo. Ego meum pérículum contemno, modo con-

contingat te reviviscere, hoc est, firmum vali-  
dumque fieri. Bene vale cum suavissima Con-  
juge, dulcissimisque Liberis. Lovanii XV. Ca-  
lend. Majas, M. D. XVII.

**DOMINICO GRIMANO CARDINALI**  
Tit. S. Marci, Erasmus Roterodamus

S. D.

**I**ampridem Paraphrasis in Epistolam Pauli ad Romanos tuo dicata nomini, versatur in manibus Hominum, satis plausibiliter ab omnibus Eruditorum Centuriis accepta. Hæc est, ni fallor, tui genii potius quam operis felicitas. Hactenus non misi tibi Volumen, sive quod Editio prima mihi non admodum arrideret, sive quod tanto itinere non facile perferri sciam, si qua quid habent oneris. Hunc Libellum ex Officina Basiliensi satis eleganter excusum periclitari visum est, si forte nondum ad te perlatum fuit Opusculum. Id si sensero gratum, imo probari tanti Viri judicio, mox ad reliquas Epistolas similiter explicandas accingemur, ad quod Laboris me passim extimulat Studiosorum efflagitatio. Accipio Sublimitatem tuam mihi literis respondere dignatam de Novi Testamenti Volumine, quod per Erroneum quendam e Basilea miseram, adhuc ab Officina mandens: verum eas ante bienium fere missas, nondum videre licuit, sive id perfidia factum est, sive infelicitate mea. Cardinalis Sancti Georgii Epistola, sic aberravit per Ammonium in

Germaniam missa, ut nunquam pervestigare quiverim, quo devenerit. Tua una cum ipso Ammonio periit. Bene valeat Tua Sublimitas, cui me meaque Studia velut Optimo Patrono commendo. Scribam brevi copiosius, certiore in aliquem nactus. Lovanii, postridie divi Marci, Anno M. D. XVIII.

JOANNI LASCARI CONSTANTINOPOLITANO, Erasmus Roterodamus

S. D.

**V**ir omnibus ornamenti Clarissime Hieronymus Buslidius, Homo doctus ac potens, & hujus Regni Decus incomparabile, in itinere Hispanico moriens, legavit multa millia Ducatorum, ad institutionem novi Collegii apud Lovanium, Academiam hac ætate cum primis florentem, in quo publicitus & gratis tradantur tres Linguae, Hebraica, Græca, Latina, salario satis magnifico circiter septuaginta Ducatorum, quod tamen augeri possit pro ratione Personæ. Hebræus jam adest, & item Latinus. Græcam Professionem complures ambient. Verum meum consilium semper fuit, ut adsciceretur Græcus natus, unde statim Germanam Græci sermonis pronuntiationem imbibant Auditores. Ac meæ sententiæ subscribunt Autores hujus negotii omnes, mihiique mandarunt, ut suis verbis accenserem, quem judicasssem ad hoc negotii idoneum. Quare te rogo vel pro solita tua erga nos humanitate, vel pro

pro tuo erga Bonas Literas favore, si quem no-  
sti, quem existimes & mihi, & tibi futurum ho-  
nori, cura ut quamprimum huc advolet. Da-  
bitur Viaticum, dabitur Salarium, dabitur Lo-  
cus. Erit illi res cum Viris integerriimis & hu-  
manissimis. Neque minus fidat his meis lite-  
ris, quam si centum Diplomatis res esset trans-  
acta. Inter bonos & absque syngraphis bene agi-  
tur. Tu cura ut deligas idoneum, ego cura-  
bo ne hominem huc venisse poeniteat. Bene vale  
Doctissime Clarissimeque Vir. Lovanii, postridie  
divi Marci, Anno M. D. XVIII.

ERASMUS GONELLO SUO  
S. D.

**G**ratum erat tuum Munusculum, grati-  
or Epistola tam amica, gratissimus animus,  
nihil etiamnum immutatus diutina consuetu-  
dinis intermissione. Clementem summae spei  
Juvenem meis verbis admonebis, ut ab in-  
tempestivo studio temperet. Memini quam ille  
sit libro affixus, præsertim ut a nocturna scri-  
ptione quantum licet abstineat, & si forsitan  
ob Cardinalis negotia cogetur scribere, stans &  
erectus scribere assuefcat. Nolim hoc ingenium  
ante diem perire, malimque servari Studiis,  
quam Cardinalitiis negotiis impendi. Bene va-  
le. Lovanii, X. Calendas Majas, Anno M. D.  
XVII.

ERASMUS ROTERODAMUS  
RICHARDO PACÆO SUO

S. D.

O vere splendidam vestræ Britanniæ Regiam, Sedem & Arcem optimorum Studiorum ac Virtutum. Et vobis mi Pacæ gratulor, talem Principem, & ipsi Principi gratulor, cuius Regnum tot Ingeniorum luminibus illustretur. Utroque vero nomine gratulor vestræ Angliæ, cum alias multis modis felicitum istis sic excellenti titulis, ut nulla Regionum cum ea queat conferri. Nunc demum juvat, universam ætatem apud Anglos exigere, ubi favore Principum regnant Bonæ Literæ, viget Honesti studium, exulat aut jacet, cum fucata personataque Sanctimonia, futilis & insulsa Doctrina quondam ἀπαιδεύτως πεπαιδευμένων. Grocinum deficere doleo. Sed rursum video pro uno tam multos brevi suppullulaturos. Quod negotium meum tam amanter egeris, veterem tuum in me animum libenter agnosco. Utinam liceret hanc Provinciam edendi Novum Testamentum alteri committere. Verum hoc quicquid est mortarii, quando intrivi, mihi totum est exedendum, quæ res istis ματαιολόγοις vertat male. Utinam mihi magis incidisset in mentem, de Hominibus, quam de Portentis benemereri. Cum Lovaniensibus Theologis mihi probe convenit. Coloniensis Academia dissidiis ina-  
mœnis conflictatur. Dentata charta res agitur. Jam-  
que

que & meum nomen paulatim admiscent. Cur-sitent sursum ac deorsum personati Præcones, fœdum rumorem spargentes in Vulgus, impudentissime mentientes, quod illis commodum bonumque est apud eos, qui nihil omnino de re norunt, non magis quam ipsi. Dorpius mihi videtur ex animo factus Amicus. Adnitar ut ante hyemem vobis restituar, si modo redditum dabunt Superi. Paraphrasis rursus excusa est Ba-sileæ. Apologia qua Fabrum placo, nuper Ba-sileæ prodiit, cum Annotamentis jampridem excusa Argentorati. Precor Deum Optimum Maximum ut tibi istum animum, te nobis diu servet in columem. Lovanii, Anno M. D. XVII. decimo Calendas Majas.

ERASMUS ROT. HENRICO BOVILLO

Suo s. v.

**V**ideo mihi Boville tantam Hominum perver-sitatem & ingratitudinem, ut propemodo dum in animo sit, edito rursus Novo Testa-mento, mihi canere & Musis. Conspirant per-sonati quidam Histriones, qui Curios simulant, & procul allatrant: coram nemo verbum. Spar-gunt in vulgus, talibus Scurris digna menda-cia, perinde quasi hoc ipsum essent professi, famam alienam mendaciis suis contaminare, quasi pro Hierophantis Sycophantæ esse de-creverint. Nunc mihi non est otium, sed si per-gant, accipientur ut digni sunt aliquando. Vos istic pro me & Fabro inter vos concertare do-

leo. Scripsi nuper homini, ut aut Epistola quam  
piam edita testetur inter nos convenire, si pu-  
det παλινώθειν, aut respondeat, si quid habet  
quod defendat, modo temperet a tam amicis  
ac peramicis dictis, quibus antehac in me lusit.  
Nunc illius silentio magis excitari dissidium vi-  
deo, dum quisque pro suo animo suspicatur.  
Rixarum nullus est finis. Quod si hoc mali  
conjectum est Studiis, mihi valebunt potius.  
Dormire præstat quam scribere. Bene vale Do-  
ctissime Boville. Amicis omnibus salutem dico,  
nominatim Vachano & Briano. Lovanii, 9. Ca-  
lend. Majas, Anno M. D. XVII.

A N G L O R U M R E G I H E N R I C O  
Ejus nominis VIII. Erasmus Rotero-  
damus s. d.

**S**alutem & immortalitatem Serenissime Rex.  
Celsitudinis Tuæ munus, multis quidem  
modis mihi gratissimum fuit, sive quod per se  
ingens, sive quod a Rege profectum. Præsertim  
ab eo Rege, qui non minus honestissimarum re-  
rum studio, quam Ditionis opulentia sit exi-  
mius, cuius probari judicio magnificentius fit,  
quam inaurari munificentia. Tamen hoc no-  
mine mihi præcipue fuit gratum, quod veteri  
tuo de nobis suffragio, quo saepenumero Eras-  
mum non minus amanter quam honorifice Tuæ  
Majestas ornavit, ceu pignus quoddam acces-  
sisse videretur. Ac velut hoc parum sit visum tuæ  
erga Bonas Literas Benignitati, ultro fortunam  
offers

offers perpetuam eamque non mediocrem. Quam equidem adeo non recuso, ut vel gratis sub tali Principe merere cupiam, apud quem ut quisque Bonis Literis, vita&que integritate maxime præcellit, ita Gratia & Autoritate plurimum valet. Cujus Aula Christianæ Disciplinæ sit exemplum. Sic Eruditissimis Viris celebrata, ut illi nulla non invideat Academia. Deum Optimum Maximumque precor, ut & istum animum tibi perpetuum esse velit, & te Regno quam diutissime tueatur incolu[m]em, ut pluribus annis sub optimo florentissimoque Principe, veris Bonis floreat, vigeatque. Nos cogimus edendis Voluminibus Novi Testamenti, quatuor mens[is] impendere. Eo negotio confecto, totos nos Tuæ Majestatis dedicabimus obsequiis. Lovanii, 7. Calendas Majas, Anno M. D. XVIII.

## DES. ERASMUS ROTERODAMUS HENRICO GLAREANO

S. D.

**G**eiminae tuæ Literæ conduplicatam mihi voluptatem attulere, mi Glareane in paucis chare. Patris mortem, æquum est, æquo ferre animo, præsertim tam longævi. Fortunam istam tibi gratulor, sed ut perpetua sit precor. Solent enim ista Principum donaria πρόσωπα εἶναι. Quod fugam adornas, doleo. Vereor enim ne dum illa persequeris, id quod est in manibus elabatur. Fortasse præstiterat, Rem Testamentariam Fratri committere. Certe fac ut sciām,

sciam, quando velis proficisci, forsan ibimus una. Fabro te charum esse gaudeo, Viro mea sententia docto, integro, & humano, nisi quod in me fuit sui dissimilis. Id aliorum instinctu factum scio. Verum non erat ejusmodi Viri, cùjusquam impulsu, sic debacchari in famam hominis ex animo amantis. Id quod ipse potuisti ex perpetuo meo de illo sermone cognoscere. Meæ famæ non multum nocuit, suæ male consuluit, id quod mihi sane, plus quam credas, molestum est. Molitur, ut audio, Apologiam, ad quam nec adhortor, quod doleam Belluis istis anfam dari, qui cum ipsis ob infantiam non au-sint in harenam descendere, nos inter nos committunt, arte videlicet Tyrannica : nec rursus dehortor, ne videar meæ causæ diffidere. Unum illud admonebis hominem, pro tua familiaritate ; abstineat a talibus facetiis, alioqui sentiet me non esse edentulum, & fortasse sero pœnitiebit. Placuit Libellus de tribus Magdalenis. Nolim tamen eam rem in tantam angustiam deduci, ut quisquis dicat, Christum post triduum resurrexisse, loquatur contra Ecclesiam, contra Articulos Fidei, contra omnem veritatem. Nam in has Symplegadas ille rem coartat. Primum probatio qua docet μετὰ valere inter, non admodum est inunita, μετὰ χειρας, id est, in manibus ; ubi μετὰ positum est prouata. Et μεθ' ἡμέραν pro καθ' ἡμέραν alterius generis est quam μετὰ τρεῖς ἡμέρας, præsertim cum illud μετὰ ἡμέρας ἐξ, μεθ' ἡμέρας ὀκτώ, & hujus-

huiusmodi orationes frequentes sint in Novo Testamento. Postremo Synecdoche, quam hinc arcere non licet, hanc quoque difficultatem extricat. Surrexit post tres dies, hoc est, post tertium diem incepturn. Si contradicit Articulis Fidei, quisquis hoc dicit, & tot annis nemine contradicente legit Ecclesia, consultius existimari rem minus agere tragicē, præser-tim cum Synecdoche sit in promptu. Quod si ille primam noctem per allegoriam aut cata-chresin explicat, cur veretur hic ab omnibus receptam Synecdochē adhibere? Hæc mi Glareane, amico in illum animo scribo, quicquid ille de me sentit. Si tibi non sit incommodum, admonebis hominem blande super hisce rebus: simulque rogabis, ut si mihi respondet, mittat quam primum Exemplar meo sumptu descri-ptum, quo vel agnoscam lapsum meum, vel tuear. Seimel enim sic iectus ab illo, non debeo magnopere fidere: & si ille potest instigari ab improbis, improborum plena sunt omnia. Sin minus, nolim illum tibi vel pilo minus amicum mea causa. Demiror Budæum jam diu nihil scribere. Vale animæ dimidium meæ. Lovanii, Anno M. D. XVII. Calend. Febr.

DES. ERASMUS ROTEROD.  
LUCÆ PALIURO

S. D.

**Q**uod recte vales gaudeo: quod nostri non solum memor es, verum etiam Stu-diosus,

diosus, habeo gratiam. Quod honestum locum obtines apud Antistitem omnium optimum, magnopere tibi gratulor. Opto ut tua felicitas quam maxime diutina sit, semperque major: ac precor, ut quod facis, facere pergas, ut Erasmus integerrimo Praesuli tuo commendatum reddas, quo mihi nihil magis est in votis: Utinam Orbis haberet multos illius similes. Bene vale. Lovanii, Pridie Bartholomaei, Anno M. D. XVII.

**ERASMUS ROTEROD. RICHARDO**  
Suo s. d.

**N**on eo scripseram de Joanne meo, ut illum Tonstallo obtruderem, sed ut gratum facerem, si hoc illi suisset cordi. Animum erga me tuum tam amantem ac propensum amplector atque exoscular. Perge mi Richarde charissime, purissimis moribus puras adjungere Literas, quando in hoc esse te video. Bene vale. Lovanii, pridie Calend. Septembr. Anno M. D. XVII.

**ERASMUS ROTEROD. PRÆSULI  
BASILIENSI, CHRISTOPHORO**

s. d.

**R**everende Præful, eloqui ut dignum est vix queam, quantopere veterem istum tuum in me animum, quem olim abunde expertus Basileæ, nunc rursus tuis ex literis agnoscō, venerer atque exosculer. Ac jam pridem circum-

circumspicio, si quod idoneum argumentum  
 nancisci queam, quo simul & tuam erga me be-  
 neficentiam, & meam vicissim in te grati animi  
 propensionem testatam efficiam, etiam Posteri-  
 tati, si quid meæ possint Literæ. Imo quo me-  
 lius dicam, ut Posteritas in te boni Præfulis  
 imaginem accipiat, in me seduli Clientis ex-  
 emplum. Sed hactenus unus in tot curas distra-  
 ctus, hinc Studiis meis, hinc Aulæ negotiis, vel  
 nugis potius, hinc Theologorum quorundam  
 odiis, meminiſſe magis poteram officii mei,  
 quam præstare. Nunc cuim Theologis pax est  
 altissima, nisi quod reclamant adhuc personati  
 pauculi, sed procul, & in absentem duntaxat  
 oblatrantes, præsertim ubi calices reddiderint  
 eos disertos. Ab Aula me prorsus avulsi. Lovanii  
 sedeo, cum cœlo satis convenit. Spero dabi-  
 tur commoditas animo meo satis faciendi, nec  
 tamen Basileam excussi animo, sed est cur hīc  
 expediat menses aliquot desidere. Id quid rei  
 sit, partim indicavi Ludovico Bero. Neque ve-  
 ro me istuc perinde invitarit cœli vestri amœni-  
 tas, atque animus iste tuæ Celsitudinis, tam in  
 nos propensus. Pro officiis & humanitate, qua  
 Beatum Rhenanum raræ probitatis Virum pro-  
 sequeris, non minorem habeo gratiam, quam  
 si in me ipsum collocassem. De novis rebus ex  
 aliorum literis cognosces. Bene vale suspicien-  
 de Pater. Lovanii, Anno M. D. XVII.

D E S.

DES. ERASMUS ROTEROD. HENRICO  
STROMERIO Aurbachio Medico

S. D.

Eruditissime Medice, accepi per meum famulum Jacobum literas tuas multis quidem nominibus gratissimas: sed hoc præcipue, quod Reverendi Præfulis honestam de nobis opinionem ac proponsum favorem, simulque singulare quoddam tuum erga me studium testentur. Erat animus inscribere Archiepiscopo Suetonium, aliosque qui Cæsarum vitas descripsérunt, a me post omnes non temere recognitos: sed erat cur id fugerim. Nondum ullum illius in me officium sum expertus: sed tamen cum audio Celsitudinem illius tanto animo favere bonæ spei Ingeniis, arbitror omnium Eruditorum esse parteis, ut talem Heroem laudibus vehant: mihi quoque hoc magis suscipiendum, quod rebus piis ac sacris faveat tantus Princeps; quo quidem animo si omnes essent prædicti, melius, ni fallor, cum rebus humanis ageretur. Porro quod hortatur ad describendas Divorum vitas, utinam sicut præmium pollicetur, ita possit huic corpusculo vires ad id negotii justas addere. Jam annum excessi quinquagesimum, & valetudo perquam est imbecillis, & distringor variis Studiorum laboribus. Si posthac continget isthac facere iter, cupidissime fruar optimi Principis conspectu, tuaque consuetudine. Bene vale Stromeri doctissime. Lovanii, Natali Bartholomæi, Anno M.D.XVII.

DES.

D E S. ERASMUS R O T E R O D.  
GERARDO NOVIOMAGO

S. D.

**D**emiror te nihil scripsisse, cum scriperit ipse Præsul. Neque enim opinor te sic occupatum, ut non vacarit: neque tam Fortunæ successu elatum, ut yeteres Congerrones fastidias, quod tamen optarim ita esse. Libellum de Querela Pacis, Optimo Præsuli non disdiscuisse, magnopere gaudeo, & jam nunc fructum ejus laboris abunde magnum percepisse me puto, quod is amplectitur, cui unice probari cupiebam. Paraphrasis ad metam properat. Liber exiguus, sed nemo credit nisi periculo facto, quantis sudoribus mihi constiterit. Mitteatur simul atque fuerit absolutus Theodorici formulis. Sed audi rem ridiculam. Nuper quidam expeditus accurrit, annuntians Sacerdotium meum, quod habereim Trajecti æstiatum quatuor Philippeis, si vellem numerare. Primum gaudebam, somnians novum aliquod collatum; deinde mirabar quid rei esset; postremo sensi nomen commune fuisse causam erroris. Est enim hic alter Erasmus Juris Doctor, ad quem scriptas Literas insciens nuper legi, putans ad me scriptas. Deinde cum nihil illic esset, quod ad me pertineret, suspicabar me rideri a quopiaiam, donec Barbirius ea suspicione me levaret. Cave ne Dominus accersat me his mensibus hybernis. Sic enim versor in Novo Testa-

G

mento,

mento, ut nec digitum latum liceat discedere,  
 & certum est his mensibus absolvere. Philippo  
 tantum hortator ad literas esse possum, quod  
 desierimus in unis ædibus vivere. Nihil est  
 Nævio meo in hac Academia vel eruditius,  
 vel melius, vel festivius, vel denique sincerius,  
 nec unquam vixi magis ex animi mei senten-  
 tia. Bene vale. Lovanii, XVI. Calend. De-  
 cembris, Anno M. D. XVII.

ERASMUS ROTERODAMUS  
 OSVALDO s. d.

**A**mice candidissime, multo gratissimæ mi-  
 hi tuæ fuerunt Literæ, quibus et si con-  
 tracte rescribo, amo tamen effusissime meum  
 Osvaldum, vel quod nobis adeo faveat, vel  
 quod Glareano non semel meo Theseus sit, aut  
 si quid Theseo fidelius. Perge mi Osvalde, Li-  
 terarium quoque Decus, Helvetiæ tuæ jam olim  
 armis inclytæ, vindicare. Nos hinc pestis abi-  
 git, cui maximam malam pestem imprecor.  
 Bene vale. Basileæ, VI. Calend. Septembbris,  
 Anno M. D. XVIII.

ERASMUS ROTEROD. UDALRICO  
 ZASIO s. d.

**N**on possum obtinere Vir inter Bonos O-  
 ptime, & inter Doctos Doctissime, quin  
 in tuis ad me Literis tui similis sis, semper mei  
 me dissimilem faciens, ex minimo magnum, ex  
 infortunatissimo felicem, ex vix trivialiter li-  
 terato

terato verius quam eruditio, omnis Doctrinæ Principem, atque ut semel finiam, ex Musca Elephantum, quod Græcis est in Proverbio. Et tamen faveo simulacro, quo ine depingis præclare magis quam apte, veluti si Apelles quispiam egregiam picturam, omni artificio elaboratam proponat, sed quæ ad exemplar non respondeat. Neque enim quicquam est, quod ex eo mihi possim agnoscere. Verum quando in Zafii mores non cadit ulla fuci suspicio, patiar te tuo indulgere vel amori, vel ingenio, modo mihi vicissim permittas, ut meo obsecuar pudori, qui soleam Amicos effusius amare, quam prædicare: aut si quando res ita tulerit, malum apud alios quam coram. Denique si inciderit, ut coram quoque sit faciendum, malum aliquanto parcus. Sed quam, obsecro, jaçturam mihi narras? Cum antehac de Zafio præclare senserim, tamen ex nostro congressu tantum accessit meæ de te opinioni, ut mihi videar magnitudinem tuam hactenus prorsus ignorasse. Ego Jureconsultum duntaxat expectabam, insignem quidem illum & admirabilem, sed tantum Jureconsultum. Quid autem est in Theologorum Mysteriis, aut etiam Palæstris illis, quod tibi non erutum, non excussum ac meditatum esse videatur? Quæ Philosophiæ pars est, in qua non ita versatus sis, ut in ea sola versatus videri queas? Aut quis omnino liber est, seu Veterum, seu Recentium, quem non evolveris, non intropexeris, non imbiberis?

Quin & Arcana illa, quæ vere pium ac sanctum  
reddunt Hominem, comperio tibi non vulga-  
riter esse observata. Jam Eloquentiam tuæ Li-  
teræ licet neglectim, & plus quam ex tempo-  
re scriptæ, satis præ se ferebant: at non expe-  
ctabam dives istud & exuberans orationis flu-  
men, nusquam non paratum, quicquid unde-  
cunque incidisset. Deum immortalem! qui ser-  
monis nitor, qui fluxus, quam felix, quam ul-  
tro scatens, quam non accersitus, quam non af-  
fectatus! Extemporalis confabulatio stilum  
tuum æquabat. Quis non admiretur cani Ca-  
pitis tam virens ingenium? tam præsentem  
paratamque rerum omnium memoriam? Nihil  
enim dicam de moribus, quibus neque gravius  
aut integrus quicquam esse potest, neque suau-  
lius. Adeo mire totum Zasium temperavit Ar-  
tifex optima Philosophia. Sed pene imprudens  
laudum tuarum campum ingredi cœperam. Eti-  
am atque etiam te rogo, ut aliquando tandem  
expolitissimas Lucubrationes tuas finas in lu-  
cem exire. Patere hoc utilitatis Studiosis Bona-  
rum Literarum accedere, patere hoc decoris no-  
stræ adjungi Germaniæ, cui nunc notissimum  
est Zasii nomen, sed dignum quod universo in-  
notescat Orbi: Posteritati quoque celebre plau-  
sibileque futurum. Cætera quæ ad hanc rei  
pertinent ex Bonifacio Amorbachio, Juvene  
omnibus rebus affatim expolito cognosces. No-  
strum officium sicubi desiderabitur, ita præsta-  
bimus, ut nos ex animo tuos esse intelligas.

Bene

Bene vale Doctissime Doctor, & Amice incomparabilis. Basileæ, decimo Calend. Septembres. Anno M. D. XVIII.

ERASMUS ROTERODAMUS  
ÆGIDIO BUSLIDIO

S. D.

**O**rnatissime Buslidi, posteaquam Fatum nullis querimoniis aut lachrymis verti potest, utinam quæ Posteritati, & immortali laudatissimi Fratris tui Hieronymi Buslidii memoriæ gloriæque debentur, ita succedant omnia, ut hac sane parte cœpit succedere. Commodum huc appulit Adrianus genere Hebræus, sed Religione jam olim Christianus, arte Medicus. Hebraicæ literaturæ totius sic peritus, ut mea sententia non aliud habeat usquam hæc Ætas, qui cum hoc conferri possit. Quod si meum judicium in hac re non satis habebit apud te ponderis, idem testantur uno ore omnes quotquot, vel apud Germanos, vel apud Italos cognovi hujus Linguæ peritos. Neque solum callet ad plenum Linguam, verum etiam in ipsis Autorum adytis est diligentissime versatus, ac Libros omnes sic habet in promptu, ut digitos unguesque suos. Is ipse est, de quo tibi nuper mentionem fecit Bruxellæ Ludovicus Vacus. Exposui Theologis qualis sit, neque dubitarim meo recipere periculo, hunc unum esse hac ætate, qui nobis fuerit votis omnibus expetendus. Eum posteaquam Deus aliquis propitius ultro nobis obtulit, no-

stri muneris esse videtur, ut oblatum modis omnibus retineamus. Non meum ago negotium, sed impense faveo memoriae benignissimi Patroni, & Amici incomparabilis. Faveo publicae Temporum nostrorum felicitati, cui & ipse pro mea virili, tantum vigiliarum impendi, atque etiamnum impendo. Adeo ipse jamdudum apud nos, hortatu modo dicti Ludovici. Impera tu Erasmo, si quid judicabis a me praestari posse. Bene vale. Lovanii, postridie Lucæ, Anno M. D. XVIII.

**ERASMUS ROTERODAMUS GERARDO  
NOVIOMAGO s. d.**

**E**go Doctissime Gerarde, cum præclarum semper existimari, & in primis optandum, Summatibus placuisse Viris, tamen nulli probari malim, quam Philippo Præfuli, cum meo, tum omnibus modis primario. Scripsit ad nos ante menses complures Archiepiscopus Moguntinensis Literas multo humanissimas, atque adeo ipsius articulis. Scripsit nuper Episcopus Leodiensis, minitans se hoc advolutum, si graver ad se venire. Sed ut haec mihi voluptati sunt, ita rursus mihi displico, pennaque demitto, quoties succurrit, nihil esse in me, quod tantorum Heroum expectationi respondeat. Sed heus tu, rem oppido novam ex tuis Literis accipio. Nesciebam te tam virgineo pudore præditum, ut ad me non ausis scribere. Sæpen uno vidi te rubentem, verum ruboris causam

causam non quivi conjicere. Quod si vera prædicas, mea sententia, nec Aula dignus es, nec Cuculla. Quare si rem facere cogitas, fac quamprimum frontem perfrices, & inutilem pudorem abstergas. In Opere Novi Testamenti jam eo progressus sum, ut licet adhuc jacter alto, tamen portus procul sese ostentet, velut ad quietem invitans. Mitto Libellum Paraphraseos, si forte nondum accepisti, eum Amicis eruditis imperties, & si commodum videtur, etiam ipsi Principi, cum prius autem optimo Philippo Montio, Aulæ, ut scribis, Procuratori: quem equidem non possum non vehementer redamare, suo studio me provocantem. Ei fac multam salutem meis verbis annunties. Nævius ac Borsalus te resalutant. Bene vale, Neomage candidissime. Lovanii, M. D. XVII.

ERASMUS ROTERODAMUS  
PASCHASIO BERSELIO s. d.

**N**æ Hominem bellacem oportet esse te, qui nihil nisi bellum, testudines, vineas, ac tormenta crepes. Age munito te quantum voles, nos tamen te vel cuniculis aggrediemur. Nunc hoc saxum volvendum est, vel potius in hoc molendum pistrino. Sed gratulor tibi jam, opinor, Semideo facto, cui contigerit epulis accumbere Divum. Cujus tamen felicissimi Convivii, me quoque participem esse voluisti, cum adeo graphice depinxeris, ut etiamnum inter Deos Deasque mihi videar tecum accumbere.

Extra jocum, totam hanc noctem cum Episco-  
po transagi fabulis mutuis. Eum haudqua-  
quam torquerem diutino mei desiderio mi Pa-  
schasi. Sed primum vides anni tempus, quo  
non solum innavigabile mare, verum etiam ter-  
ra immeabilis, ut tecum agam verbis poëticis.  
Deinde ea est corporis valetudo, ut vix eam  
tuar domi abditus, & ad focum luculentum  
obambulans, aut Coccycis in morem nido im-  
mersus, & tamen hic nidus mihi plus quam pi-  
strinum est. Versor enim in labore longe  
omnium molestissimo, in quo tamen jam eo  
provectus sum, ut per densissimas montis per-  
fossi tenebras, qualis penetrandus est Nea-  
poli Cumas adeuntibus, procul exiguum Lumen  
ceu Stella quædam exitum promittat, atque in  
fluctibus laboranti, e longinquo Portus appa-  
reat. Intra mensem, auxiliante Christo, ex hoc  
Labyrintho me extricabo. Quod si nunc labor  
hic interrumperetur, nunquam animo meo  
queam imperare, ut rursum fese in hujusmodi  
pistrinum immittat. Nunc dum captus est Pro-  
teus, stringenda sunt vincula, donec in se rever-  
sus Oraculum absolvat. Et mox se remittet  
hyemis rigor, ut liceat cum Ciconiis & Hirun-  
dinibus evolare. Quod Principem omnibus an-  
teponis Præsulibus idque in omni Virtutum aut  
Ornamentorum genere, non admodum tecum  
pugnabo, præsertim cum nec id solus prædi-  
ces, & mihi vel Aleander electus, vel ipsius de-  
nique Epistola novam & inauditam, ac vere  
gene-

generosi Ingenii humanitatem præ se ferens, fidem faciat. Et tamen Archiepiscopus Cantuariensis mihi talis est, ut commodiorem ne possum quidem optare. Hoc uno sat felix essem, si aut h̄ic contigisset, aut Britanniam nobis pons aliquis jungeret. Adeo male odi Fretum illud immanissimum, & Nautas Freto immaniores. Verum ut olim apud Scythas parum secundæ famæ fuit Polyphilia (quanquam video & Hesiodo juxta turpe videri, ἀξερον εἴναι ναὶ πολύξερον : ) ita fortasse apud Populum poëticum parum honestum esse dicitur, eidem multos esse Mæcenates, etiamsi mihi nihil magis in votis est, quam optimis probari, quandoquidem omnibus non possumus. Atque id sane nobis non perinde male contigit atque fero. Jam opus sit Mæcenate, non qui in Fortunæ scenam producat, qui Fortunæ ornamenti oneret, sed qui corporis vires farciat, qui ingenii vigorem restituat. Quas res semper in me exiles, partim ætas, partim jugis Studiorum exhausit labor. Nunc & animus honestum otium flagitat, & valetudo etiam imperat. Restat enim extrema hujus Fabulæ catastrophe, quam utinam sic liceat agere, ut Christo Chorago probetur. Amplam Fortunam nunquam ambii, ut parvis animis & parvo corpore majorem. Nunc etiamsi ambiam, par esse sustinendæ non queam. Proinde stat sententia otium hoc meum tueri mordicus, in quo tamen sic versabor, ut quoad per vires licebit, Reipublicæ

blicæ sim profuturus, etiamsi ab hujusmodi laboribus, plusquam juvenilibus, quibus nunc confior, sum in posterum temperaturus. Sub Quadragesimam incipiam evolare e nido, si Praefulboni consulet, res in hoc tempus differetur. Sin ininus, vel cum valetudinis periculo tanto Principi gratificabiimur. Vides mi Paschasi, ut me totum in sinum tuum effuderim. Bene vale. Paraphasis quæ te terret, ut scribis, magis placebit, si proprius contuleris. Lovanii, postridie Epiphaniæ, Anno M. D. XVII.

**ERARDO EPISCOPO AC PRINCIPI  
Leodiensi, Erasmus Roterodamus**

S. D.

**A**mplissime Praeful, & idem Princeps Illuminissime, ut paucis citraque Procœmium, ad humanissimas Celsitudinis Tuæ literas respondeam, quod me fama jam olim notissimum, coram etiam videre concupiscis, istiusmodi præconiis onerat Erasnum Dea illa apud Homerum Ossa, apud Maronem Fama, non in me tantum vana, & in immensum attollens omnia, ut nec deprecari liceat, quod illa tot linguis tribuit, nec tueri queam quod imponit. Scio nihil esse pulchrius quam principibus placuisse Viris. Sed interim dum ipse domi meo metior pede, quam gratum est animo eos Viros bene de me sentire, quibus ut probari pulcherrimum est, ita displicere turpisissimum : tam molestum est, nihil esse quod illorum vel amicas de

de nobis opinioni, vel magnificæ expectationi respondeat. Ut jam, non aliam gratiam Famæ buceinatrici debeam, quam indoctus Citharœdus ei, a quo in Theatrum frequentissimum producatur aurea palla, aurea insignis cithara, mox ut canere cœperit, exibilandus. Nihil in me visendum: & tamen si quid est, id Lucubrationibus meis expressum est. Illic optima nostri pars est. Quod superest, teruncio non emas. Attamen tam amanter invitatus, cupidissime advolasse in ad Tuam Celsitudinem. Sed primum deterret Cœlum plusquam hybernum, deinde valetudo cum per se imbecilla, tum immodicis, in quibus nunc versor, laboribus, sic afficta, ut eam vix domi abditus tuear. Tanta enim contentione desudo in Novo Testamento iterum innovando, ut ipse his inveteraverim, dumque illud a senio situque vindico, ipse mihi geminum senium ac situm contraxerim. Certum est enim aut immori negotio semel suscep-to, aut tale reddere, ut & Leone Decimo dignum videatur, & Posteritate. Jam vero eo progressi sumus, ut licet mediis adhuc in fluctibus luctemur, tamen procul Portus paulatim sese aperiat. In quem, si Christi adspiraverint auræ, ante Quadragesimam appellemus. Tum & cœlo mitiore, & animo magis vacuo accurram ad Amplitudinem Tuam, vel Hirundines ac Ciconias prævertens. Quod si ne hoc quidem moræ indulget Tua Celsitudo, contemptis ac posthabitatis omnibus, advolabimus. Sed hisce de

de rebus aliquanto copiosius scripsimus Optimo Paschasio, cui multis nominibus felicissimo, hoc tamen præcipue gratulor, quod gratus est Principi non minus benigno quam potenti, quem nobis quam diutissime tueatur Deus Optimus Max. & incolorem, & modis omnibus florentem. Lovanii, postridie Epiphaniæ: Anno M. D. XVIII.

PHILIPPO A BURGUNDIA, EPISCOPO  
Ecclesiæ Trajectensis, Erasmus Roterod.

s. d.

**P**ræsul Amplissime, & idem Princeps Clariſſime, Celsitudinis Tuæ literas non semel sum exosculatus, perbreves quidem illas, si quis versus numeret, sed easdem egregie prolixas, si humanitatem æstimet. Verum, ut occupatissimus cum occupatissimo paucis agam, Pacis querimoniam primum tanti Principis calculo, deinde Doctissimorum Hominum suffragiis comprobari, magnopere gaudeo. Nos ita Coccycis vitam agimus, ut interim in pistriño verius, quam in nido versemur. Multum antiquitatis, multumque senii mihi contraxi, dum Novum Testamentum iterum atque iterum novitati restituo. Dumque sic latito, maxime versor in Theatro Mundi. Sed quorundam Spectatorum perversissima malignitas facit, ut me tam immensi laboris nonnunquam capiat tedium. Rursum me consolatur recti conscientia, & ni fallor, non mediocris hinc ad

ad bonos redditura utilitas. Sive huc natus sum,  
non oportet θεομάχειν, Gigantum exemplo,  
sive ipse hoc mihi intrivi mortarium, par est ut  
idem exedam. Posteaquam in hoc Proscenium  
prodii, peragenda est Fabula, ad cuius Cata-  
strophen jam pene perventum est. Peragam au-  
tem & libentius, & accuratius, te Hortatore at-  
que etiam Applause, super omnia vero ap-  
probante, sicuti spero, Christo, cui vel uni pla-  
cuisse, abunde satis est. Video mirum Erudi-  
tionis ac Pietatis proventum in hisce Regioni-  
bus, si contigerint aliquot tui similes Mæcena-  
tes, qui ceu signo erecto, ad operas evocent In-  
genia, qui præmiis extimulent, autoritate or-  
nent. Quod si plures tui similes sperare nimi-  
um est, illud certe optandum, ut te Superi no-  
bis, quam diutissime velint incolumem, tibique  
istum animum semper in melius augeant, atque  
animo isti quamplurimos annos addant. Pro  
paterno quodam animi tui in me studio, video  
quantum debeam. Cæterum mihi jam pene se-  
rum est, cum Hera Fortuna conserere manus, &  
in eam harenam descendere, a qua Juvenis eti-  
am abhorri. Ingens onus est ampla fortuna,  
quam non minus negotii fit sustinere, quam pa-  
rare. Hæc ætas, hæc valetudo, hic animus, pa-  
ratum aliquod ac facile Præsidium postulat,  
quod literarium otium non adimat. Sed lon-  
gius provehor in Epistola quam par est. Bene  
valeat Tua Reverenda Sublimitas, cui me mea-  
que studia dedico omnia. Lovanii, quarto Idus  
Januarias, Anno M. D. XVIII.

ERAS-

**ERASMUS ROTERODAMUS  
ZASIO SUO S. D.**

**D**ecretum erat Zasi, Vir numeris omnibus absolute, Friburgum, tua potissimum causa, visere. Verum Rhenus exundans, ita corruperat viam, ut natandum fuerit verius, quam equitandum. Nos tui videndi magno tenemur desiderio. Sed ante omnia mihi Zasi, fac valetudinis tuae rationem habeas. Nolumus hanc voluptatem nostram tanti constare tibi. Me, cum tua redderetur Epistola, languor quidam tenebat dies aliquot, periculose obrepens, simillimus illi, qui proxime nos coegerit mutare locum. Sed gratia Superis, subduxি me ei periculo. Parcius quidem scribo, at nihil parciam. Rursus in hoc Pistrino non una sarcina premimur. Operis tui gustum, quem polliceris, perliberter accipiam. Neque enim addubito, quin Zasio dignum sit, hoc est, Homine non minus eruditio quam eloquente. Sentio quidem Literas tuas, velut ab occupatissimo ex tempore scribi, mirum tamen quam me delectet ille felicissimus orationis fluxus, non sine candore. Haec mihi fœcundum, nec minus exercitatum arguunt ingenium. Ad harum igitur gustum non dubito, quin opus illud tuum sit responsurum. In quo quid ego tibi possum præstare, non video. Nec enim mea est harena. Animum tamen ad quidvis obsequii promptissimum policeor, neque hac in re solum, verum in

in aliis quibuscumque desiderabis Amici officium. Bene vale cum tuis omnibus, Eruditissime Zasi. Anno M. D. XVIII.

## ERASMUS ROTERODAMUS

ZASIO SUO s. d.

**S**cripsi per Philippum nostrum, perque eundem Enchiridii Codicem dono misi, nec dubito quin utrumque acceperis. Nos laboribus prope modum obruimur, & gemina difficultate, nempe Hieronymi & Novi Testamenti, sic distringimur, ut existimem Herculi minus fuisse negotii cum Excetra & Cancro. Non potuimus tamen committere, quin incomparabilem Amicum Zasium vel salutaremus. Per hos labores non licet ullo frui Amico, cum tam multos habeat Germania. Sed dabit Deus his quoque finem. Tu si cum tuis recte vales, fac nos tuis Literis certiores, quo magis gaudeamus. Bene vale Doctissime Zasi. Philippo salutem ex me dicio. Resalutat te Beatus, cumque eo totus hic Eruditorum Chorus. Anno M. D. XVII.

## ERASMUS ROTERODAMUS

BUDÆO SUO s. d.

**P**ost tantas Epistolarum procellas, quibus me solebas obruere, unde quæso tantum, tamque subitum silentium? Gaudeo si totus es in explicandis Pandectis Jureconsultorum, sed non adeo es, opinor, ut non vacet, vel paucis signi-

significare quod postulo: quod ni facis, colligam, aut offendim te, aut priorem illum tumultum fuisse ludibrium. Si quid offendus es, aperti quid doleat, quo vel mederi, vel in posterum certe cavere possim. Si ludus fuit, illa prior literarum Tragœdia, cupio, quicquid est cognoscere. Bene vale Doctissime Budæe. Lovaniæ, Natali divi Andreæ, Anno M. D. XVII.

### ERASMUS BUDÆO SUO

S. D.

**A**d postremas Literas tuas Eruditissime Budæe, nihil omnino respondeo, satis enim hujusmodi concertationum. Non ambio, ut in talibus argumentis videar disertus. Nec mihi placet Victoria, quæ jactura Necessitudinis emitur. Quid apud te de nobis suspiceris, nescio. Illud non dubitem per omnia Sacra dejerare, neminein hic esse, qui de Budæi ingenio, stilo, eruditione candidius sentiat, aut honorificenter prædicet, quam Erasmus: etiam si tu neque moraris nostrum suffragium sat scio, nec hoc eges præcone. Mirum quam μισόμαστοι toto ferre terrarum Orbe συγκεντίζουσι, & quicquid possunt, suis adjungunt copiis, quo magis oportet & nos inter nos esse concordes. De Literis quæ te videntur offendisse, faciam quicquid voles, vel aboliturus, vel leniturus: aut si mavis, noxæ dedam, ut tuo arbitrio pœnas luant. Bene vale. Mechliniæ, XII. Calend. Aprilis, Anno M. D. XIX.

ERAS-

ERASMUS ROTERODAMUS  
CHRISTOPHORO LONGOLIO

S. D.

Cum multis nominibus mihi jucunda fuit,  
Eruditissime Longoli Epistola tua, non  
illa quidem ad me scripta, sed de me, tum hoc  
præcipue quod mihi renovavit veterem Inge-  
nii tui notitiam ac spem eloquentiæ nequa-  
quam vulgaris, quam ante complures annos  
conceperam, ex Oratione Panegyrica, qua lau-  
des divi Ludovici, ni fallor, Galliarum Regis  
admodum adhuc Juvenis es prosequutus. Epis-  
tolam exhibuit Ruzeus Urbis Lutetiae Supræ-  
fetus, Homo tum Eruditus ipse, tum Eruditio-  
nis alienæ mire candidus æstimator. Tantum  
autem abest, ut ægre feram mihi præferri Bu-  
dæum, ut in illum pene parcus, in me prodi-  
gus laudator fuisse videaris. Abunde multum  
illi tribuit tuus candor, sed quoties Hominis  
Dotes prope Divinas contemplor, videor mihi  
videre quiddam majus omni Facundia. Mihi  
vero tantum tribuis, quantum nec agnosco nec  
postulo: cui abunde palmarium est ac triun-  
phale, cum Viro modis omnibus incomparabili  
comparari: neque poteras mea quidem sen-  
tentia, plenius honestare famam Erasmi, quam  
si illum faceres ita posteriorem Budæo, ut eum  
non longo intervallo sequeretur. Majore tamen  
cum voluptate Budæi laudes legi quam meas,  
vel quod illius gloriæ sic faveam, ut nullius  
æque, vel quod quicquid illi possessionis est ho-

H

nestæ,

nestæ, id meum etiam esse ducam, non tantum  
publica illa Pythagoricorum lege, quæ vult in-  
ter amicos esse communia omnia, verum etiam  
peculiari fædere, quod verbis rite conceptis, &  
Syngraphis ob-signatis inter nos jampridem pe-  
pigimus, ne alterutri fas sit inficiari. Belle tu  
quidem me mihi depingis, sed haud scio an o-  
mnino meis coloribus. Et tamen ad hanc tabu-  
lam ipse mihi non nihil blandior, non quod illi  
prorsus credam, sed quod juvet Apellis manu  
depungi. Porro cum indicas, quid in me deside-  
rent Critici, non minus cœpi utilitatis quam vo-  
luptatis. Quanquam ad quædam utcunque  
tergiversari poteram, nisi tuo judicio tam im-  
pense faverem. Nam quod scribis me favere  
meis vitiis, crede mihi non tam favor est, quam  
vel inscitia vel potius pigritia. Sic sum, nec  
possum naturam vincere. Effundo verius quam  
scribo omnia, ac molestior est recognoscendi  
quam cūdendi labor. Jam ut in delectu verbo-  
rum nolim omnino videri indiligens, ita non  
arbitror congruere ei, qui res serias persuadere  
cupiat, in affectandis Dictionis emblematis esse  
morosum aut anxium. Neque vero mirabitur  
Eloquentiæ nostræ rivum alicubi turbidum  
fluere ac lutulentum, qui cogitarit, per quos  
Autores decurrat, nimirum sordidos, & im-  
puri sermonis, ut non possit hinc non aliquid  
limi ducere. Usu venit hoc non raro summis  
illis Eloquentiæ Proceribus, ut in Græcorum  
Voluminibus versantes, frequenter impruden-  
tes

tes græce loquerentur. Illud haud scio an Seribæ debeat imputari, quod mihi tribuis immodicam sermonis ubertatem, quæ dos nimirum Budæo peculiaris est: nam rectus ac nudus orationis ductus, simplici naturæ congruit, nec mirum est humilem esse sermonem, cuius humilia sunt omnia, corpus, animus, fortuna. Porro nimis crebras & immodicas digressiones, quas nobis communiter adscribunt Critici (nam sub horum ni fallor persona maluisti tuam indicare sententiam) jam mutuis literis uterque alteri objecerat. Cum primis autem demiror, qui tibi succurrerit demirari, cur Galliarum Princeps Franciscus Germanum Gallo, exterum civi, ignotum familiari prætulerit. Neutrum alteri prætulit Rex, sed utrumque alteri studuit conjungere. Neque enim cuiquam suo loco cedendum erat, si me in Galliam contulisset. Tantum abest ut Budæo fuerim offecturus. Quod scribis & Ditionem & Patriam & Linguam mihi tecum esse communeam, non tam mihi gratulor, quam huic Regioni, quam vehementer gaudeo talibus, hoc est veris semperque duraturis Ornamentis indies magis ac magis illustrari. Proinde nihil optatus mihi poslit accidere, quam multos exoriri tui similes, qui nobis in hoc laudis Stadio, non modo succedant, sed etiam antevertant, & quicquid est hoc nominis, quod mihi mea peperere Studia, suo splendore obscurent. Sed tamen agnoscat opinor Posteritas, nobisque nonnihil debere se

fatebitur, quod parum felici Seculo, quod his Regionibus, in quibus prorsus extinctæ fuerant & invisæ Bonæ Literæ, longum & invidiosum Certamen sustinuimus adversus pertinacissimos meliorum Studiorum Hostes. Sed ut cunque de nobis censemus Ætas secutura, volupe est interim optimas Literas passim feliciter efflorescere. Bene vale Longoli Doctissime, & in hæc Studia ut cœpisti constanter ac feliciter incumbe. Lovanii, Calendis Aprilis, Anno M. D. XIX.

### ERASMUS JOANNI COLETO

Decano S. Pauli

S. D.

**P**atronorum Optime, pro tuo in me officio jam egi gratias per Franciscum, & Syngrapham tradidi, qua testor mihi de Regia Pecunia satisfactum. Accingor ad iter periculosisimum, ob nuper dimissos sceleratissimos Prædones, qui millibus aliquot conglomeratis ex sua libidine grassabantur in quosvis. Hæc est crudelis Principum Clementia, parcere impiis Parricidis, & sacrilegis nefariis, non parcere Civibus suis. Adeo chariores sunt illis, per quos opprimunt populum, quam Populus ipse. Utinam adjecisses duobus verbis, quare in capite septimo tibi non satisfecerim, fortasse quod ego ad affectus retuli, tu malebas, ad Legem Moysaicam referri. Sed Paulus illic adeo \* lubricus est, nunc

\* Erasmus hic patitur suos Manes.

nunc huc respiciens, nunc illuc, ut in his explicandis summopere sudet Origenes. Alias polliceris te scripturum, verum hoc alias serum erit. Opere jam absoluto totus ad vos advolo, præsertim si quid bonæ fortunæ paratum erit. Quod ut fiat perge, te quæso, admitti. Bene vale. Lovanii, Calend. Majas, Anno M. D. XVII.

### ERASMUS HERMANNO BUSCHIO SUO

s. d.

**D**iffidium istud indies gliscere, vehementius quam credi posset, doleo. Demiror autem non pudere Theologos, & sanctissimæ Religionis Professores, tuinultus istiusmodi concitare, quorum exitus cujusmodi sit futurus, incertum est. Quid lamentationibus illis, aut ineptius, aut inamœnius, aut indoctius, aut virulentius? Optarim ego Clarissimum Hermannum a Nova Aquila Comitem a talibus Portentis continere unguis, unde præter pestem ac pus nihil queat auferri. Cum Populis res est ei, qui cum Dominicanó belligeratur. Lystrum, si verum est, quod narras, sic ineptissime moleste fero: Hominem Literis objurgabo, licet id jam fero facturus, si Liber est editus. Bene vale Doctissime Buschi. Lovanii, IX. Calendas Majas, Anno M. D. XVIII.

### ERASMUS JOANNI WERTERIO SUO

s. d.

**E**quidem antehac putabam Germanos armis duntaxat invictos esse, nunc video nulla in

H 3

re

re non esse invictos, posteaquam tu ab Erasmo,  
& valetudinario, & scribendi laboribus pene  
exanimato Literas etiam otiosas extorquere po-  
tuisti. Verbis consequi nequeam, quam mihi  
gratus sit tuus in me tam propensus animus: &  
utinam affectibus tuis respondere liceret. Ma-  
gis tamen philosophicum arbitror, moderatio-  
ribus affectibus Amicos prosequi, & tempesti-  
vis officiis adesse potius quam supervacaneis  
onerare. Quoties laborat Amici fama, quoties  
morro gravatur, quoties eget pecunia, aut alio-  
qui malo quopiam premitur, ibi convenit Ami-  
cum agere, mederi si liceat. Sin minus, Ora-  
tione ac Literis lenire molestiam. Alioqui quod  
officii genus est, quod & præstantem lædit, nec  
ei cui præstatur quicquam prodest? Aut quale  
est hoc imputare Amico in beneficiorum ratio-  
ne, unde ille nihil senserit commodi? Sic qui-  
dam divo Jacobo imputant, quod illum ma-  
gno suo malo adierint, aut Christo imputant,  
quod ingenti periculo suo Hierosolymam vise-  
rint: cum utrunque verioribus officiis domi li-  
cuisset demerere. Jampridem in Libris melio-  
rem Erasini videras imaginem, si qua tamen  
bona est, imo juxta Platonem, totum videras  
Erasimum. Quid igitur supererat tantis expe-  
tendum itineribus? Verus amor animis con-  
stat, quem sæpenumero vel dissolvit, vel mi-  
nuit Corporum conjunctio. Sed inhumanus  
sim, si vere succenseam tibi, qui ob hoc ipsum  
dignus es, qui redameris, quod amas impoten-  
tius.

tius. Bene vale. Lovanii, XIII. Calend. Novemb. Anno M. D. XVIII.

ERASMUS ROTERODAMUS  
NICOLAO GERBELIO Juris  
Pontificii Doctori s. d.

**V**t insigniter & ex animi sui sententia meus Genius malus hoc anno exercuit, Doctissime Gerbeli. Tragoediam malorum meorum cognoscet ex meis ad Beatum Rhenanum literis. Adhuc in manibus Chirurgorum sum domi alligatus. Dabit Christus Optimus Maximus ubi merebimur, imo ubi dignabitur ipse, meliora. Nos in tantis malis animo semper infracto fuimus. Utinam audiam Schurerium meum revaluisse. Salutabis Sodalitatem totam, sed præcipue Sturmium, tum Gebuvilegium, & Rudalphingium, qui solita sua benignitate in diversorio me immunem esse voluerunt, quasi parum fuisse suo convictu, & ornasse, & voluptati fuisse. Jam scis, opinor, Bruno ni quoque Amorbachio esse quod amplectatur in somnis. Precor ut tibi res feliciter cœpta, felicissime succedat. Saluta diligenter novum Amicum Bathodium. Sic ditesco indies. Invisit nos Helius Eobanus homo candidus, in versu Nasonis facilitatem referens, nec in prosa oratione sui dissimilis. Venerat ab Erphurdia, tantum ut Erasmus videret. Animum probo, officium non probo, quod gravat præstantem absque fructu ejus cui præstatur. Cœlum hic adhuc pu-

rum est, laborarunt pauci, sed malo aliunde invento. Bene vale Doctissime Gerbeli, & Erasimum ama, facturus hoc, mihi crede mutuum. Lovanii, XIII. Calendas Novembr. Anno M. D. XVIII.

ERASMUS ROTERODAMUS CHRIS.  
STOPHORO ESCHENVELDIO

Telonæ Popardiensi

S. D.

**Q**uid tam præter spem evenit, quam quod Cinicampianum nostri studiosum Popardiæ reperi? Imo Telonen Musis honestisque Studiis addictum? Christus in probrum Phariseorum vertit, quod meretrices & publicani præcederent eos in Regnum Cœlorum. An non æque dedecorosum, quod Sacerdotes & Monachi per luxum & otium ventri vivunt, dum Telonæ Bonas Literas amplectuntur? Illi se totos gulæ consecrant. Cinicampianus se Cæsari, Studiisque partitur. Satis præ te ferebas, quam de nobis opinionem concepisses. Præclare mecum agitur, si nihil ab ea detrivit nostri conspectus. Sed heus tu, vinum illud rubellum mire placuit Nautæ Uxori, mulieri mammosæ bibosæque, adeo ut sæpe appellata nulli voluerit impartire. Hausit affatim, sed mox ad arma: Ancillam pene occidit magnis cochlearibus. Pugna vix poterat diriini. Mox egressa in summam navem Maritum aggreditur, & periculum erat, ne illum e navi in Rhenum præcipitem

pittem daret. H abes vini tui energiam. Tragœdiam malorum meorum ex meis ad Beatum literis cognosces, si modo vacabit legere. Bene vale Vir animo meo charissime. Joannem Flaminium Virum eruditum vereque Christianæ puritatis, meo nomine saluta. Lovanii, 14. Calend. Novemb. Anno M. D. XVIII.

E R A S M U S R O T E R O D A M U S  
Insigni Theologo JOANNI CLAY-  
MONDO s. d.

**E**gregiam illam prudentiam suam, qua semper publicæ Famæ præconio commendatus fuit Richardus Episcopus Wintoniensis, nullo certiore argumento nobis declaravit, Claymonde, non infimum Decus Ordinis Theologici, quam quod Collegium magnificum suis impendiis extructum, tribus præcipuis Linguis, ac melioribus Literis, vetustisque Autoribus proprie consecravit. Nam qua ratione melius mereri potuit de rebus humanis: aut quo monumento rectius nomen suum æternæ Hominum memoriae dedicare? Istuc profecto demum est Ecclesiæ columnen, istuc est Episcopum agere. Majorem autem in modum gaudeo Thomam Cardinalem Eboracensem, Cardinalem Campegiun, ac ne cæteris commemorandis siam prolixior, ipsum etiam Henricum Octavum, Principe nullo hujus ætatis vere Regiis Dotibus inferiorem, toto pectore huic favere negotio. Quorum ut Autoritas fa-

cile coërcet oblatrantium improbitatem, ita Benignitas abunde suppeditat, quibus invitatur industria Professorum, quæque postulat otium Literarum. Complures Regiones vulgare monumentum aliquod nobilitavit: ingenti Colloso Rhodus est celebris. Caria Mausoli sepulchro: Memphis Pyramidibus: Gnidus sculptili Veneris signo: Thebæ magico Memnone. Mihi præfragit animus futurum olim, ut istud Collegium ceu Templum sacrosanctum, optimis Literis dicatum, toto terrarum Orbe inter præcipua Decora Britanniae numeretur: pluresque futuros, quos trilinguis istius Bibliothecæ spectaculum, quæ nihil bonorum Autorum non habeat, unde nihil malorum non exulet, pertrahat Oxoniam, quam olim tot miraculis visenda Roma ad se se pellexit. Quin & illud mihi quidem sagax consilium optimi Præfusilis arguit, quod te potissimum ex omnibus delectum, Virum haudquaquam novæ, sed iam olim notæ perspectæque probitatis, novo Collegio præfererit: qui primum possis eas Literas & cum dignitate profiteri, deinde possis vel unus esse documento, optimis Literis cum optimis moribus maxime convenire. Facit enim paucorum improbitas, ut qui Bonis Literis parum bene volunt, calumnientur hoc Studiorum genus corrumpere vitam humanam, & avocare a Pietate Christiana. Sunt autem apud nos, præcipue Germanos, Juvenes aliquot, vita quidem integra, sed qui sic asserant meliores literas, ut in harum

harum hostes, magna libertate velut ἐξ αὐτοῦ  
debacchentur. Evidem non nego veniam dan-  
dam Aetati, imo etiam Genti, praesertim cum  
tam acerbis odiis irritentur, ut in Adversarios  
nihil possit satis asperum dici. Sed tamen mea  
sententia, longe plus adferet momenti tua  
modesta Gravitas, & erudita Lenitas, hos eti-  
am qui modo reclamabant, qui arma contra  
ferebant, in sua castra pertractura, ex infestissi-  
mis Hostibus fidelissimos Milites, ac Propugna-  
tores futuros. Plus efficit, qui sua moderatio-  
ne omnibus commendat Bonas Literas, quam  
qui cum pertinacibus harum Sycophantis affi-  
due rixatur. Ego quod tandem contumeliae ge-  
nus non sum passus ab ipsis Philobarbaris?  
Quos tumultus excitarunt? quas movere Tra-  
gœdias? quas struxerunt insidias? Mihi sane  
nec unguis deerant, nec dentes, nec telum, si  
libuisset uti: neque sum ignarus, quibus mo-  
dis ejusmodi Portenta tractanda sunt: verum  
judicavi non solum Christo esse gratius, verum  
etiam ad provehenda rectiora Studia conduci-  
bilius, aut moderatis rationibus placare recla-  
mantibus, aut certe cedere, donec temporis pro-  
gressu aut evanescat ille stolidi pectoris impe-  
tus, aut ipsi resipiscant. Nec adhuc me hujus  
consilii penitet. Non ausurus eram Doctissime  
Claymonde, te meis literis laceffere, nisi Cut-  
bertus Tonstallus, Thomas Morus, Ricardus  
Pacæus, suis literis magno consensu morum  
tuorum τὸ εὐχενστον, ac facilitatem integritati  
parem

parem prædicassent. Quibus Autoribus fretus,  
non veritus sum, vel hac manu tibi scribere, qua  
soleo cogitationum mearum celeritatem æqua-  
re. Bene vale. Lovanii, quinto Calendas Julii,  
Anno M. D. XIX.

ERASMUS ROTERODAMUS JOANNI  
FALCONI SUO s. d.

Epistola Jocosa.

**T**u cave Saluteim a nobis expectaveris. De-  
voveo te, quoties tua mihi convicia in-  
mentem veniunt, quoties torvos illos oculos  
animo contueor, quoties os illud, ad meras  
Contumelias compositum. Itaque amare te  
plane non possum. Minus quidem odero, si Bo-  
nas Literas lucellis tuis præponere poteris.  
Fata mea me hactenus persequuta sunt. Iter  
enim habuimus ad prodigium usque asperum  
atque sœvum: cætera Batti mei fatis debeo.  
Nam Dominæ candorem, beneficentiam, huma-  
nitatem, comitatem, modestiam, si tibi perscri-  
pfero, cum vix aliquam esse partem oratione  
consequutus, mendacissimus tamen viderer ei  
qui ipse expertus non esset. O te miserum! qui  
me sequi sis gravatus. Quid te fuisset beatius?  
Sed gaudeo tuam superbiam tibi nocuisse. Post-  
hac sape, Poëtas fuge, & Lanios sequere. Bre-  
vi isthic adero, si Superi adjutabunt. Tu & quæ  
habes mea serva, & quæ potes contrahe, ne  
quid in mora sit ubi venero. Finem imponam  
Epistolæ, si te paucis monuero: Frustra sapit,  
qui

qui sibi non sapit. Mirare literas, & lauda, sed lucrum sequere. Cave tibi ipse dispiceas, ea res Formæ venustatem obscurat. Cutem ante omnia cura. Omnia tuis commodis postpone. Amicitiam tua causa cole. Eruditionem parce attinge. Ama ardenter, stude modice, verborum prodigus, pecunia parsus esto. Plura monendus eras, sed vale est, aulico ritu, Dominæ dicendum, & cras in Hollandiam avolo. Meliorem vestem domi relinqu. Scis quamobrem? Timeo ne Sorores eam tuæ lacerent. Est enim mihi Antverpiam faciendum iter. Nunc vide, num nihil in me sit salis, & tu sapias solus? Literas tuas adeo non expectabo, ut haud sciam, an has ipse prævertam. Tu tibi vive & vale tibi, & te solum, quod facis, ama. Ex Arce Tornenhensi, tertio Nonas Februari. Anno M. CCCC. XCVII.

E R A S M U S R O T E R O D A M U S

Ricardo Gulielmi Montjoji a sacris

s. d.

**C**opiosissimam ad te Epistolam scribere gestiebat animus Ricarde Candidissime, ni & otium deesset & propediem vos ipse visere decrevissem. Non purgabo me, quod antea non scripserim, coram eam causam agere malo, & absolves me spero. De tuo Comitisque candonre plurius & frequens cum meo Battio mihi sermo fuit. De vestro quidem animo gaudeo, at tam sero esse cognitum doleo. Nos ubi Patriam vise-

viserimus, istuc continuo recurremus, tum plenis (ut ajunt) buccis nugabimur. Interim cura, ut bene valeas, teque tua Philosophia oblectes. Priori apud divam Genovefam, Gulielmo Canonico ὄμοτραπέζω, conterraneo tuo meis verbis salutem dices, præterea Familiaribus reliquis nominatim. Ex Arce Tornenhensi, Anno M. CCCC. XCVII.

## ERASMUS CORNELIO CANONICO

S. D.

**A**deo-ne superbum te Gallia remisit, ut plenarios Amiculos fastidire cœperis? Satrapis scribis, Erasmo non scribis. Quo meo merito? sed habes causam probabilem, & haud scio an veram. Nihil minus opinabar, inquis, quam te in Francia resedisse, qui tum certo consilio in Italiam iter parabas. Age, nihil refello, accipio causam, modo hoc damni quam verbo-sissima epistola sarcias. Novi quod scriberem nihil erat. Metui esse amantissimum vetus est. Boschio quid acciderit miror, jampridem enim ab eo nihil redditur. De nostro recessu hic insuffatur. Tu fac, de toto tuo itinere, rerumque tuarum statu ut seiam. Si quid hic meo studio, cura, diligentia præstari posse judicabis, id pro tuo jure audacter a me flagitabis. Meam Dignitatem ne tibi commendem arctissima nostra & vetus Necessitudo postulare videtur. Gulielmum meum, imo tuum, tuis monitis excitare ne definas, ut aliquid se dignum moliatur. Meis de rebus certi nihil significare potui, cum omnia pen-

penderent. Valemus adhuc, & te vehementer amamus. Petrum nostrum, quod facis, fac quam arctissime complectare. Si in his quæ tibi nostra Necessitudine impartii, ut Harpocrati sati facias, admoneam, videbor parum recte de tua fide, deque tuo in me animo sentire. Quanquam sunt qui te, nescio quid, insululent, tanquam meam absentis Dignitatem parum integra fide fueris tutatus. Mea vero sic est de tua integritate confirmata opinio, ut de meipso sim, priusquam de te, dubitaturus. De nobis hoc tibi persuadeas velim, Erasmum tui amantissimum & esse & dum vivet, fore. Bene vale. Lutetiae, Anno M. CCCC. XCVII.

ERASMUS CUIDAM LUBECENSI

S. D.

**S**alve Vir integerrime. Filius tuus apud me vivit, & a me docetur, iis quidem conditionibus, quas ab Henrico accepi, qui mihi nomine tuo triginta duos coronatos, & vestem promisit. Ægrotavit graviter nuper, sed convalluit Dei beneficio, & Medicorum opera. Fuit in tutela mea complusculos menses, quo tempore ei quibus erat opus, suppeditavi. Mensis Octobri puerum in familiam meam adjunxi: curatur a me non ut alienus, sed ut ex me natus: Ingenio præditus est singulari: Mores pro ea ætate tractabiles sunt, & tolerabiles. Dabo operam quantum quidem in me erit, ut tibi eum restituam, & me Præceptore, & te Patre di-

gnum.

gnum. Libros ejus nondum ad manus meas perferri miror. Antverpiensis ille Mercator scripsit se per quendam Mercatorem Parisiensem transmisisse, & eum nominat, verum is constanter negat. Pecunias adhuc nullas ejus nomine accepi. Augustinus, sub cuius tutela erat, dum ego valetudinis causa in Patria abessem, ab Henrico quinque aut sex florenos sese accepisse fatetur. Is eum tres menses & aluit, & docuit, quod ego me tum in Italianam concessurum putabam. Ei eas pecunias reliqui pro opera sua: præterea quod de ratione diminutum erat, adjeci, apud illum enim ægrotabat: præterea meo sumptu vestitus est. Cooperat hic, nescio quæ Febris pullulascere, sed non admodum frequens: quare in locum urbis apertissimum atque saluberrimum demigravi: quod malum si repullulaverit, longius forte concedam. Nihil enim nobis salute antiquius esse debet & vita. Nam bene vivere, nisi vivamus, non possumus. Qua in re de tua sententia certior fieri cupio, placeat - ne puerum me consequi. Narrabat enim Henricus, etiamsi Filium tuum in Italianam duxisset, me id te approbante facturum. Habes de rebus nostris omnibus: reliquum est, ut de toto animo tuo nos facias certiores: verum neque pecunias, neque literas, nisi per certissimum Tabellarium miseris, nec Parisios miseris, sed ad eum Mercatorem Antverpiensem, ne si hiuc concessero, illæ ad alienas manus perferantur. Hoc quoque ad me perscribas velim, cui  
vitæ

vitæ generi Filium tuum destinaris, & quibus  
potissimum Literis imbui placeat. Finis enim  
unaquaque in re præfigi debet, ad quem omnia  
tanquam ad signum conferantur. Nam quam-  
quam omni quidem Literarum genere Pueri  
sint instituendi, resert tamen, quo sua Studia  
destinent, ut cum omnia perdiscere non liceat,  
saltem aptissima discamus. Hæc pluribus ad te  
scripsi quam debui, & quidein latine, non fasti-  
dio Linguae nostratis, sed quod neque facile id  
potuisseim, neque tu facile intellexisses. Te cum  
optima Conjugé tua, universaque Familia bene  
valere, precor. De me ita tibi tuisque persua-  
deas, in instituendo Filio, mihi neque fidem,  
neque sollicitudinem, neque diligentiam defu-  
turam. Lutetiae, Anno M. CCCC. XCVII.

## ERASMUS CHRISTIANO

S. D.

**N**on tu Erasmi calatum metuis? tam  
audacis tibi facinoris conscius? quippe  
qui Henricum delicias meas a me distraxeris.  
Deseruit me & Robertus Anglus, sed alia lon-  
ge ratione: summa nimirum perfidia, ita ut  
illum decuit. Sed extra jocum: consilium ve-  
strum non modo iniquo animo non fero, ve-  
rum etiam vehementer probo. Consultius  
enim est sarcinam majorem abjecere, quam sub  
onere iniquo concidere: illius virtuti perinde  
ut meæ gratulor. Tu fac Fratrem imiteris, &  
Erasmus vel absentem diligas. Rodolphum

I

Lan-

Langium admoneas velim, ut & meis literis, & suis  
promissis satisfaciat. Bene vale. Lutetiae, Anno  
M. CCCC. XCVI.

### ERAS. GULIELMO MONTJOJO

S. D.

**S**alve vero nomine Montjoje. Deprecatio-  
ne utendum erat, sed Purgatione uti ma-  
lui. Crimen admissum agnosco, quod hodie  
vos lectione fraudaverim, sed necessitas in cau-  
sa fuit, haud voluntas. Cogor duos Tabella-  
rios simul Literis onerare. Tu cave statum trans-  
feras, & falso necessitatem a me prætentam ob-  
jicias. Tum enim qui Rei erat, Actoris fiet, &  
qui jurisdictionis, conjecturalis, aut certe defini-  
tivus erit, ut queratur, quid sit necessitas. Sed  
vide callidum Defensorem, causam meam ago,  
nondum in judicium vocatus, scilicet ut nullo  
accusante meipso & defensore, & judice absolv-  
ar. Bene te valere & Musis quam charissimum  
esse jubeo. M. CCCC. XCVI.

### ERASMUS GULIELMO GAUDANO

SUO S. D.

**S**ic est profecto, deerat, deerat hoc unum infeli-  
citis meæ numeris, ut abs te mihi Epistola  
tam contumeliosa redderetur: perinde quasi  
nobis hic dolorum materia non abunde suppe-  
teret. Tu vero mi Gulielme, & vetustissimo  
nostro amore dignius, & meis fortunis aptius  
facturus eras, si pro objurgatione consolatio-  
nem

nem mississes. Quid tu Amiculum tui perpetuo studiosissimum, miserrimum, convitiis insectaris? Ego in hac rerum conditione, ne confirmationem quidem ullam æquo animo tulissem, & tu ærumnas meas etiam maledictis exasperas? Quid tu me ab invidis nostris expectare jubes, cum hujusmodi mihi adferantur ab Amico, non modo vetustissima necessitudine, verum etiam, quod arctissimum vinculum puto, Studiorum societate conjunctissimo? Deplorare Fortunas meas magis libet, quam te confutare. At vide interim quæso, quam merito me incuses. Indicatum est, nescio a quo, in te indignatum abiisse. Primum, cur tu istis indicibus credis tam facile? tum si maxime indigner, (utar enim eo verbo invidioso, quo tu uteris) cur id non quæris potius, quam obrem tibi indigner. Expostulavi tecum sæpius per literas, nuper etiam coram, quod cessares in literis, quod nihil tuo ingenio dignum mollieris. Hortabar, ut quam maxime Nominis immortalitati consuleres, aliquid excuderes tale, quale omnes abs te expectarent. Nihil tuæ Gloriæ anteponeres, Voluptatulas istas Vulgo relinqueres: si hæc sunt hominis suo commodo consulentes, si inimici, si superbi, nihil refello, quo minus tu me jure criminatus fueris. Sin potius amantis, & tui Nominis avidissimi, & melius etiam de te, quam tu ipse sentias, sentientis, quid tu ejusmodi hominis infelicitatem atrocibus etiam dictis incessis? Si quid

sum in te stomachatus, id unum erat in causa,  
quod tu non tanti ingenium tuum, quanti ego  
facerem, faceres. Sed odiose, inquis, obtundis.  
Nulla igitur venia dignus est, qui intemperan-  
tius amat? Non vides hanc meam improbita-  
tem ab immensa quadam Gloriæ tuae cupiditi-  
tate profectam? Nunc studium in te meum  
ferre æquo animo non potes, qui fastidia per-  
sæpe tulisti. Quid autem sibi volunt illa, mi-  
Gulielme, quemadmodum isthic vivas, ipse  
scis, nec ego ignoror. Me miserum! quam me-  
tuo, ne tu me hic otiosum ineptire atque amare cre-  
das. Tu vero mi Gulielme, Erasmiū non in-  
eptum, sed miserrimum finge: & illum quem  
tu præfractum appellare solebas, jam plane  
fractum, & exanimatum. Cave me tu vel ex  
veteribus moribus vel ex tua Felicitate metia-  
ris. Quod autem Gaudæ paulo liberius tecum  
pro nostra familiaritate garriebam, eam loquen-  
di petulantiam vel vino, quo tum, ut scis sa-  
pe madere cogebamur: vel valetudinis studio  
tribuere debebas, quam ut penitus confirma-  
rem, paululum de pristina vitæ severitate pru-  
dens remiseram. Cæterum is mihi est animus, ut  
ineptire si liceat nolim: ea rursus rerum con-  
ditio, ut si maxime velim haudquaquam ta-  
men liceat. Stomachaberis & hic quoque for-  
tasse: Quid te, inquieris, ita male habet? nun-  
eges? non tibi summa faciendi, quæ libitum  
est, libertas? Coram vix meas Tragœdias ex-  
plicare queam, tantum abest, ut his Literulis  
possim

possim consequi. Ego ne Ulysseos quidem labores cum nostris conferendos censuerim. O me hujus libertatis nimium expertum ! & o te parum ! Sed quid ego his querelis amantissimi hominis animum exaspero ? Quod scribis, isthic te Gloriæ meæ invidiam sustinere, quorū istud attinet ? Ego his in Regionibus Famæ tuæ prodesse possum : tu porro cur invidiosam etiam nostri defensionem sumis ? Quis nescit, Guilielmum Erasmo vel in causa iniquissima æquisfum fore ? Quod ut non facias, nemo tamen non expectabit. Quanquam tuum in me fludium, non gratissimum esse non potest. Sed si me mea Fata non sinunt, tu saltem tuis Literis primum Patriam nostram, deinde teipsum quam maxime nobilita. Crede hoc mihi Guilielme, nihil non poteris, modo animus non desit. Sed veniam dabis amori nostro, qui te rursum hortari incipio. De Henrico cave quicquam nisi amicissimo Viro dignum suspiceris. De te enim omnia amantissime prædicavit. Si quid apud me pro conjunctissima Familiaritate nostra questus est, fecit id & modestissime, & ut faceret is, qui te ex animo amaret. Apud me quidem delatus est, quod apud Anglos, dum isthinc abisse, parum sinceriter egerit : quod ut de alio quovis (est enim inter mortales rara fides, animique hominum mutabiles) facile credi possit, ita de hoc nec credere libet, nec suspicari. Tum, satius esse puto, his in rebus hallucinari, quam odiosa diligentia ea perqui-

rere, quæ rectius latuissent. Quod tibi de N.  
tua veteri taciturnitate fretus indicavi, per fi-  
dem te obtestor, cave vel nutu significes. Tibi  
enim nihil commodaris, illi vero justissimam  
in me stomachandi materiam præbueris. De  
Henrico scripsi Servatio : Hominis ingenium  
satis mirari nequeo : verum quid facias ? His  
moribus nunc vivitur. Quare illud Chilonis  
probemus, necesse est. Sic aina, tanquam ali-  
quando sis osurus : sic oderis, tanquam ali-  
quando amaturus. Ais isthic multa de me re-  
nuntiari, auditu neutquam jucunda. Ego vero,  
Gulielme, innocentiam præstare possum, id  
quod facio : quid homines de me loquantur,  
non possum. Hoc magis vereor, quid tu tan-  
dem de me sentias : quem unum, ita me Deus  
amet, pluris facio, quam reliquos omnes. Quid  
enim sibi voluit illa tua Epistola, qua vitam  
meam notare videris ? Vis igitur scire, quemad-  
modum hic vivat Erasmus ? te enim nihil mea-  
rum rerum ignorare par est. Vivit : imo haud  
scio an vivat : sed vivit prorsus miserrimus,  
omni lachrymarum genere confectus : quot in-  
fidiis petitus, quoties Amicorum præsidio delu-  
sus, quot casibus sursum ac deorsum jactatus ?  
sed vivit innocentissimus. Scio me vix harum  
rerum tibi fidem facturum. Veterem adhuc Eras-  
mum, & libertatem meam, & si quid est splen-  
doris, cogitas, verum si coram loqui liceret, ni-  
hil mihi facilius fuerit quam id tibi persuadere.  
Quare si verum Erasmi simulachrum tibi fingere  
voles,

voles, finge non ineptum, non comineſſatorem,  
 non amatorem, sed afflictissimum, sed lachry-  
 mosum, sed invisum ſibi ipſi, cui jam nec vi-  
 vere libeat, nec liceat mori. Denique miſerri-  
 mum, ſed Fortunæ iniqutate, non ſua culpa, mi-  
 ſerrimum tamen: quid enim refert? ſed tui aman-  
 tiſſimum, ſtudioſiſſimum, ardentiſſimum. Ita  
 velint Superi has meas ærumnas aut in me-  
 lius mutari, aut matura morte finiri, ut nun-  
 quam mihi vel mea Dignitas antiquior, vel  
 Gloria jucundior, vel Vita charior, quam tua  
 fuit. Si cæteris Mortalibus ſim inviſus, nihil  
 miror. Quis enim hominem tam miſerum non  
 jure optimo oderit? Tuuī vero etiam amo-  
 rem, mea infelicitate mutari, qui timere potui,  
 in cuius unius fide ſemper acquievi, quem ſic  
 complectebar, a quo me non vulgariter, ſed  
 prisco illo more amari credebam. Si & huic me  
 inviſum intelligo, & ob id inviſum, quod ſim  
 miſerimus: quid eft cur vivere velim? O mi-  
 Gulieme, vetus meum, & utinam perpetuum  
 folatiū, dolor tantum non cum lachrymis &  
 vocem exprimit. Si quo gravi & nefario ſce-  
 lere noſtrā Amicitiam violafsem, tu tamen in-  
 feliciſſimo Amico, pro justiſſima ira miſericor-  
 diam & lachrymas impendere debebas. Nunc  
 cum cui nulli unquam caſus, nullæ rerum mu-  
 tationes tui charitatē excutere potuerunt,  
 maledictis potes incessere, potes probris infe-  
 ſtari, tanquam defint, qui manibus pedibusque  
 in meam perničiem incumbant; qui me ferro

ignique extinctum velint. Quid mihi isthic tam charum fuit, cuius inter hos casus non obrepserit oblivio? Vidisti ipse me nonnunquam ~~vecurie~~ & risisti saepe. Scis quod pectus loquar. Quid unquam amavi tenerius? Nunc mirum est dictu, quam frigeam. Omnes amores illi vulgares excidere potuerunt: tu unus pectori nostro inhæfisti; & ita inhæfisti, ut charitas consuetudinis intermissione aucta sit, non extincta. Et tu Amicum tam pertinaciter tibi deditum, cui felici invidere non posses, miserrimum odisse poteris? Novi Vulgo quidem hunc esse morem, sed o me miserum! si te Literæ a Vulgi moribus vindicare non possunt. Quid tu igitur me Pyladem tuum, quid Thesea appellasti? Quanquam invertere debueras, & Orestem potius ac Pirithoum appellare. Sed sit lachrymarum finis. Hoc unum te charissime Gulielme (jucundissimum enim dicere non licet) & per veterem nostram benevolentiam & per meas fortunas afflictissimas obsecro atque obtestor, ut si me non odisse non potes, si misereri non potes, saltē parce maledictis crudelissimum vulnus exasperare: & quod victo Hosti dare debueras, da Amico nihil commerito. Tu tuam valetudinem tanto cura diligentius, quanto mea desperatione est. Patri tuo Viro humanissimo, beneque de me merito: præterea Jacobo convictori tuo me quam diligentissime commendabis. Tuus Jasparus me sibi habet devinctissimum, & pudet me hominem tam amicum tam indiligerent ample-

amplexum fuisse. Parisiis, Postridie Id. Decemb.  
M. CCCC. XCVII.

## ERASMUS JOANNI BRUXELLENSI

S. D.

**E**go vero quodnam ad te scribendi initium capiam, prorsus haereo: nec quem incussem, scio, quorundam-ne hominum, quos tu plus satis nosti, perfidiam, an Antoniae ineptam argutiam, an meam potius credulitatem? Sed tota hac de re mutare satius. Hoc unum dicam: me pro meo officio summam invidiam undique contraxisse. Itaque ex illis aedibus Erasmus exulat: alii regnant, invita quidem, ut suspicor, Antonia. Sed haec coram melius. Interim fac antiquum istum animum in nos obtineas: omnes quibus - cum isthic viximus, nominatim meis verbis salutabis diligenter. Seorsum autem D. Vicario me etiam atque etiam commendabis. Bene vale, nosque mutuo dilige. Lutetiae, Anno M. CCCC. XCVII.

## ERASMUS NICASIO, SACELLANO

Cameracensi suo S. D.

**Q**uanquam antea mihi Literarum nomine charissimus esses Nicasii Doctissime, difficile tamen dictu fuerit, quantus cumulus meo in te amori ex illo nostro convictu accesserit. Antea me tibi deditissimum habebas, nunc multo devinctiorem. Sed suspecta quædam res est, verbis beneficium rependere. Tu si mei in te

animi periculum facere velis, aliquid vicissim  
oneris imponito. Nullam sarcinam tam gra-  
uem, tam molestam injeceris, quæ mihi tua cau-  
fa non levissima, non etiam jucunda videatur.  
Epistolam tuam reddidi diligenter. Thomam  
Cameracensem tuo nomine salvere jussi. Tu  
quod es pollicitus fac præstes, ut ad me quam  
sæpius scribas. Michaelem Pavium Præce-  
ptorem meum, nominatiū vero illum Hospi-  
tem, Virum (ita me Deus amet) Episcopatu di-  
gnū, cuius nomen excidit, humanitas, comi-  
tasque, qua me isthic tractavit, nec excidit, nec  
excidet unquam, meis verbis salutabis accura-  
te, & tuo more, hoc est, diligentissime gratias  
ages. Bene valere te cum tuis omnibus precor.  
Parisiis, postridie Id. Decemb. Anno M. CCCC.  
XCIX.

## ERASMUS JACOBO BATTO

S. D.

**S**alve meum Præsidium, jucundissime Batte.  
Si Domina Veriana valet, quondam tua,  
nunc mihi tecum communis Patrona, & si omnia  
illi sunt secunda, ita est, ut & optamus, &  
confidimus. Literis committere nec possim, si  
audeam: nec ausim, si possim, quam scire cu-  
piam, num illa jam isthinc evolarit, num sua  
charissima pignora una secum abduxerit. O te  
beatum! o Superis charum! si tu istos scopulos  
enavigaris: si felicitate tua, quæ mihi quidem  
summa videtur, sine invidia frui possis. Quod  
ut

ut fore confidam, Dominæ virtus facit, cui Superos omneis propitios, beneque volentes esse non dubito. Evenit mihi mi Batte, in ista, quod in te sæpen numero solet, ut tum ardentius amare, mirarique incipiam, quum absim. Bone Deus! qui candor, quæ comitas in amplissima Fortuna, quæ animi lenitas in tantis injuriis, quæ hilaritas in tantis curis: tum quæ animi constantia, quæ vitæ innocentia, quod in Literatos studium, quæ in omnes affabilitas, proinde ita prorsus sentio mi Batte, te esse unum Mortalium omnium felicissimum, si ista quam diutissime potiri dabitur, & dabitur haud dubie, si (quod facis) illius in te animo, mutuis officiis responderis. Nos Antverpiam incolumes appulimus. Augustinus cum suo comitatu jam Parisios præcessit: pollicitus est sese aliquot dies illic me operiri. Quare properandum mihi censeo, ne tam certi comitatū commoditas prætereatur. Nihil est quod te admoneam, & tuam enim rebus in meis diligentiam novi: & tanta est liberalissimæ Dominæ in me benignitas, ut rubor mihi plane quidam oboviatur, cum animo reputo, tanta me ab ea beneficentia cumulatum, de qua nihil unquam sum meritus. Sed meum erit, etiam atque etiam cogitare, ut non prorsus perisse in nobis illius beneficia declaremus. Revolabo isthuc quampri-  
mum, si Superi sinent. Precor ut vos omnes incolumes, & recte valentes offendam, illam in-  
primis, unde nostrum utriusque spes, salusque  
tota

tota pendet. Non debes tumultuarium mirari characterem : scripsi enim hæc in navi jam solutus, omnibus undique magno fragore perstrepentibus. Bene vale. Filium herilem amabili indole Puerum, una cum Sorore, Fratris sui Matrisque simillima recte valere precor. Familiares tuos nominatim meo nomine salvere jubebis. Ex Antverpia, pridie Id. Februar. Anno M. CCCC. XCVII.

## ERASMUS GULIELMO SODALI

S. D.

**S**alve unica mea voluptas. Gratulor tibi quod isthic sis, si tu modo gaudes, gaudere autem debes, nam te gradum ad Gloriam natum confido. Me miserum ! quod literæ non ita ut studueram, redditæ sunt, non tam quod non acceperim id quod volebam, quam quod tuis suavissimis sum literis frustratus. Emoriar, ni crebro me scriptis subleves : A N, mihi redditæ sunt literæ, in quibus familiarius, ita ut jussoram, animum suum aperit. Studium meum prædicare non audet : multis ait non probari : vereri ait quosdam, ne ære alieno conflato, meos onerem. Multa queritur suo more. Ego Hominem metu liberavi : quanquam se quidem id nihil timere scribat, verum ut quibusdam satisfaciat. Me, ut videtur, amat : te non odit : nam de te satis amanter nuntiat. Respondi ad hæc tum pro ingenio meo, tum pro autoritate, si qua est. De mea conditione satis abunde scripsi.

ps. De Antifite miror te laborare, quum iam  
decies, & amplius scripserim: omnia recte, sed  
dat nihil, promittit satis. Ais isthic multum de  
me sermonem esse. Qualem? Si bonum, gau-  
deo: si secus, isti viderint. Hic certe nihil nisi  
laus de me, fortassis merito meo. Quod me ad  
virtutem hortaris, facis ut Gulielmum decet:  
At ego vicissim te mihi Gulielme hortor, ut ma-  
gno animo & Virtutem, & Doctrinam capessas:  
quod si facis, sic mihi persuasi, te unicum Hol-  
landiae Decus futurum: & isthic tu facilius in  
Theologum evades, quam ego hic. Crede mi-  
hi, sic res habet, sed garriamus. Quid agis, in-  
quies? More meo Ulyssen ago, & nuper in  
languorem ex itinere incidi, vix adhuc valeo.  
Quidam Familiarium meorum febricula corre-  
ptus, convalescit tamen. Augustinus tuus in-  
terpres, jampridem a me separatus est: arte me  
tractat, ego vicissim illum. Nihil sinceri amo-  
ris inter nos neque est, neque fuit unquam, tan-  
tum est discrimin Ingeniorum. Est isthuc brevi-  
venturus. Tu quoque arte tractabis Hominem.  
Deferes illi apud alios: tractabis quam poteris  
magnificentissime. Dicet fortasse nonnulla in  
tuam laudem, auscultabis. Nunquam iterum  
isthic videbitur. Quare tua causa honorabis  
Hominem: nec deest Titulus. Palam hic in-  
terpretatus est, & quidem gratis, tua Carmina.  
Ages gratias: dabis nihil, præsertim eorum quæ  
mihi usui esse possunt. Scripseram ad te quæ  
fieri vellem: si fecisti, obsecro ut mittas: nam  
res

res non exigui momenti est: sin nondum, leva-  
bo te parte laboris. Meas elegantias duntaxat  
mitte. Laurentii etiam tertium librum, si scri-  
ptus est, omnino mitte: sin minus, alium la-  
borem te suscipere malim. Præterea fac me  
omnium tuorum Operum participem: quamob-  
rem id tantopere cupiam, jam aperiam. Sum  
apud nobilem quendam Hominem, atque hu-  
inanissimum Anglum, una cum duobus Adole-  
scientibus Generofis: sed ita sum, ut apud Anti-  
stitem non queam esse vel magnificentius, vel  
honestius, etiam si ipse Antistes essem. Is tuis  
Scriptis mirifice confidit. Quod si curaveris, ut  
Tabellarius semper apparet aliquid novi, rem  
mihi feceris tum jucundissimam, tum utilissi-  
mam, nec tibi ipsi quidem inutilem. Ante  
omnia scribes Homini familiariter: laudabis quod  
omnibus rebus contemptis, nihil miretur præ-  
ter Literas, quales pauci quidem sint: verum  
qui sunt, felicissimos eos esse. Narrabis, quan-  
tum voluptatis sit in Literis. Doctam Probita-  
tem efferes, me commendabis, te benigne offe-  
res. Crede mihi Gulielme, etiam noinini pro-  
fuerit tuo. Unus est, qui inter suos plurimum  
valeat: habebis qui tua Scripta per Angliam  
spargat. Iterum atque iterum te oro, ut si quid  
me amas, hæc res tibi sit cordi. Succenso ti-  
bi, quod tam breviter, tam indiligerter scripferis.  
Me miserum! eo res rediit, ut magnum tibi vi-  
deatur, si una nocte mea causa vigiles. An ex-  
cidimus inter voluptates? Utinam ego parti-  
ceps

ceps istarum vivam. Sed vide quo nos ambitio rejecerit. Sisyphi saxum volvimus adhuc. Aliquid molimur, quod si parum processerit, isthuc advolabo. De victu honesto nulla est mihi sollicitudo : certatim quæror, undeque ambior. Sed o utinam aut ego tecum, aut tu mecum viveres. Nescis quam tui desiderio macerer, tui, inquam, unius. Excidit K. excidit I. excidit C. excidere cæteri, quos non nomino, ne lites audiām. Unus Gulielmus hæsit penitus infixus medullis. Credo te beneficia callere. Non ego in alium cum ipso Pontifice quam tecum vivere. Honestatis studio duriusculè hic vivimus. Valeat nomen Theologi, valeat fama, valeat iustitiae dignitas. Jam prælibavi quid sit, esse aliquid. Quid potius quam gatrire cuin amiculo? Jam tres menses sunt, quod neque Faustum, neque Gaguinum salutaverim. Tu tamen scribes ad Faustum doctissime & breviter : ad Gaguinum verbosius, pauca familiariter disputabis, simo disputandi præbebis materiam. Tabellarium cognatum tuum, quo diligentius nostra perferat, magnifice compellabis. Est enim honoris avidior. Quod ad dandum attinet, a me curabitur: tu si quid voles aut egebis, mihi significato. Habemus semper unum atque alterum coronatum Gulielmo. Vide quam Galli sumus. Sed extra jocum, de Antistite Trajetensi res apud me refrixit. Intelligo eum Hominem famelicum. Quo pacto tibi isthic vita procedat, quid agat Frater, quid Cornelius, quid

Serva-

Servatius, quid cæteri, fac omnia sciam. Scribe verbosissime & diligenter. Imo semper sub Tabellarii adventum literas parato. Boschius a Cornelio literas accepisse se scribit, tua Carmina petit: intelligo de me nihil scripsisse. Cornelium subiratum suspicor, ne mihi quidem scripsit unquam. Miror quid sit, amo hominem, dum te modo amet: nam de me non labore. Scribe quid acceperis, nam quindecim tuorum Carminum Volumina misi: Epistolam bene longam, quam partim ante morbum, partim re-creatus, scripsi. De Antistite Cameracensi nihil accipio. Bene vale. Lutetiae, Anno M. CCCC. XCIX.

### ERASMUS ROBERTO GAGUINO.

**S**ingularis tua Humanitas, qua non minore cum laude vincis omnes quam Eruditione, mihi hanc ministrat fiduciam, ut tametsi nihil promeritus, audeam tamen tuum officium tam libere requirere. Est mihi cum Macrobio homine (ut scis) perquam festivo aliquot dierum colloquium. Eum quæso, ut e tua doctissima Bibliotheca ad nos ire jubeas. Nam tu quidem in tanta optimorum Autorum copia, Macrobiū unum non desiderabis, & nos in hac nostra inopia vehementer delectabit. Vale, ac nos tibi jampridem devinctissimos, devinctiores reddito. Lutetiae, M. CCCC. XCIX.

ERAS-

## ERASMUS PETRO ÆGIDIO

S. D.

**S**cripturus eram ad te, nam ita decreveram  
mi Petre, verum intervenere nescio quæ,  
quæ propositum hoc excuterent. Laurentius,  
& alia quædam collectanea tua, sunt in tuto,  
jamque ad te redissent, ni mihi consilium tuum  
displaciisset. Nam si huc ad Pascha venturus  
es, ut scribis, sine causa Libros repetis: si non  
es venturus, tum mittentur, quo videbitur.  
Nam nihil est periculi, ne quid pereat, præfer-  
tim me advigilante. Cum Antverpiæ proxime  
essem, Pater adito me, volebat dicere, nescio  
quid magnum ac serium: verum erat abeun-  
dum mihi. Suspicabar agi de te mihi commit-  
tendo: quam equidem rem neque suafurus  
sum, ne videar mei compendii gratia cupere:  
neque dissuafurus, quum percipiām tibi prod-  
esse: & video quantum possum, si mecum  
mensēs aliquot fueris. Et utinam Patri mens ea  
fuisset priusquam isthinc abirem. Vale, & un-  
decunque potes, collige Rodolphi Agricolæ  
Opuscula, tecumque deporta. Joannes Gorcu-  
mensis salutem multam jussit tibi adscribi. Lu-  
tetiæ, Anno M. D. III.

## ERASMUS AMICO CUIDAM.

**P**er tuam Humanitatein N. jucundissime, obse-  
cro ut mihi ignoscas, quod neque multa, ne-  
que digna te, tibi scripserim. Crede mihi, voluntas

K

arden-

ardentissima erat, sed in luctu jocosa scribere, perdifficile est. Nondum me collegi, nondum ad me redii, conor tamen Musis Adjutricibus, aliquid te dignum tibi dedicare. Verum ne me interim tantillum laboris tua causa defugisse putares, imperavi, ut potui, animo meo, ac Dionysiolam nostram sum imitatus: quæ nonnunquam, ut scis, cum lachrymis canit ac saltat. Ubi in antiquum animum rediero, nihil a me frustra petes, quod quidem præstare queam. Te pro nostra Necessitudine hortor, ut toto animo Literis incumbas, nihil dubitans, quin bonam partem sis assecuturus. Quas si amabis, me odisse non poteris. Hortor igitur te, non solum tua causa, verum etiam mea. Bene te valere cupio. Omnes tuæ Familiaæ recte valere precor.

M. CCCC. XCVIII.

### ERASMUS CUIDAM.

**Q**uod pristinam meam scribendi consuetudinem intermissam miraris, nihil est, quod suspiceris mali: neque enim, quod semper fui, tui amantissimus esse desii. Bene vale.

### ERASMUS CUIDAM.

**V**bi nostrum N. isthuc iturum intellexi-  
sem, nolui inanem venire, præsertim qui  
me obnixe rogaret, ut sese apud te commenda-  
tum facerem. Obsecro itaque, ut eum pro tua  
veteri consuetudine tractes. Non clam me est,  
nec ille quidem ignorat, quantum possis, quan-  
tumque

tumque mea causa velis. Effice ne vel illum sua spes, vel me mea de te opinio fallat. N. quidem tibi novum Amicum comparaveris, me vero arctius devinxeris. Vale.

## ERASMUS CUIDAM.

**C**rebrius ad te scripsisse N. Humanissime. Soleo enim hujusmodi officiorum genere cum Amicis perlibenter uti: verum reverbar, ne si aut tua Studia interpellatione meorum Literarum interturbarem, aut non perinde iisdem officiis delectare, improbus potius quam benevolus videri possem. Nunc certe continere me diutius nequaquam potui: dicam enim simpliciter: non quod otio abundarem, quod unum in totum mihi interdixi, sed ne consuetudinis intermissio, de pristina mea in te benevolentia quicquam minuisse videretur. Ita de te prorsus sentio mihi N. ut ni tu me singulari animo complecteris, tota erresem via. Quid rerum faciam rogas? Amicis operam do, horum consuetudine gratissima memet oblecto. Quos tu tandem Amicos mihi jactitas, inquis, Homuncio levissime? an quisquam te visum aut auditum velit? Equidein non diffiteor Fortunatorum Amicos esse plurimos: at nec Pauperibus desunt Amici, & quidem istis non paucis tum certiores, tum commodiiores. Cum his ine concludo in angulum aliquem: & turbam ventosam fugiens, aut cum illis dulcia quædam mussito, aut eos aliquid insusurrantes audio,

cum his non secus ac mecum loquor. An quicquam his commodius? Arcana ipsi sua celant nunquam, commissa summa cum fide continent: nihil foras quæ liberius inter Familiarres effundere solemus, renunciant: vocati præsto sunt, invocati non ingerunt sese: iussi loquuntur, injussi tacent: loquuntur quæ voles, quantum voles, quoad voles, nihil assentantur, fingunt nihil, nihil dissimulant, vitia tua tibi libere indicant, nemini obtrecent: aut jucunda dicunt, aut salutaria: secundis in rebus moderantur, consulantur in afflictis, cum Fortuna minime variantur: in omnia pericula te sequuntur, ad extremos usque rogos perdurant: nihil illis inter ipsos candidius. Committo subinde, nunc hos nunc illos mihi adsciscens, omnibus æquus. Cum his Amiculis Optime N. sepultus delitesco. Quas ego tandem opes, aut quæ sceptræ cum hac desidia commutavero? Verum ne nostra te fallat Metaphora, quicquid de Amiculis hactenus sum locutus, de Libris dictum intelligas, quorum Familiaritas me plane beatum effecit, hoc solo infortunatum, quod non tecum mihi hæc Felicitas contigerit. Te quanquam nihil opus, hortari non desinam, ut toto animo præclara Studia complectaris, ne quid plebejum, ne quid mediocre mireris, ad summa semper enitere. Spero futurum aliquando, ut me & fideliter, & amanter consuluisse, non semel fatearis. Concepit de Facetiis, Proverbiis, Sententiisque negotium. Degustainmenta quæ-

quædam ad te dedi, quorum plus tria millia  
me annumeraturum brevi confido, Opus (ut  
auguror) tum gratiosum, tum perutile, hacte-  
nus a nemine tentatum. Quod si tibi cordi esse  
intellexero, erit cur & libentius, & ardenter  
eum laborem suscipiam. Interim vale, nosque,  
quod facis, ama.

## ERASMUS AUGUSTINO

S. D.

**I**ta-ne ut Medico tuo (nescio cui) gratifice-  
ris, me unico tædii mei solatio spolias?  
Nam munere quidem, non audeo dicere. Ego  
quidem ita hujus Autoris ardeo amore, ut quum  
intelligere nequeam, aspectu tamen ipso recreer  
ac pascar. Cæterum vehementer iniquum ra-  
tus tibi ulla in re, vel parum æqua adversari,  
præsertim in rebus afflictis. Homeri partem ad  
te mitto, & ut Medici istius improbitati satis-  
fiat, & ne ego omni solatio destituar. Nam ita  
quidem cum Jacobo vivimus, ut soli vivamus.  
Itaque miser expecto, donec in pristinam con-  
suetudinem redeamus. Id quidem propediem  
futurum video, quandoquidem audio Adole-  
scentium vehementer recreatum. Interim te  
oro, ut vel literis mutuis, mutuam quandam  
Consuetudinem imaginemur. Non possum te  
exorare, ut Epistolarum Opus mihi mittas,  
quum tantopere mea intersit & tua non nihil.  
Quod ad Jacobum pertinet, ego me tibi quo-  
vis periculo obligabo, me illi ne literam qui-

dem communem facturum. Ita assuefeci Hominem, ut quid agam, ne respiciat quidem. Salve, vale, Charissime Augustine, nostram communem fortunam sustine animo, quo soles. Salutat te tuus Jacobus, & hoc nomine meus quoque, quia tuus. Epistolarum Opus expecto, si non totum, at certe Codicem unum, aut alterum, ut auspicari saltem liceat, & hoc Opus interim videtur a me absolvvi posse: nam reliqua sine summa Librorum copia, qui perfici possint, non video. Cura ut valeas Optime Augustine. M. CCCC. XCIX.

**ERASMUS ROTERODAMUS**  
AUGUSTINO suo s. d.

**D**e meo in te animo, ex literis, quas isthic reliqui, potes cognoscere. A bimestri pene peregrinatione, vix demum apud Battum nostrum consedimus. Crebri huc rumores adferuntur, pestem isthic populari omnia. Quod si tu e re tua ducis esse, ut huc commigres: quod scripsi id ipsa re comperies. Cave suspiceris meam isthinc migrationem ulla cum malevolentia, dolore fuisse conjunctam. Emotiar, si antehac unquam perinde nolens reliqui Lutetiam: sed crebra me Funera territabant. Quod si propter veteres offendas, nonnulla animum tuum habet suspicio, nostri periculum facito: intelligas faxo, sic te a nobis amari, ut antehac friguisse videamur. Toto itinere nihil usquam de tuo reditu potuimus cognoscere, id quod partim

partim dolebam, partim etiam mirabar. Tandem Antonius quidam narrabat audisse se quendam, qui te Lubeci a se visum, conventumque affirmaret vel hoc arguento, quod Laurentianas Elegantias a me quondam concinnatas in compendium, tibi tradidisset. Nec ad hunc usque diem, vel certus, vel incertus hic rumor allatus est, te Lutetiam revertisse. Eoque scripsimus tum brevius, tum neglectius, ne majoris operæ aleam tentaremus. Tu si jam reversus es, faltem de toto tuo Itinere, reliquisque Fortunis Epistolam quam longissinam texito. Rudolpho tuo multis de causis quam commendantissimus esse cupio. Nicolaum reliquosque Discipulos tuos, optime de me meritos, meis verbis salvere jubebis. Tu cura ut valeas. Huc si advolas, quanquam hoc vix audeo sperare, nihil polliceor verbis, re faciam, quæcunque digna sunt gratissimo homine, atque amantissimo. Apud sanctum Bertinum, Anno M. CCCC. XCVIII.

## ERASMUS JACOBO BATTO

S. D.

**I**tane tu revixisti, ut me contumeliosa Epistola occideres? Jam nuntiatus eras, lecto affixus esse, jam Empirici secturi ferrum expectare. Nos luctuosí ac tristes Epitaphium meditabamur. Et tu, si Diis placet, subito exortus, ad invectivam me provocas. Quanquam longe malim mi Batte, vel acerrimis invectivis bel-

lum tecum gerere, quam Epitaphii scribendi of-  
ficio, pium etiam Amicum agere. Agedum ac-  
cingamur igitur, quando tu prior ad arma pro-  
vocas. O perditam audaciam! andes Virum  
tam magnifice nummatum, tressis Hoimuncio  
contumeliis laceffere? Quod si opes meas con-  
tempsistī, num vel calatum Erasmi metuebas?  
Scis quibus machinis soleant bellare Poëtae, quas  
si iratus in te torsero, actum de te fuerit, frus-  
trate fossæ istæ, isti aggeres, ista mœnia, quantum-  
vis munita cinxerint. Sed hactenus præluserunt  
Velites. Tu nisi pacem ultro petes, justa tecum  
acie decernam. Verum extra jocum, gaudeo  
oppido quam ex animo mi Batte, tibi ridendi  
otium non deesse. Nam mendax illa Adriani  
Epistola me misere exanimarat, ita ut mecum  
deliberarem, num isthuc recurrendum esset.  
Quod de sarcina elapsa scripsi, utinam ejusmodi  
sit, ut joco scriptum fuerit. Quorsum tendam, te  
sentire scribis. Id ego tibi verbo expediām. Per-  
gam, non quo cursum institueram, sed quo me  
tempestas agit transversum, nisi tu novas suppe-  
tias miseris. Hæc neutquam joco dicta, mi Bat-  
te, re ipsa propediem experieris. Quanquam nos  
quidem probos Naucleros imitabimur, & arte  
cum tempestate pugnabimus. Et vel iratis ventis,  
si recto cursu depellemur, velis tamen utemur:  
etsi eum Portum quem maxiine petimus, conti-  
ngere non licebit, certe in quodvis littus ejicie-  
mur. Hactenus migrando & remigrando sumus  
tumultuati, ac vixdum etiam consedimus. Omnia  
mea

mea contraho perdiligenter, tu fac asellum no-  
struim quamprimum hic clitellatum extrudas,  
eum tibi chartacea sarcina oneratum remittam.  
Tu præter Vests meas, de quibus scripsi, Epi-  
stolas quoque tum meas, tum Guilhelmi mittito.  
Campanus hic venalis esse desit, & nimio dum  
esset emebatur. Tamen & hunc & Sulpitium  
mittam. Sed asinum nostrum expecto, neque  
enim ignoto jumento tantas merces commisero.  
Natalis Theologus diligenter me tuis verbis fa-  
lutavit, ex quo Dominam Verensem iter Ro-  
mam una cum Sorore instituisse, cognovi, me  
sibi comitem velle ostendit. Quod ex arce bre-  
vi sis evolaturus Lovanium, gratularer tibi, nisi  
te tam insolentem nova libertas redderet. Tam  
ferox es factus, cui diutina servitute afflicto, vix  
tenuis quædam libertatis spes affulserit. Quid  
tandem futurum est, ubi Lovanii cum tua pom-  
pa regnabis? Fac me diligenter toto de animo tuo  
certioreim: & quid in te nostris de rebus fatalis  
spei refederit. Nam sub discessum meum nihil  
dextre mihi visus es consuluisse. Quibus jubes  
scribam per Natalem. Comes qua est comitate,  
te resalutat pluriuum. Medici puer nunquam  
concedam, ut me tam vestigarit, quam fuerit a  
nobis vestigatus. Jam ne nominibus aulicis bo-  
nam Epistolæ partem occupem, quos par est, &  
(ita ut quenque par est) Torquatos istos meo  
nomine salutabis. Adolphum alumnum tuum  
feliciter agere precor. Vale. Parisiis, M. CCCC.  
**XCVIII.**

D. ERASMUS ROTERODAMUS  
JOANNI SIXTINO

S. D.

**Q**uam vellem nuper, ut expectaram, ita  
nostro illi Convivio interfuisse: vero,  
inquam, Convivio, non Symposio. Mihi qui-  
dem omnino nullum unquam fuit suavius, lau-  
tius, mellitius. Deerat nihil. Belli, ut inquit  
ille, Homunculi, tempus lectum, locus lectus,  
apparatus non neglectus. Iis lautitiis, ut vel  
Epicurum ipsum, his sermonibus conditum  
erat, ut vel Pythagoram delectare potuerit. Ho-  
munculi non belli solum, verum etiam bellissi-  
mi, & ejusmodi, qui Academiam possent facere,  
non modo Convivium. Quinam, inquies? Ac-  
cipe, quo magis te doleas absfuisse. Primum  
Richardus Prior, ille Charitum Antistes: tum  
Theologus is, qui eodem die latinam habuerat  
Concionem, Vir tum modestus, tum eruditus:  
deinde Philippus ille tuus, Homo lepidissimæ  
festivitatis. Präsidebat Coletus veteris illius  
Theologiæ Vindex atque Assertor. Accumbe-  
bat dextro prior, Homo (ita me Deus amet)  
non minus mirabili mixtura, ex omnium Li-  
terarum generibus omnibus, quam ex summa  
Humanitate, summaque item Integritate con-  
flatus. Ad lævam recentior ille Theologus, cui  
nos quidein lævum latus clausimus, ne Poëta  
convivio deesset. Ex adverso Philippus, ne non  
adesset Jurisperitus. Accumbit deinceps mix-  
tum

tum & sine nomine Vulgus. His Ordinibus ita digestis, statim bellum oritur inter pocula, non tamen ex poculis, neque poculentum. Cum variis de rebus parum conveniebat, tum de hac, pugna erat acerrima. Dicebat Coletus, Caym ea primum culpa Deum offendisse, quod tanquam Conditoris benignitati diffisus, suæque nimium confisus industria, terram primus prosciderit, quum Abel sponte nascentibus contentus, oves paverit. Contra nos pro se quisque niti, Theologus ille syllogismis, ego rhetoriis. Ne Hercules quidem contra duos, ajunt Græci. At ille unus vincet omnes, visus est sacro quodam furore debacchari, ac nescio quid Homine sublimius augustiusque præferre. Aliud sonabat vox, aliud tuebantur oculi, alius vultus, aliis aspectus, majorque videri, afflatus est Numinе quando. Tandem cum & longius processisset Disputatio, & esset quam ut Convivio conveniret, gravior atque severior. Tum ego meis, hoc est, Poëtæ partibus functurus, ut & eam contentionem discuterem & festi viore Fabella Prandum exhilararem. Res, inquam, perantiqua est, & ex vetustissimis Autoribus repetenda, de qua quid ipse in Literis repererim exponam, si prius detis fidem vos, id quod sum narraturus, pro Fabula non habituros. Ubi promisissent: Incidimus, inquam, olim in vetustissimum Codicem, cuius & Titulum & Autorem ætas aboleverat, tineæque Bonis Literis semper infestæ, deroferant. In eo unica tantum pagina,

na, nec erat carie viciata, nec a tineis aut sori-  
cibus arrosa, Musis credo quæ sua sunt tutan-  
tibus. In ea hac ipsa de re, de qua decernitis,  
legere memini, aut veram, aut si vera non est,  
certe veri simillimam Narrationem. Quam si  
vultis recensebo. Jubentibus illis: Erat, inquam,  
Caym ille, homo quemadmodum industrius,  
ita famelicus & avidus. Is a Parentibus persæ-  
pe audierat, in Viridario illo, unde fuissent de-  
pulsi, segetes sua sponte provenire lœtissimas,  
spicis amplissimis, granis prægrandibus, culmis  
adeo proceris, ut alnum nostratem æquarent.  
Eis nec lolium, nec spinam ullam, aut carduum  
internasci. Hæc quum ille probe meminisset,  
videretque eam Tellurem, quam tum vexabat  
aratro, vix malignam minutamque frugem pro-  
ducere, dolum addidit industria. Angelum  
illum Paradisi Custodem adiit eumque vetera-  
toriis technis adortus, magnis promissis corru-  
pit, ut sibi ex felicioribus illis segetibus, vel  
paucula grana clam largiretur. Dicebat, Deum  
jam olim hujus rei securum, ac negligen-  
tem esse, tum si maxime rescisset, facile impi-  
ne futurum, cum res esset nullius momenti,  
modo de pomis illis nihil attingeretur, de qui-  
bus solis fuerat interminatus Deus. Eja, inquit,  
ne Janitor sis nimium diligens. Quid si ingrata  
etiam est illi nimia tua sedulitas? quid si falli  
etiam cupit? magisque illum Hominum calli-  
da industria, quam iners otium delectabit? An  
vero tu tibi isto munere magnopere places? Ex  
Angelo

Angelo Carnificem te fecit, ut miseros nos & perditos crudelis arceres a Patria; te foribus cum romphæa alligavit, cui muneri nos canes nuper cœpimus addicere. Nos quidem sumus miserissimi, at tu mihi videre conditione non paulo afflitione. Nos quidem Paradiso caremus, quia pomum nimium dulce gustavimus. Tu ut inde nos arceas, pariter & Cœlo cares & Paradiso: hoc miserior, quod nobis quidem huc, atque illuc, quo fert animi libido, vagari liberum est. Habet & hæc nostra Regio, si noscis, quibus exilium nostrum consolemur, nemora comis virentibus, mille arborum genera, & quibus vixdum invenimus vocabula, fonticulos passim ex clivis, ex rupibus scaturientes: flumina limpidissimis aquis ripas herbidas lambentia, montes aërios, valles opacas, ditissima maria. Nec dubito, quin in intimis illis suis visceribus claudat Tellus aliquid bonarum mercium: quas ut eruam, scrutabor omnes ejus venas, aut si mihi defuerit ætas, Nepotes certe mei facient. Sunt & hîc aurea mala, sunt fici pinguissimi, sunt frugum omnijuga genera. Multa adeo passim sponte nascuntur, ut Paradisum istum non magnopere desideremus, si licet hic æternum vivere. Infectamur morbis, & huic rei inveniet remedium humana industria. Video herbas mirum quiddam spirantes. Quid si & hîc inveniatur aliqua, quæ vitam faciat immortalem? Nam Scientia ista non video quid ad rem pertineat. Quid mihi cum his quæ nihil

nihil ad me attinent? Quanquam in hac parte non cessabo, quando nihil est, quod non expugnet pertinax industria. Ita nos pro uno Hortulo Mundum latissimum accepimus, tu utrinque exclusus, neque Paradiso frueris, neque Cœlo, ne Terra quidem, perpetuo his affixus foribus, romphæam semper versans, quid nisi ut cum vento pugnes? Ejā age si sapis, tibi simul & nobis consule. Da quod sine tuo detrimento largiri potes, & accipe nostra vicissim, quæ tibi facimus communia. Miser fave miseris, exclusus exclusis, damnatis damnatione. Persuasit pessimum causam, Vir pessimus, Orator optimus. Paucula grana furtum accepta diligenter obruit, enata sunt non sine fœnore, id fœnus rursum terræ gremio commissum, iterum atque iterum, aliud atque aliud. Nec sæpius æstas recurrat, cum ille jam ingentem spatiolumque agrorum tractum hac semente occuparat. Quæ res ubi evidentior esse coepisset, quam ut Superos latere posset, vehementer iratus Deus: Quantum intelligo, inquit, juvat hunc Furem labor & sudor. Eum ego illi magnifice cumulabo. Simulque cum dicto confertissimum undique agmen immittit in segetem, formicarum, gurgulionum, bufonum, erucarum, murium, locustarum, scropharum, avium, aliarumque id genus pestium, quæ segetem partim adhuc humo conditam, partim herbescensem, partim jam flavam, partim horreo compositam depascerentur. Accessit ingenus cœlo calamitas gran-

grandinis, & venti vis tanta, ut quernis roboribus æquales culmi illi, stipulæ aridæ in momen-  
tum defringerentur. Angelus ille Custos muta-  
tus, atque quod Hominibus faveret, humano  
corpori inclusus. Caym, quum Deum incensis  
frugibus placare stideret, nec sumus subvolaret,  
certam illius iram intelligens, desperat. Habes  
fabulam Sixtine, inter pocula dictam, atque  
inibi inter pocula natam, atque adeo ex ipsis, si  
libet, poculis. Quam volui ad te perscribere:  
primum, ne nihil scriberem, quum meas esse  
partes agnoscerem ut scriberem, quippe qui tuas  
Literas posterior accepisse: deinde ne tu ejus  
Convivii tam lauti prorsus expers essem. Bene  
vale. Oxoniæ, Anno M. CCCC. XCVIII.

ERASMUS ROTERODAMUS ROBERTO  
PISCATORI, Agenti in Italia Anglo.

S. D.

**S**ubverebar nonnihil ad te scribere Roberto  
charissime, non quod metuerem, ne quid  
de tuo in nos amore tanta temporum locorum-  
que disjunctio detrivisset: sed quod in ea sis  
Regione, ubi vel parietes sint tum eruditiores,  
tum disertiores, quam nostrates sunt Homines:  
ut quod hic pulchre expolitum, elegans, venu-  
stum habetur: isthic non rude, non sordidum,  
non insulsum videri non possit. Quare tua te  
expectat prorsus Anglia, non modo Jureconsul-  
tissimum, verum etiam latine græceque pariter  
loquacem. Me quoque jampridem istic vide-  
res,

res, nisi Comes Montjojus jam ad iter accin-  
ctum, in Angliam suam abduxisset. Quo enim  
ego Juvenem tam humanum, tam benignum,  
tam amabilem non sequar? Sequar (ita me  
Deus amet) vel ad inferos usque. Amplissime  
tu quidein mihi eum prædicaras, graphicèque  
prorsus descripseras: at vincit quotidie, mihi  
crede & tuam prædicationem, & meam de se  
Existimationem. Sed quid Anglia nostra te de-  
lectat, inquis? Si quid mihi est apud te fidei,  
mi Roberte, hanc mihi fidem habeas velim, ni-  
hil adhuc æque placuisse. Cœlum tum amœnissi-  
mum tum saluberrimum hic offendit, tantum  
autem Humanitatis, atque Eruditionis, non illius  
protritæ ac trivialis, sed reconditæ, exactæ, an-  
tiquæ, latinæ, græcæque, ut jam Italiam nisi  
vifendi gratia, haud multum desiderem. Cole-  
tum meum cum audio, Platonem ipsum mihi  
videor audire. In Grocino quis illum absolu-  
tum Disciplinarum Orbem non miretur? Li-  
nacri judicio quid acutius? quid altius? quid  
emunctius? Thomæ Mori ingenio quid un-  
quam finxit Natura vel mollius, vel dulcius,  
vel felicius? Jam quid ego reliquum Catalo-  
gum recensem? Mirum est dictu, quam hic  
passim, quam dense veterum Literarum seges  
efflorescat, quo magis debes redditum maturare.  
Comes ita te amat, ita meminit, ut de nullo lo-  
quatur sæpius, de nullo libentius. Vale. Londi-  
ni tumultuarie, Nonis Decemb. Anno M. CCCC.  
XCVII.

ERAS-

ERASMUS ROTERODAMUS  
JOANNI COLETO

S. D.

**S**i quid omnino in meipso agnoscerem Colete Humanissime, vel mediocri laude dignum, lætarer profecto cum Hectore illo Næviano laudari abs te Viro omnium facile laudatissimo: cuius ego judicio tantum tribuo, ut longe mihi sit jucundior tacita tua unius Existimatio, quam si vel universum Forum Romanum & acclamet & applaudat, aut tanta me miretur imperitorum multitudo, quantum Xerxis exercitum fuisse ferunt. Ut enim Horatianum sequens institutum ventosæ suffragia Plebis nunquam sum aucupatus, quippe quæ pari temeritate & probat, & reprehendit, ita a probatissimis Viris laudari, pulcherrimum semper existimavi, qui nec falso quenquam pro sua simplicitate velint laudare, nec possint pro sua prudentia falli, quorum neque Doctrina suspicionem erroris, nec Vita assentationis recipit. Verum tuæ Laudes mi Colete, tantum abest ut mihi cristas erexerint, ut Homo natura putidulus, vehementius etiam mihi displicuerim. Videor enim admoneri, qualem me esse conveniat, quum ea de me prædicantur, quæ in aliis veneror, in me desidero. Novi, novi ipse optime, qua me parte calceus stringat. Neque tamen eorum qui me tibi tam amanter commendarunt, aut officium, aut humanita-

L

tem

tem reprehendo, neque tuam in recipienda commendatione facilitatem vitupero. Siquidem ut humani est Hominis, de ignotis benigne sentire, ita festivi ac facilis Amicis libenter credere. Nam quod ex meis ipsius Scriptis me laudas, id tale esse puto, ut aut urbana laudatricula nos ad virtutem excitare volueris, aut incredibili quadam modestia tua fieret, ut aliena tibi nimis placerent, tua nimium displicerent. Quare animum quidem in me tuum tam promptum, tam propensum, tam candidum amplector, ut debeo libenter, veneror, exosculari: judicium amo ut amicum, non probo ut verum: non quod te judicem aut parum idoneum existimem, quum sis prudentia Vir singulari, aut fictum, quum animi tui simplicitatem non ignorem: sed quod partim amore lapsus, Commendatoribus meis nimium credideris, partim candore miro quodam, atque modestia, alienis laudibus nimium benigne faveris. Qui tamen error tuus mi Colete, hoc mihi debet esse jucundior, quod ab eo sit animo profectus, qui me semper unice delectavit, humano, facili, candido, ab omni invidentiæ labo alienissimo. Malo itaque te de nobis amanter errare, quam integrum nihil falli. Verum ne merces ignotas falsa laudatione tibi obtrusas fuisse, postea queraris: & ut deligas, priusquam diligas, en me ipsum tibi describam, tanto quidem melius, quanto sum ipse mihi, quam aliis notior. Habebis hominem tenui, imo nulla fortuna, ab  
ambi-

ambitione alienum, ad amandum propensissimum, Literarum tenuiter sane peritum, sed tamen Admiratorem flagrantissimum, qui Probitatem alienam religiose veneretur, suam habeat nullam, qui Doctrina facile omnibus cedat, Fide nemini, simplicem, apertum, liberum, simulandi ac dissimulandi juxta ignarum, animo pusillo, sed integro, sermonis parcii, eum denique, a quo præter animum nihil expectes. Hujusmodi hominem si tu Colete potes amare, si tua familiaritate dignum judicas, ita Erasinum in tuo ære numerato, ut nihil æque tuum existimes. Anglia vero tua mihi quum multis nominibus, tum hoc præcipue nomine jucundissima est, quod iis rebus abundat, præter quas nihil mihi solet esse jucundum, Hominibus Bonarum Literarum scientissimis, inter quos (nemine reclamante) facile te principem numero: qui quidem ea sis Doctrina, ut nulla morum probitate commendatus, tamen admirandus omnibus esse debeas, ea vitæ sanctimonia, ut citra Doctrinæ commendationem, nemini tamen non charus, colendus, venerandus haberi possis. Quid ego iunct dicam Vir Optime, quantum me afficerit, delectaritque stilus ille tuus, placidus, sedatus, inaffectatus, fontis limpidissimi in morem editissimo pectore scatens, æqualis, sui undique similis, apertus, simplex, modestiæ plenus, nihil usquam habens scabri, contorti, turbati? ut mihi plane visus sim animi tui simulachrum quoddam tuis in literis agnovisse.

Loqueris quæ vis, vis quæ loqueris. Verba in pectore nata non faucibus, sententiam sponte sequuntur, non illa voces sequitur. Denique felici quadam facilitate, ea sine cura effundis, quæ vix alius summo studio possit exprimere. Sed temperabo a laudibus tuis apud te duntaxat, ne recentem tuam in me benevolentiam offendam. Scio quam nolint laudari ii, qui soli laudem merentur omnium. Bene vale. Oxi-  
niæ, Anno M. CCCC. XCVIII.

ERASMUS ROTERODAMUS GULIELMO  
MONTJOJO, Comiti generoso

s. d.

**S**i tu tuaque Generosissima Conjunx, Socer Humanissimus, reliquaque Familia, valentis, est cur maximopere gaudeamus. Nos hic quidem valemus perbelle, & indies bellius. Dici non potest, quam mihi dulcescat Anglia tua, idque partim consuetudine, quæ omnia dura lenire solet, partim Coleti, Charnocique Prioris humanitate, quorum moribus nihil fangi potest suavius, mellitius, amabilius. Cum his duobus Amicis ego vel in extrema Scythia vivere non rectsem. Id quod scripsit Horatius: & Vulgus interdum videre verum, res ipsa me docuit, cuius hoc tritum nosti: quarum rerum durissimi soleant esse aditus, eas felicius evenire. Quid nostro illo ingressu fuit, ut ita dicam, inauspicacius? at nunc secundiora indies omnia. Evomui tedium omne, quo me quondam naufean-

tem

tem videbas. Quod reliquum est, te oro meum Decus, ut quando tum quum meus me animus deficeret, tuo sustinuisti: nunc quum meus mihi non deest, tuus ne destituat. Quod ad diem præfinitum non veneris, expostulare tecum nec libet, nec jure me posse puto. Quid te retardarit, equidem nescio: hoc unum scio, quicquid fuit, legitimum quiddam, & justum suisse, quare venire non potueris, nam voluisse, nihil dubito. Neque enim ullam video causam, cur istud fingere volueris. Et ea est generosissimæ mentis tuæ ingenua simplicitas, ut maxima etiam de causa mentiri nec scias si velis, nec velis si scias. Non est meum te vel hortari, vel dehortari, imo dehortari potius. Quod tuæ te res hortantur, id sequere. Nos ita te desideramus, ut interim te tuis commodis inferire velimus. Si brevi venturus es, gaudemus: si qua res te retinet, modo incommodi nihil sit, ut hactenus fecimus, æquo te animo expectabimus. Pecunias meas annulo tuo diligenter obsignatas mitte. Priori jam sum multis non minibus obæratus, ministrat ille quidem tum benigne, tum prompte. Verum quando ille humanissimi hominis officio functus est, par est nos invicem gratorum hominum munere fungi, & quam ille libenter dedit, tam nos libenter reddere. Ut rara supellectile, ita bonis Amicis parcus utendum esse censeo. Si quid isthic novatum est, facito me per literas certiorem. Bene vale. Oxoniæ, Anno M. CCCC. XCVIII.

## ERAS. ROTEROD. ARNOLDO BOSCHIO

S. D.

**C**omplusulas jam Epistolas eodem prope tempore abs te recepi, quod me tibi suspicaris iratum: ni sine causa faceres, ferrem profecto iracunde, quod de homine tui amantissimo, tam non amanter senseris. Vale.

## ERASMUS ROTEROD. CHRISTIANO

S. D.

**S**alve Mel Atticum. Heri nihil scripsi, & consulto quidem, nam eram stomachosior. Ne roga in quem, in te, inquam. Quid commiserueram? Verebar mihi insidias strui per te hominem argutissimum. Suspectam habebam illam tuam pyxidem, ne quid simile nobis afferret, quale ferunt Pandoræ pyxidem Epimetheo. Quam ubi reclusissimam, mihi ipsi succensibam, qui fuisset suspiciosulus. Cur igitur ne hodie quidem scripsisti? inquieras. Eramus occupatissimi. Quid tandem negotii? In spectaculo sedimus, sane jucundo. Comœdia, inquis, fuit, an Tragœdia? Utrumvis, verum nemo personatus agebat, unicus duntaxat Actus, Chorus sine tibiis, Fabula nec togata, nec palliata, sed planipedia, humi acta, sine saltatu, e cœnaculo spectata, epitasis turbulentissima, exitus perturbatissimus. Quam malum, inquieras, mihi fabulam fingis? Imo rem Christiane refero. Spectavimus hodie Matremfamilias, cum Famula dome-

domestica fortiter depugnantem. Sonuerat diu tuba ante congressum, convitia fortiter utrinque regeruntur: hic æquo Marte discessum est, triumphavit uemo. Hæc in hortis, nos ē cœnaculo taciti spectabamus, non sine risu. Sed audi catastrophen. A pugna condescendit cubiculum meum Puella, concinnatura lectos. Inter confabulandum laudo fortitudinem illius, quod voce convitiisque nihil cesserit Dominæ: cæterum optasse me, ut quantum lingua valebat, tantudem valuisse & manibus. Nam Hera virago robusta, ut vel athleta videri posset, subinde caput humilioris puellæ pugnis contundebat. Usque adeo-ne, inquam, nullos habes unguies, ut ista impune ferat? Respondit illa subridens, sibi quidem non tam animalium deesse, quam vires. An tu putas, inquam, bellorum exitus a viribus tantum pendere? Consilium ubique valet plurimum. Roganti, quid haberem consilii: Ubi te rursus adorietur, inquam, protinus caliendum detrahenam Mulierculæ Parisiorum mire sibi placent, nigris quibusdam caliendris. Eo detracto, mox in capillos invola. Hæc ut a me joco dicebantur, itidem accipi putabam. Atqui sub cœnæ tempus accurrit anhelus Hospes, is erat Caroli Regis Caduceator, vulgato cognomine dictus Gentil Gerson. Adeste, inquit, Domini mei, videbitis cruentum spectaculum. Accurrimus, offendimus Matremfamilias, ac Puellam humiliantantes. Vix a nobis diremptæ sunt, quam

cruenta fuisset pugna, res ipsa declarabat. Jacebant per humum sparsa, hic caliendrum, illic flammeum. Glomis pilorum plenum erat folium; tam crudelis fuerat laniens. Ubi accusbuiimus in cœna, narrat nobis magno stomacho Materfamilias, quam fortiter se gessisset Puella. Ubi pararem, inquit, illam castigare, hoc est, pugnis contundere, illa mihi protinus caliendum detraxit e capite. Agnovi me non surdæ cecinisse Fabulam. Id detractum, inquit, mihi venefica vibrabat in oculos. Id non admonueram. Tum, inquit, tantum capillorum evulsi, quantum hic videtis. Cœlum ac terram testata est, se nunquam expertam esse puellam tam pusillam, ac perinde malam. Nos excusare casus humanos & ancipitem bellorum exitum, tractare de componenda in posterum concordia. Ego interim mihi gratulabar, Dominæ non subolere, rem meo consilio gestam, alioqui sensisse & ipse, illi non deesse linguam. Habet nostra ludicra, nunc ad seria. Duplicein mecum contentionem acceperas, scribendi, & munera mitendi: altera te plane victimum declaras, ut qui alienis manibus mecum dimicare cœperis, an inficiaberis impudens, non arbitror, si quid frontis est? alteram ipse ne suscepi quidem, sed ultra manus dedi. Literis longe vinceris, imo ne pugnas quidem, nisi ut Patroclus Achillis armis. Muneribus nolo tecum inire certamen. An Poëta cum Negotiatore? quid simile? Verum heus tu, ad æquiorem concertationem provoco. Experire

perire utrum tu me prius mittendo, an ego te  
scribendo defatigem. Hoc demum sit bellum  
dignum Poëta, dignum Institore. Tu si quid  
audes, accingere, ac bene vale. Parisiis, Anno  
M. CCCC. XCVII.

## ERASMUS BATTO SUO

S. D.

**V**ide quantum maledicendo valeas. Unica  
tantum Epistola victus, do manus, haren-  
na cedo, in Angliam usque profugio : hic cer-  
te me a tuis convitiis tutum fore confido. Nam  
si me persequi voles, alter tibi adeundus erit Or-  
bis, & pigritiam probe novi tuam, qui tametsi  
mediis in fluctibus es natus, nihil tamen pejus  
odisti fluctibus. Quod si hoc quoque tuæ con-  
vitiatrices Epistolæ penetrabunt, audio in ultima  
Britannia Orchadas esse insulas. In has aufugiam,  
etiamsi quid est Orchadibus remotius, vel ad  
Antipodas usque. I nunc, & de gloria Vi-  
ctoria magnificum triumphum agito. Bene vale.  
Parisiis, Anno M. CCCC. XCVII.

ERASM. FAUSTO ANDRELINO,  
Poëtæ Laureato.

**D**eum immortalem ! quid ego audio ? Ita-  
ne Scopum nostrum repente e Poëta Mi-  
litem esse factum, ac pro libris horrida arma  
tractare ? At quanto melius cum Delio Volsco  
(sic enim se nominavit) depugnabat ? Quem si  
confecisset, Bone Deus ! quantus triumphus  
homi-

hominem manebat. Nos quoque in Anglia  
 non nihil promovimus. Erasmus ille, quem no-  
 sli, iam bonus propemodum venator est, eques  
 non pessimus, aulicus non imperitus, salutat  
 paulo blandius, arridet comis, & invita Mi-  
 nerva hæc omnia. Quid mea? satis procedit.  
 Tu quoque si sapis, huc advolabis. Quid ita te  
 juvat hominem tam nasatum inter merdas Gal-  
 licas consenescere? Sed retinet te tua Podagra.  
 Ut ea, te salvo, pereat male! Quanquam si Bri-  
 tanniæ dotes satis pernoctes Fauste, næ tu alatis  
 pedibus huc accurreres: et si Podagra tua non  
 sineret, Dædalum te fieri optares. Nam ut e  
 pluri mis unum quiddam attingam: sunt hic  
 Nymphæ divinis vultibus, blandæ, faciles, &  
 quas tu tuis Camœnis facile anteponas. Est  
 præterea mos nunquam satis laudatus. Sive quo  
 venias, omnium osculis exciperis: sive disce-  
 das aliquo, osculis dimitteris: redis, redduntur  
 suavia: venitur ad te, propinantur suavia: disce-  
 ditur abs te, dividuntur basia: occurritur ali-  
 cubi, basiatur affatim, denique quocunque te  
 moveas, suaviorum plena sunt omnia. Quæ si  
 tu Fauste gustasses semel, quam sint mollicula,  
 quam fragrantia, profecto cuperes non decen-  
 nium solum, ut Solon fecit, sed ad mortem us-  
 que in Anglia peregrinari. Cætera coram joca-  
 bimur: nam videbo te, spero, propediem. Vale.  
 Ex Anglia, Anno M. CCCC. XCIX.

FAU-

## FAUSTUS ERASMO SUO

S. D.

**F**rugalem omnino mihi cœnam postulo: nihil volo præter muscas & formicas. Bene vale.

## ERASMUS FAUSTO SUO

S. D.

**Q**uæ, malum! tu mihi objicis ænigmata? Nun me Oedipum putas, aut Sphingem mihi esse domi? Quanquam equidem somnio tuas muscas, aviculas, formicas, cuniculos velle. Verum alias jocabimur, nunc cœna emenda est, quare ænigmatistes esse desinas oportet. Vale.

## FAUSTUS ERASMO.

**N**unc plane intelligo te Oedipum esse, nihil volo præter aviculas, & quidem parvulas: de cuniculis absit. Vale optime ænigmatum interpres.

## ERASMUS FAUSTO SUO

S. D.

**V**t tu jocosissime Fauste, eadem opera & mihi ruborem, & Theologo illi stomachum excitabas: aderat enim in eodem Auditorio. Verum non expedit, opinor, irritare Crabones. Bene vale.

## FAUSTUS ERASMO SUO

S. D.

**F**austum pro suo Erasmo vel emori audacter posse, quis nescit? Blaterones istos tanti

tanti omnino faciamus, quanti Culicem Elephantis Indicus. Vale. Faustus invito livore tuus.

### ERASMUS GAGUINO.

**S**alve Ornatissime Vir. Vide quæso, quam sit insigni impudentia tuus Erasmus. Nunquam illi Gaguinus in mentem venit, nisi quum eget. Opus est mihi ad pauculos dies Trapezontio de Rheticis Præceptionibus. Non rogo habeas-ne (scio nihil bonorum Autorum tibi non esse) hujus velim mihi tua Humanitas copiam faciat: Quintilianum una cum hoc conferre cupio, utrumque propediem ad te salvum remissurus. Bene vale, ac nos ama. Anno M. CCCC. XCIX.

### ERASMUS LUDOLPHO SUO

s. d.

**H**oc unum mihi crede Ludolphe Optime, non committam ut munus tuum, sensi enim abs te profectum, male collocasse videaris. Cœperam quædam ad latine discendum mire conducibilia: ea tibi perfecta hinc mittam. Deinde nunquam desinam excudere quippiam, quod tua Studia possit provehere. Tu inodo maximo animo in honestissimas Literas incumbe, simulque Doctos Viros fovere perge. Bene vale Charissime Adolescens. Lutetiae, III. Calendas Majas.

ERAS.

## ERAS. NICOLAO A BURGUNDIA

Præposito s. d.

**S**ic te amo, ut meo erga te studio nulla Epistola non sit futura brevissima: ita sum occupatus, ut negotiis meis nulla, quamlibet brevis, non sit longissima futura. Veteres illi Poëtas, & Homines eloquentes allegorice Cygnos appellabant: neque id opinor, temere: nam ut hi plurimis, ita illi pectore candidissimi: utrique Phœbo sacri: utrique limpidis amnibus, & pratis irriguis impense gaudent: utrique canori: sed hodie maxime nostrate cœlo obmutuisse videmus utrosque, ac ne morte quidem vicina fieri vocales. In causa est, uti conjicio, quod Autores sunt Physici, olorem non nisi spirante Favonio canere: & miramur nunc omnes mutos esse cygnos, cum tot spirent Boreæ, tot Austri, nulli Zephyri. Nam mihi quidem Britannicus ille Aquilo, una cum numinis ita vocem ademit, ut non lupus æque possit, qui te prior viderit. At non flant Zephyri, nisi Vere ineunte. Quare humanissime Præposite, si tu Dominæ Veriensi, Patronæ meæ, Ver fueris, illaque mihi Favonius adspiraverit, ego vicissim utriusque cygnus fvero, ita canorus, ut ipsa etiam exaudiat Posteritas. Nihil habeo necesse ænigma evolvere, nimirum Oedipo scribens, non Davo. Tantum alterum illum Battum, quem mihi pollicitus es, apud Dominam paullisper expedi. Bene vale. Datum Lutetiæ, VII. Calend. Februarias, Anno M. CCCC. XCVIII.

ERAS.

## ERASMUS ARNOLDO.

**S**alve mi Arnolde. Jam sesquimenseim grā-  
viter labore febri nocturna, lenta qui-  
dem illa, sed quotidiana, quæ me penitus ex-  
tinxit. Nondum sum morbo liber, sed tamen  
aliquanto recreatior; nondum vivo, sed afful-  
get aliqua vitæ spes. Petis ut tibi animi mei  
consilium communicem, hoc unum habe,  
mundum mihi jamdudum obolere: damno  
spes meas. Nihil aliud cupio, quam mihi dari  
otium, in quo possim totus uni Deo vivere, de-  
flere peccata ætatis inconsultæ, versari in Scri-  
pturis sacris, aliquid aut legere aut scribere. Id  
in secessu aut Collegio non possum. Nihil enim  
me tenerius: nec vigilias, nec jejunia, nec ulla  
incommoda fert hæc valetudo, etiam cum est  
prosperrima. Hic ubi tantis in delitiis vivo,  
subinde in morbum incido: quid facerem in-  
ter labores Collegiales? Decreveram in Italiam  
hoc anno concedere, & Bononiæ aliquot men-  
ses Theologiæ operam dare, atque illic Docto-  
ris Insigne accipere: deinde in Anno Jubilæo  
Romam visere, quibus confectis ad meos redi-  
re, atque istic vitam componere. Sed vereor  
ne hæc, ut volumus, confidere non possimus.  
Metuo in primis ne tantum iter & Regionis æ-  
stum & valetudo hæc non ferat. Denique re-  
puto, nec in Italiam venire; nec illic vivi sine  
summo sumptu. Ad Titulum quoque paran-  
dum grandi Summa est opus. Et Episcopus Ca-  
mera-

meracensis dat perparce. Omnino benignius amat, quam largitur, & prolixius omnia pollicetur quam præstat. Ipse propemodum in causa sum, qui non instem. Et sunt tam multi, qui vel extorqueant. Faciam tamen pro tempore, quod factu videbitur optimum. Bene vale. Anno M. CCCC. XC.

### ERASMUS JACOBO TUTORI SUO

S. D.

**S**ic est animatus Abbas, ut Dissemam & Antonium a sermone nostrate omnino procul abesse velit. Sic habent res tuæ, ut nolis sine Nostratis vivere. Quare Antonio Lutzenburgo, qui toto peccatore tibi bene cupit, inque Autoribus, jubet eos in Jacobi Danielis familiam remigrare. Tu tamen mihi Jacobe tuo more ute-  
ris, dabisque operam, ut Adolescentes quam o-  
ptime, & quam maxime ex Abbatis sententia,  
quæ te non fugit, collocentur. Idem Augustini-  
num facturum confido. Utrique gratum facie-  
tis Ornatissimo Humanissimoque Præsuli. De  
meis Fatis scripsi Augustino per Cornelium ta-  
bellionem. Posteaquam Battus periit, quis du-  
bitat & Erasnum periisse? Præterea autem cæ-  
teræ res sic habent, ut pejus non possint. In una  
virtute spes omnis salutis reliqua. Vale cum  
Augustino nostro, quem audio tecum victurum.  
E divi Audomari, postridie Calendas Julii, An-  
no M. CCCC. XCVIII.

ERAS-

## ERASMUS FAUSTO, POETÆ REGIO

S. D.

**P**uer meus tuo jussu tuisque verbis formidolosum me appellavit, quod ob nescio cuius Pestilentiolæ metum, Solum verterim. Non ferendum convitium, siquidem in Militem Helvetium dicatur. At in Hominem poëticum otii umbræque amantem neutquam hæret. Quanquam hujusmodi in rebus nihil formidare, equidem non strenui Hominis, sed stipitis esse duco. Ubi eo cum hoste res est, qui propulsari, qui referiri, qui vinci contrapugnando potest: ibi qui fortis videri cupit, per me licet. Lerne illa Hydra extremus durissimusque laborum Herculis, ferro quidem domari non potuit: at græco tamen igni confici potuit. Huic malo quid tandem facies, quod nec cerni queat, nec vinci? Quædam melius fugiuntur quam superantur. Vir fortis Æneas non congressus est cum Sirenibus, sed longe a periculo littore proram deflexit. At nihil est, inquietus, periculi. At ego interim citra periculum multos interire video. Vulpem imitor Horatianam: quia me vestigia terrent pleraque te adversum spectantia, pauca retrorsum. In hac ego rerum facie, non Aureliam modo, sed etiam ad Gades illas Herculeas, vel ad Orchadum extremitarum extreñam usque non dubitarim avolare, non quod meticulosus sim, animoque parum masculo, verum ne jure metuam: non, nemoriar, cui rei nascimur omnes, verum ne vito

tio meo moriar. Si Christus suos monuit Apostolos, ut mutatis subinde urbibus, Persecutorum Gladios effugerent, ego tam capitalem Hostem, cum commode queam, non declinabo? Quanquam ad remigrandum jamdudum, tuum Misere me hortantur meæ, quæ quidem hic inter Accursium, Bartolum & Baldum misere frigent: tum acre hoc fævumque gelu, penitus extinguis hujus morbi reliquiis nimis quam opportunum. Sed faciunt adhuc scrupuli nescio quid, illa ingentis incendii vestigia, fumus, odor, favillæ, & haud scio an etiam igniculi suppositi cineri doloso. Scio quidem Humanissime Fauste, operam me omnem ludere, qui quidem id te orem, quod ipse tuapte sponte facere non desinis: orabo tamen, ut Adagia nostra, quæ nuper abortu ejeci, quo maturius distractiantur tuo testimonio commendes, atque exornes, idque non tam Operi quidem ipsi, quam nostræ Necessitudini dones. Neque enim usque adeo mihi met assentor, ut cujusmodi sint non videam. Verum parum proba merx, quam velis extrudere, hoc magis laudatore eget, quo minus meretur. Et nos isto tibi nomine non paulo plus debebimus, si tuum suffragium, non tuo judicio, sed omne nostræ Benevolentiae accommodaris. Ne dicam interim, quod nec integrum tibi reliquisti, non laudare nugas meas, quibus jam semel adscripto Epistolæ tuæ elogio, nihil non tribuisti: ut alterutrum jam tibi sit necesse, aut illas constanter laudare, aut te in-

constantis Hominis notam incurrere. Denique a nobis enixe dabitur opera, ut illud idem prima manu deformatum Opus, non elimetur modo, verum incidi redditum, totum quantum est, diffingatur: eaque demum facie exeat, ut neque te Testimonii tui pœniteat, neque illud tuæ Laudationis tanquam parum convenientis, suppudeat. Qua quidem in re Faustum non modo Censorem adhibebimus, verum etiam Architectum. Bene vale. Aureliae, postridie Natalis divæ Elisabethæ, Anno M. CCCC. XCIX.

ERASMUS ROTEROD. JOANNI  
DRACONI Suo s. d.

**L**audum mearum Encomium decantaturus, & stili veniam postulas & adulationis suspicionem deprecaris. Mihi vero perplacuit Dictionis fluxus & perspicuus & facilis: præsertim in Juvene: quæ res facit, ut mihi de te raram quandam Eloquentiam pollicear. Porro nihil esse causæ video, cur mihi quisquam vel invideat, vel aduletur. Quod enim futurum sit adulationis præmium? quanquam autem istiusmodi laudes, quas mihi quorundam vel Studium, vel Candor tribuit, non levi me onerant invidia: tamen Amorem, unde proficiuntur, non possum omnino rejicere. Atque utinam aliqua ex parte vera essent, quæ tu Comoda narras ex meis Scriptis, Orbi Christiano contigisse. Nam quis ego sum, ut magnam aliquam utilitatem Orbi præstare queam? etiamsi conatus

conatus sum meum quantumcumque Talen-  
tum in Domini mei lucrum impendere. Si  
successus defuit, voluntas bona non defuit. Qui-  
dam nimis odiose reclamant; alii rursum  
immodice probant. Illorum virulentas obtre-  
ctationes non mereor, horum laudes non agno-  
sco. Ego interim me meo metiens pede, neque  
cresco laudibus plausuque faventium, nec omni-  
no dejicior perversitate obrectantium, consol-  
lans interim meipsum recti conscientia, ac vigi-  
liarum mearum præmium a Christo expectans,  
si parum grati sunt Homines. Quanquam video  
meos conatus optimo cuique probari, *αλλα  
πλειονες οι νωνοι.* Quod Erfordiensis Acade-  
miae publico nomine mihi Studium illius, ac  
Favorem & in praesentia testaris, & in posterum  
offers, vehementer fuit gratum a tam inclyta  
Schola probari: neque enim sic amarent, nisi  
probarent. Utinam Eobanum tam non pecciteat  
suæ ad nos profectionis, quam ego gaudeo mi-  
hi contigisse Viri tam eruditæ, tam facundi, tam  
probi, tamque bene morati notitiam: etiamsi  
ipse Hominem parum humaniter accepi, videli-  
cet id temporis occupatissimus, quanquam nun-  
quam non sum occupatus. Bene vale Draco  
Charissime. Lovanii, XIII. Calend. Majas, An-  
no M. D. XIX.

ERASM. ROTEROD. EURICIO CORDO  
Ludimastro s. d.

**V**tinam tam facile liceat omnibus, mutuis  
literis, ut amore inutuo respondere, non

committereim, ut quoquam in officio viderer inferior: nunc quando unus a tam multis la-cessor, cogor in altero cedere, præsertim cum præter vicissitudines literarum, quæ mihi non minimam temporis adimunt portionem, & tot alioqui Studiorum laboribus degraver, ne quid imputem interim, quod operæ refellendis Ob-trectatorum calumniis datur. An aliquos (ut scribis) Christo lucrificerim, nescio: quanquam a multis hoc nomine mihi aguntur gratiæ: certe conatus sum, atque utinam meipsum Christo lucrificissem. Etiam atque etiam nostræ gratu-lor Germaniæ, quam video indies magis ac ma-gis melioribus Literis mansuescere, ac sylve-stre ingenium exuere. Quod Erfordiæ Ludum literarium aperis, ut felix faustumque sit, precor. Academiam multis nominibus celebrem, red-des industria tua celebriorem: sed quo ala-crius verseris in isto Munere, fac memineris, se-cundum Principes & Episcopos, neminem ma-gnificentius posse mereri de Republica, quam Ludi literarii Magistrum, si rudibus adhuc, & in quemvis habitu sequacibus animis men-tem instillet Christo dignam, easque Literas, quæ semper optimo cuique placuerunt. Quod si me audies, plus operæ sumes in propagandis optimis Disciplinis, quam in refellendis harum Hostibus. Ad claram lucem vel suapte sponte evanescunt tenebrarum Portenta. Eobanum Ævi nostri Nasonem, sed castum ac pium, meis verbis salutabis diligenter. Bene vale Cordatis-sime

sime Corde. Lovanii, XV. Calend. Majas, Anno  
M. D. XIX.

ERASMUS ROTEROD. THEOLOGO  
Cuidam s. d.

**P**ræceptor Eruditissime, video virus hoc obtre-  
ctationis indies latius serpere, & lethalius reddi,  
tam manifesta mendacia licentissime de me præ-  
dicavit N. quidam Licentiatus, ut vocant, pri-  
mum Lovanii, deinde Mechliniæ, mox Antver-  
piæ: nec video remedium, nisi tua Prudentia at-  
que Autoritas finem imponat huic malo. De  
modo viaque convenerat tecum, & cun Dorpio.  
Me mea conscientia non remordet, quod Scri-  
ptis meis unquam offecerim Christianæ pietati.  
Dissidii causa nolim esse, cavebo pro virili, ne  
sim occasio. Latomus invitarat, ut rationem  
rationi opponeremus: id fecimus summa leni-  
tate, ut ni morosissimus sit, offendri non debeat.  
Sed præstat omnia coram, si dignaberis horam  
præscribere. Christum mihi iratum imprecor, si  
quid affecto, quod Christo displicere sciam. Nul-  
lum convitium non feram, etiam falsissimum,  
modo ne falso traducar Hæreticus, quod a non-  
nullis fieri præsens docebo. Bene vale. Anno  
M. D. XV.

ERASMUS ROTERODAMUS JACOBO  
Suo Hornenfi s. d.

**S**ane quam lubens amplector tuum in nos  
animum, vel ob hoc ipsum quod ultro

nos ad amandum provocas, etiam si non parum  
apud me valeret, vel Patria communis, vel Li-  
terarum similium idem amor. Nam quod exi-  
stimas me tibi Daventriæ conspectum, vel hoc  
argumento facile deprehendes, te vana ludi  
Mentis imaginatione, quod cum ego Daventriæ  
discederem, nondum Fluvius, qui Urbem præ-  
terfluit, ponte junctus erat. Nec Daventria di-  
scendens, adii Britanniam : nam ante decem &  
noveim annos demum vidi Britanniam. Daven-  
triæ reliqui, quatuordecim natus annos, nunc  
ago annum quinquagesimum tertium. Quæ-  
stionem abs te disputataam, nullus adhuc exhibi-  
bit. Bene vale mi Jacobe. Lovanij, XV. Cal.  
Majas, Anno M. D. XIX.

**GULIELMO CARDINALI DE CROY,**  
Archiepiscopo Toletano &c. Erasmus  
Roterod. s. d.

**R**everendissime Domine, ideinque Prin-  
ceps Clarissime, Schedula tua Laconica  
quidem brevitate, sed sensu arguto, mihi spe-  
ciem acris vegetique ingenii præbuit: nam hic,  
opinor, permittes Erasmo, Leonem ex unguicu-  
lo æstimare. Felices Literæ! si tales habituræ sunt  
Fautores; feliciores! si non faventes modo, ve-  
rum etiam Cultores habebunt. Probe vero divi-  
nas Libellum hunc reliquorum similem futurum:  
profsus illis simillimus est, hoc est, ineptissimus.  
Mihi vero nec libuit in hujusmodi nugis feriam  
operam ponere, & visum est convenire, ut di-  
gnum

gnitum haberet patella operculum. Si tua Celsitudo dignabitur Erasimum numero Clientulorum suorum adscribere, dabimus operam, ne proflus ignavum aut ingratum allegisse videatur. Quam Christus Opt. Max. instaurandæ veræ Pietati, Bonisque Literis evehendis diu tueatur incolument. Lovanii, duodecimo Calend. Majas, Anno M. D. XIX.

FRIDERICO SAXONIÆ DUCI

Erasmus Roterodamus

S. D.

Illusterrissime Princeps, pro studio, quo tuæ Celsitudini Cæsarum Vitas a me recognitas dedicavi, iam nunc abunde magnam gratiam relatam existimo, posteaquam amantissimis literis sibi non ingratum fuisse testatur. Nam cum id operis destinarem, nondum mihi perinde prædicatum erat, atque nunc est, quanta animi propensione faveres Bonis Literis, adhuc cùm veteris inscitiae Patronis digladiantibus, sed ita, ut Hostes nihil aliud assequantur reluctando, quam quod & nostram illustrent victoriam, & suam denobilitent stultitiam. Quicquid autem favoris, quicquid benignitatis, quicquid subsidii tua Nobilitas instaurandis honestis Studiis, & evehendis tuendisque Stu- diorum Assertoribus impedit, id totum in me collatum esse duco. Neque vero te pœnitent istius animi: non erunt ingratæ Literæ, quin magis trilingui facundia Vindicem suum immor-

M 4

tali

tali Gloriæ consecrabunt. Erit olim Fridericus adjutis Studiis, quam Stemmatum luce nobilior. Ego posthac non verebor & alios ingenii mei fœtus tibi dicare, quando feliciter cessit hæc mihi audacia. Celsitudinem tuam Patriæ, Studiis ac Pietati, quam diutissime incolumem tueatur Christus Opt. Max. Lovanii, Calend. Junias, Anno M. D. XIX.

ERASMUS ROTERODAMUS GASPARI  
SCHALBO Suo

s. d.

**O**bsecro te Doctissime Schalbe, utrum iste  
huc est rogare, an cogere? vides mihi  
vix otium esse ad tuendam valetudinem, vides  
tot Studiorum laboribus obrutum, & tamen ef-  
flagitas Epistolam? Adeo violenta res est &  
impotens Amor, præsertim Germanicus, cui  
si coner reluctari, nihil agam. Itaque respon-  
deo tuis Literis, sed ita ut verear, ne dicas tibi  
nihil esse responsum. Quod si brevitatem hanc  
apud te non excusat misericordia nostri, saltem  
excusabit publicorum Studiorum ratio, quorum  
jactura distrahor in hæc officia, quæ singulis, qui-  
bus præstantur exigui momenti videntur: mihi  
tamen, in quem unum agminatim glomerantur,  
ingentem sarcinam addunt. Quando tu Jonæ  
non cedis in amando, par arbitror, ut te non mi-  
nus quam illum redamem. Deplorarem tam lon-  
ginquam profectionem tuam, totque periculis  
obnoxiam, nostra causa suscepitam, ni tu tibi  
tan-

tantopere gratulareris etiam. Id si judicio facis, non invideo fructum: sin imaginatione, remedii pars est, non sentire malum. Illud autem quam Germanice? Negas te fustibus depelli posse, ni detur, quod in Patriam reverso præsentem Erasmum referat. Os impudens, non tibi sat est, oculos, aures & animum explesse nostri copia mellitissima, uti scribis? ni me totum tecum auferas: & auferas in tam procul dissitam Regionem. Quantulum autem Erasmi tecum auferes, si hujus Corpusculi imaginem pictam aut expressam ad tuos retuleris? Optimam Erasmi partem in Libris videre licet, quoties libet, si quid tamen omnino nostri est, quod sit visendum. Bene vale Gaspar Charissime. Lovanii, tertio Calendas Junias, Anno M. D. XIX.

ERASMUS ROTERODAMUS COLETO  
Suo s. d.

**D**e redditu quiete dici non potest, quam tibi gratuler. Suffraganeum demiror quid fibi velit, quuin has exactiones sciret indictas jam tum, quum pensionis onus reciperet. Atque id temporis de communicando onere Decimorum ne verbum quidem. Sentio te sub stomachari, quod iterum te insalutato Londonum reliquerim, & impatientiam taxas meam. Equidein non inficias eo morbum meum, verum nihil tum fuit ejusmodi, cuiusmodi suspicaris. Primum nihil erat, quod tecum age-

rem, & palam admonuit me tuus Gulielmus, te literis scribendis occupatissimum esse, ne quid obturbarem, quanquam ego nec in hoc veneram, sed ut literas ad me missas a tuo Gulielmo reciparem. Et adeo me properabam isthinc subducere propter metum Pestis, ut ne cubiculum quidem meum fuerim ingressus. Item quum redirem, avecturus Libros, solus omnes Libros resque composui: quo peracto, sero autem perfeceram, isthinc abduxī me: nec in cubiculo meo cubui: negotium de transferendis sarcinis Jodoco commisi. Hoc animo non salutavi te. Literas tuas septimo Octobris die scriptas, pridie Calendas Noveimb. accepi: & ego iisdem de rebus iterum ad te scripseram. Si Matthæus non est apud te, apud Roffensem est, id quod magis etiam conjectabam. Sed quia separatim dederam, non adjunxit reliquis: quod si periit, mihi ipsi imputabo, & repetiti laboris tædio facilitatis pœnam a me exigam. Nos hinc passim fugientibus omnibus, & ipsi rus concesseramus, sed vini inopia fortasse nos Cantabrigiam rediget. Gratulatus sum proximis literis, & iterum gratulor, quod ad sanctissimos illos ac saluberrimos concionandi Labores redieris. Arbitror enim cessatiunculam illam in bonum etiam versum iri, dum avidius audient, cuius vocem aliquandiu desiderarunt. Incolumem te tueatur Opt. Max. Jesus. Cantabrigiæ, Calend. Novemb. Anno M. D. VII.

ERASMUS ROTERODAMUS GULIELMO  
MONTJOJO S. D.

**Q**uidnam sibi vult illa tuæ Salutationis *ανεῳδης πλωσις*; o salve mi Præceptor, salve mi Præceptor? Utrum doloris erat, quod a charissima Conjuge divelleris, an gaudii, quod ad æque dilectas Literas sis redditurus? Mihi quidem, quanquam hic omnia durissima videntur, stat tamen sententia, omne tedium amore tui devorare, omnem exforbere molestiam: ne quum tu in amando constantissimum te præstiteris, ego vicissim in obsequendo parum constans fuisse videar. Fac eum ad nos animum adferas, ne vel tu sine causa consuetudinem Uxoris neglexisse, vel ego frustra tantum tædiorum pertulisse credar. Bene vale. Oxoniæ, Anno M. CCCC.  
XCIX.

ERASMUS THOMÆ MORO SUO

S. D.

**V**ix ullis literis consequi queam, quibus diris hujus Tabellarii caput devoverim, cuius vel indiligentia, vel perfidia factum arbitror, ut expectatissimis Mori mei literis fuerim frustratus. Nam in officio cessasse te suspiciari nec debeo, nec libet. Tametsi superioribus literis vehementiuscule tecum expostulavimus. Neque veremur, ne quid nostra libertas te commoverit, qui non ignores Lacedæmonium illum ad cœtem usque pugnandi morem. Illud extra jocum oramus, mellitissime Thoma,

ut

ut ægritudinem quam ex nimium diurno tui  
tuorumque Scriptorum desiderio cepimus, usura  
aliqua sarcias. Expectamus omnino non epistola-  
lam, sed ingentem literarum sarcinam, quæ vel  
Ægyptum αχθοφόρον degravet. Si qui sint  
isthic Bonarum Literarum Cultores, tuum erit  
officium, eos, ut ad nos scribant extimulare,  
quo videlicet Amicorum orbem omnibus numeris  
absolvamus. Non ausim illos laceffere prior.  
Nam tibi nihil referre putamus, quomodo scri-  
bamus homini facillimo : ad hæc mei, ut mihi  
persuasi, amantissimo. Vale jucundissime More.  
Oxoniæ, Anno M. CCCC. XCIX. Natali Simo-  
nis & Judæ.

## ERASMUS HUTTENO

S. D.

**T**ot Studiorum laboribus obrutus, ut mi-  
rum sit me cuiquam omnino respondere,  
sæpius tibi respondi, quam tu ad me scripseris,  
si modo perferuntur quæ mittimus : & tamen  
pertinax silentium meum accusas, mecumque  
delitigas, quasi parum sit hominum, qui me-  
cum rixentur. Ingentem voluptatem mihi nun-  
tias, quod tali animo sit in me Archiepiscopus  
Moguntinensis, & tibi tales Mæcenatem gra-  
tulari non desino. Cæterum Libellum illi di-  
catum, jampridem meo sumptu misi per Juve-  
nem quendam, una cum literis ad te, simulque  
Praefationem ad Wolphgangum Augustum.  
Eum ex literis Rhenani, intelligo Basileam us-  
que

que pervenisse: quid egerit Moguntiæ, nescio. Demiror si non peregit mandata, cum addiderim libellum memorialem. Præfiximus libello epistolam eruditam & elegantem Archiepiscopi, non perinde ut extaret illius erga me favoris monumentum, atque ut alios tanti Principis exemplo, ad Bonarum literarum studium accenderem. Et videor mihi profecisse: nam Clarissimo Juveni Gulielmo de Croy Duci & Episcopo Cameracensi, Archiepiscopo Toletano, denique Cardinali, quanquam alias satis videtur ad honesta Studia propensus, tamen ex Moguntinensis epistola lecta, non mediocre calcar additum videtur. Aulam tuam, cum saepius esset in manibus, tamen semper excussum hactenus aliquid negotii, lecturientem interpellans. Quod legi perplacuit: quid enim Hutteni non placeat? Febrim ac Phalarismum, nescio qui curarunt rursus excudendum. At Febris Lovaniæ vetita est distrahi, quod quosdam Ἡμίθεος nominatim attingere videretur. Alioqui perplacet omnibus. Phalarismus quoniam adhaerbat Febri, una cum Febre exulat, sed Lovanio duntaxat: neque enim longius se profert hujus Scholæ tyrannis. Suscepserant & Orationem excudendam, nec satis scio, quo consilio prorogent. Sed quid ego audio? Huttenuus totus ferreus in acie dimicabit? Plane video te bello natum, qui non calamo tantum & lingua, sed & Mavortiis armis pugnes. Quanquam quid magni, si nunc ausis inter tam multos adversus

unum

unum pugnare, cuim olim Bononiæ unus tam  
multos profligaris. Laudo forte animum, sed  
tamen si me audies, servabis Huttenum Mufis.  
Nam unde nobis tale ingenium, si quid acci-  
dat, quod avertant Superi? Nostri Martem  
 $\alpha\lambda\lambda\omega\pi\varrho\sigma\alpha\lambda\lambda\omegaν$ , nec satis propitium bonis In-  
geniis, utpote Deorum omnium stolidissimum.  
Bene sit, sed tamen si quid acciderit, ipse tibi  
tuis Scriptis extruxisti Monumentum ære per-  
ennius. Neque nos tamen defuturi sumus of-  
ficio nostro. Nam si quid Erasmi Scripta vale-  
bunt, nulla dies unquam memori nos eximet  
Ævo. Triumphum nondum vidimus. Gratum  
erat, quod nostro consilio tam diu presserint:  
nec dubito quin totum argumentum sint mode-  
rati. Rixarum nullus est finis. Ut cæteris omni-  
bus sumus superiores: Sycophantiis, menda-  
ciis, convitiis longe vincimur. Non possum non  
ingenue fateri, quod vero verius est. Sed præstat  
hac parte ultro herbam dare, quam turpiter de-  
pugnare. Neque enim solum perpendendum  
nobis est, quid dignum sit iis, in quos scribi-  
mus, verum etiam quid nobis dignum sit, qui  
scribimus. Pulchrius est aliquando modestia  
quam causa superiorem esse, & sunt quæ nobis  
potius agenda sint. Malim ego totum mensum  
in Paulum aut in Evangelium explanandum  
insumere, quam diem hujusmodi rixis contere.  
Bene vale Mortalium Charissime. Lovanii,  
**IX.** Calend. Majas, Anno M. D. XIX.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Eruditissimo M. Petro Viterio suo

S. D.

Bene cecidit Optime Viteri, quod mea, qualis fuit, expostulatio, tam amicam, tamque copiosam Epistolam abs te extudit. Veterem illum tuum in nos animum, non sine voluptate agnosco. Incolumem esse te lætor. Tot molestis occupationibus distrahi te, dolerem, ni tales essent, ut hujusmodi vel immori cupiat animus vere Christianus. Gratulor autem Virtuti tuæ, quæ tot laboribus sufficiat: quod Corpusculi viribus deest, Pectoris ardore suppeditante. Proximas Literas tuas scito mihi non esse redditas. Si curaris ut sciam, qua de re commendari velis Stephano Poncherio Episcopo Parisiensi, promptissime quod voles faciam. Eximum Virum Balneum Decanum Turonensem meis verbis resalutabis diligenter. Vir malus sim, ni amem Hominem Literis ac Virtuti cumprimis faventem: ingratus etiam, ni redamem, ulti provocantem ad Amicitiam. Bene vale, Viteri Suavissime. Anno M. D. XVII.

ALBERTO CARDINALI &amp; ARCHIEPI-

scopo Maguntinensi Erasmus

S. D.

Reverendissime Domine, Princepsque Clarissime, non dubito quin Libellus, quem Celsitudini tuæ dicavimus, redditus sit eidem. Qui an tuo satisfaciat animo, nescio: meo certe

non

non satisfacit: verum id temporis nihil aliud  
erat ad manum. Circumspicietur aliud, quod &  
tuæ Magnitudini, & meo in te studio magis  
respondeat. Richardus Pacæus, qui Regis sui  
nomine Legatus ad vos venit, præter alias in-  
numeras Dotes Vir est insigni utriusque Lite-  
raturæ peritia præditus, apud Regiam Majesta-  
tem multis nominibus gratiosissimus, fide sin-  
cerissima, in oribus plusquam niveis, totus ad  
gratiam & amicitiam natus: quem si dignabe-  
ris propius nosse, scio gaudebis te a nobis ad-  
monitum fuisse. Apud Anglos triumphant  
Bonæ Literæ. Rex ipse cum sua Regina, Car-  
dinales ambo, Episcopi ferme omnes toto pe-  
ctore tinentur, fovent, alunt, ornantque. Rabu-  
lis omnibus per Regem impositum est silenti-  
um: Spero idem fore apud Germanos, si tuæ  
Amplissimæ Dignitatis, tuique similium favor  
adspirarit: quod ut faciat, etiam atque etiam ro-  
go. Nihil enim non moliuntur Sycophantæ  
quidam, præsertim hic, ubi Barbaries Terris ex-  
cessura videtur extrema posuisse vestigia. Quan-  
quam & hi mitescunt, incipiuntque suam stul-  
titiam agnoscere. Hutteni ingenium indies ma-  
gis ac magis exosculantur omnes: cui tua Cel-  
litudo tam candide favens, multum laudis,  
imo gratiæ sibi parit apud Eruditos omnes:  
quam incolumem diu servet immortalis Chri-  
stus Jesus. Antverpiæ, XIII. Calend Junias,  
Anno M. D. XIX.

ANTO-

ANTONIO DE BERGIS ERASMUS  
Roterodamus s. d.

Ornatissime Juvenis, antehac uno nomine duntaxat amabam te, quod honestis Studiis ac Moribus delectareris præter vulgatum morem Nobilium: nunc hoc quoque debeo nomine, quod expertus sum mirum Patris tui in me studium. Ejus totam spem in tua indole sitam esse, ex illius sermone perspectum habeo: nec dubito quin optimi Patris expectationi sis per omnia responsurus. Bonæ Literæ passim efflorescunt, frustra reluctantur veteris Inscitiae Patroni. Apud Anglos triumphant recta Studia, Regis, Cardinalium & Episcoporum auxilio. Rabulis, qui tantum ad maledicendum linguam habent, impositum est silentium. Hic quoniam tales Patronos non habemus, sœviunt adhuc, & Libris quoque grassantur, sed quibus nihil aliud quam suam traducunt stultitiam ac mentis stoliditatem. Mitescunt tamen & hi paulatim, velut ex gravissima Febri resipiscentes: obmutescit etiam, si Principum adspirarit favor. In Ferdinando magna spes est: in te quoque non mediocris. Carolus abest. Civerius non mirum si a Literis est alienior, quam non adversatur. Cardinalis Adrianus Bonis Literis nunquam admodum favit, etiam si non est adeo devotus hostis, quam sunt quidam, qui se non putant incolumes fore, nisi oppressis Bonis Literis. Hunc Richardum Pæcum, Serenissimi Regis Anglorum Oratorem,

eique gratosissimum, si propius complecteris,  
gaudebis Hominis consuetudine. Est enim, præ-  
ter mores candidissimos, utriusque Literaturæ  
peritissimus. Bene vale. M. Adriano Barlando  
inultam ex me salutem dico. Antverpiæ,  
XIII. Calend. Junias, Anno M. D. XIX.

ERASMUS ROTERODAMUS JACOBO  
BANISIO Suo s. d.

**V**ir omni Decorum genere cumulatissime,  
audio te nova, eaque eximia Dignitate  
auctum, quo nomine tibi magnopere gratulor:  
neque dubito quin Fortuna sit aliquando be-  
nignius etiam tuis præclaris Virtutibus respon-  
sura. Nos hic plusquam Panicis tumultibus  
jactati sumus, adeo Theologi quidam novas  
excitarunt Tragoedias: neque quicquam ta-  
men aperto Marte gestum est: omnia technis,  
cuniculis, ac strophis acta sunt. Male habebat  
istos, negotium Linguarum procedere: metue-  
bant, ne si subsisteret Novum Testamentum,  
labasceret eorum Autoritas: nihil itaque non  
tentatum, sed resipiscunt. Prodiit Novum Te-  
stamentum, venditur, & quidem felicissime.  
Ausus est quidam & Libellum adversus me  
scribere, sed magno suo malo, mea summa cum  
voluptate. Triumpharent Bonæ Literæ, si Prin-  
cipe in haberemus domi, qualem habet Anglia.  
Rex ipse non indoctus, tum Ingenio acerrimo,  
palam tuetur Bonas Literas, Rabulis omnibus  
silentium indixit. Cardinalis Eboracensis o-  
mnia

mnia Studia in melius restituit, suaque Benignitate, passim omnes invitat ad amorem Studio-  
rum: nec aliud agit Cardinalis Campegius, Vir omnium & optimus & doctissimus. Aula Regis plus habet Hominum Eruditione præstantium, quam ulla Academia. Video Germanos quoque Principes honorem habere Literis, tuo tuique similium hortatu: nos nondum hoc di-  
scere possumus. Serenissimus Princeps Ferdinandus, Adolescens, ita me Deus amet! ad omnem Virtutem natus nos amat nostrisque Libellis delectatur, ut & ab aliis accepi, & ipse mihi narravit. Libellum de Principe semper habet in manibus. Huic me Præceptorem dare conati sunt, & ipse videtur id ambire: sed cum alia me deterrent ab Aula, tum præcipue valetudo tam imbecillis, ut nisi temperetur meo arbitra-  
tu, mox periclitetur. Mortuus nec Principi sum usui futurus: nunc utcunque prosum calamo. Exiit Paraphrasis in duas Epistolas ad Corin-  
thios, & in Epistolam ad Galatas. Hac certe parte probor, & doctis & indoctis omnibus. Si inciderit commoditas, commendabis me Illus-  
trissimo Saxoniae Duci Friderico: ei scripsi-  
mus nuper, opinor Epistolam esse redditam. Bene vale Patrone singularis. Si continget con-  
gredi cum hoc Oratore Regis Anglorum, Ri-  
chardo Pacæo, si nondum tibi notus est, fac ut hominem cures nosse proprius: Nihil ejus in-  
genio candidius, utriusque Literaturæ peritis-  
simus est: pro suis Virtutibus Regi Cardinali-

busque, atque adeo Romano Pontifici gratissimus est. Rursum vale. Bruxellæ, XII. Calend. Junias, M. D. XIX.

ERASMUS R. P. D. RICHARDO  
Episcopo Wintoniensi s. d.

**R**everende Præful, si unquam placuit tibi animi mei studium in te, hoc tantum præmii reposco, ne quid temere credas Sycophantis de me, quibus nunc fatali quadam Peste fervent omnia. Eduardus Leus, si demonstrat argumentis, se melius sentire, quam ego sentiam, nunquam offendet animum meum. Cæterum quod hic & apud suos scriptis, dictis, per se, per suos omnia implet inimicis rumoribus, nec suæ Famæ recte consulit. Iampridem palam præ se fert plusquam hostilem animum, nullo unquam dicto aut facto lacestritus a me. Juvenis est, ardet cupiditate Famæ, sed præstebat hanc melioribus auguriis auspicari. Novi Prudentiam tuam, quæ non facile pronuntiet, præsertim in malam partem. Tempus omnia proferet in lucem. Veritas laborare potest, vincere non potest. Si tua Autoritas consulat Leo, ut aut in totum desistat ab istis Sycophantiis, quibus seipsum magis traducit quam me, aut argumentis duntaxat mecum certet, illius Famæ consulueris. Nunc enim odio, ceu morbo animi lymphatus fertur. Erasmus olim ambiuit tuum favorem, non successit: nunc non orat, ut sibi faveas, sed ut Leo tuo. Bene valeat tua  
Pietas,

Pietas, cui me totum confecro dedicoque. Antverpiæ, VIII. Calend. Junias, M. D. XIX.

ERASMUS ROTEROD. R. P. THOMÆ  
Episcopo Dunelmensi s. d.

**R**everende Pater, quoniam Aristoteles scripsit multorum Amicitias silentio dirimi, nolui committere, ut idem nobis eveniret, præfertim in tanto Amico. Mitto Paraphrasin in Epistolam ad Galatas, in qua locus est de Petro, Pauli voce objurgato, qui mihi nondum satis a quoquam Veterum explicatus videtur. Non sum ignarus, varios rumores de me spargi. Sentiunt Philobarbari, erigere sese recta Studia, eoque nullum non movent lapidem, sed temporis progressu vincet Veritas. Hoc modo te exoratum velim, ne quid temere credas Erasmiomastigibus. Nunc fato quodam suo fæviunt, at brevi illos sui morbi pudebit, ubi resipuerint, quemadmodum evenit Ajaci. Bene vale Pater Amplissime, & in Erasmus eum te præbere perge, qui semper fuisti. Antverpiæ, VIII. Calend. Junias, Anno M. D. XIX.

ERASMUS ROTERODAMUS EOBANO  
HESSO s. d.

**A**deo placuit tuum ὄδοιπορικὸν, ut emendatis quæ commiserant Typographi, curarim hic rursus formulis excludendum. Joannes Schalbique conspectus mihi fuit multo gratissimus. Sed interim dum hos huc mittis, pa-

rum consulis meæ Famæ, cuius nunquam non facio jacturam ex hujusmodi congregilibus. At minitaris te plures etiam horum similes hic missarum. Quoniam hi contigerunt, per quos maxime licuit scribere, ideo scribo parcus. Per alios non satis tuto scribitur, per hos frustra, qui melius omnia coram referent quam ego literis possim. Nollem Epistolas meas editas, quas adjunxisti tuo Carmini, brevi editurus eram, sed locupletatas. Carmen ad Comitem de Nassau percupio videre. Favet ille Bonis Literis, & harum gratia mihi quoque. Sed nostri Principes laudare norunt, numerare non norunt. Quod tamen mea causa non dico, qui nihil ambi Sorte mea contentus. Bene vale Amicorum sincerissime. Jam nunc circumspice ac delige tibi argumentum aliquod sœcundum, in quo declaras Posteritati quantus sis. In hoc conferes paulatim, quicquid egregium cotidiana lectio tibi suppeditabit. Sed hæc plane memorem admoneo. Rursum vale. Lovanii, III. Cal. Junias, Anno M. D. XIX.

### GULIELMO MONTJOJO ERASMUS

Roterodamus s. d.

**V**nice Mæcenas antehac gratulatus sum Angliæ tuæ, quæ tot haberet Viros egregia Probitate, parique Doctrina præditos: nunc prope modum invidere incipio, quæ sic efflorescat omni genere Studiorum, ut omnibus Regionibus laudem præripiat, ac pene tenebras offundat.

fundat. Quanquam ista laus haud ita nova est  
vestræ Insulæ, in qua constat & olim eximios  
Viros extitisse. Declarant id vel Academiæ ve-  
stræ, quæ vetustate nobilitateque cum vetustis-  
fumis ac celeberrimis certant. Deamo Richar-  
dum Episcopum Wintoniensem, qui magnifi-  
centissimum Collegium suo sumptu proprio di-  
cavit Bonis Literis. Magis autem exosculor  
egregium, ac prorsus heroicum animum Tho-  
mæ Cardinalis Eboracensis, cuius prudentia  
Schola Oxoniensis, non solum omni Lingua-  
rum ac Studiorum genere, verum & moribus  
qui deceant optima Studia, condecorabitur.  
Nam Cantabrigiensis Academia jampridem  
omnibus floret Ornamentis, Præside Joanne  
Episcopo Roffensi, qui nulla in parte non egre-  
gium agit Præsulem. Cæterum hujus laudis  
præcipua portio Regio Pectori, velut horum con-  
siliorum Fonti debetur. Cum tot Regnis, ac  
Regibus altissima pax est, atque ut augurari li-  
bet, æterna, pelluntur nocentes, vigent bona  
Leges, evehuntur optimæ Literæ. Rex ipse  
hisce rebus omnibus non solum Autor est, ac  
Dux, verum etiam Exemplum, primus ipse præ-  
stans quod præscribit. Nulli Mortaliū magis  
ex animo bene volo quam tibi, & tamen  
parum abest, quin invideam tuæ Celsitudini, quæ  
tantis bonis fruatur sine me, quondam commo-  
dorum & incommodorum socio. Quodque gra-  
vius est, interim dum tu tot nominibus felix es,  
mihi cum teterris quibusdam non homi-  
nibus,

nibus, sed portentis conflictandum, in quo me  
hercle libens experirer, quid possit Eloquentia,  
ni me Christianus pudor, ceu Pallas quæpiam  
Homerica, jam capulo manuim admoventem,  
capillos vellicans, revocaret. Bene vale. Ant-  
verpiæ, Anno M. D. XIX.

ERASMUS ROTERODAMUS GERARDO  
NOVIOMAGO Episcopi Ultrajectini  
a Sacris s. d.

**A**micorum Candidissime, Aurigam naëti su-  
mus, non minus temulentum, quam erat  
meus Famulus. Itaque Lovanium pervenimus  
aliquanto ante nonam horam, non sine pericu-  
lo. Nam is currus, qui nos anteibat, subver-  
sus est. Vehementer arrisit illa Literarum tuarum  
pars, qua significas Reverendissimum Jacobum  
Calkarem Ordinis Dominicani isthic Provincia-  
lem, nostri studiosum esse. Nam ego palma-  
rium puto, placuisse Viro tanto, quantum tu  
nobis eum describis, & ipse facile credo optimæ  
fidei Autori. Cæterum vix animum queo indu-  
cere, ut ille fese ad nostras nugas legendas de-  
mittat. Locum inspexi, atque omnino res sic  
habet, ut ille narrat. Candorem Hominis exo-  
sculor, qui repererit, quo locus ille defendi pos-  
set, si pro &, scribatur aut. Sed adversus alien-  
igenas aut impios. Quanquam idem sensus  
consistebat, manente conjunctione &. Siqui-  
dem cum dicimus: hic non habet honorem,  
nisi doctis ac probis, nihil vetat quo minus di-  
versi

versi sint docti, ac probi. Verum ille recte voluit addita luce, caliginem amphibologiae discuti. Memineram Historiæ de Tribu Benjamitide pene usque ad internectionem extincta. Sed primum arbitrabar generalem orationem constare, etiamsi unum aut alterum eximatur: sicuti non ideo falsum dixit Paulus, Omnes in Adam peccaverunt, si credamus Mariam & Christum a peccato fuisse immunes, quanquam fateor non consilere, si Dialecticus summo, quod ajunt, jure tecum agat: deinde, mihi non visum est istud proprie belli nomine censendum, sed potius animadversionis: nisi forte cum Moses ob vitulum aureum tot Hominum millia trucidavit, bellasse videtur. Postremo mihi satis erat, quod nos semper inter nos beligeramus, illi aut nunquam aut rarissime. Ad persuadendum facit exaggeratio, ut, nunquam, positum sit, vice, fere nunquam: quemadmodum Paulus, cum ait: Omnes quæ sua sunt querunt, non omnes sensit esse tales, sed intelligi voluit per paucos esse, qui Evangelium sincere tractarent. His tergiversari poteram, ut nemo non ingeniosus est ad defensionem sui: nisi quod non libet a tam eximio Viro dissentire. Itaque proxima editione locus is mutabitur. Fac me illi quam diligentissime commendas. Nam Homini cupio proprius esse notus. A te nihil meo nomine peto præterea, nisi ut pergas tui similis esse. Bene vale. Philippo Montjojo omnium quos in vita viderim can-

didissimo cum Uxorcula meis verbis salutem dices. Reverendissimo dices, quæ nunquam non dicis. Lovanii, M. D. XIX.

ERASMUS ROTERODAMUS CASPARI  
VELIO s. d.

**P**arum videlicet erat tibi Veli Doctissime, nos sane quam eleganti, sed tamen mendacissimo Carmine celebrasse, nisi insuper & Epistolam adderes Panegyrico sumillimam. Nec hoc contentus Carmen adjungis heroicum, tam sublimis, tam grandiloquum, ut ad hoc collata Lucani Tuba, Lyra videri possit. Primi Carminis evulgati est cur me pudeat, non est cur te pœniteat. Neque sinam Bartholinum hoc nomine per te vocari in jus. Nihil hujus Viri iudicio non tribuo. Atque is tibi tantum tribuit apud me, quantum alii nostratis hujus Orbis nemini. Non censuit ille committendum, ut Carmen tam felix premeretur. Favebam & ipse, fateor, editioni: sed obstabat pudor ac metus quidam, ne non tam ingenio tuo quam laudibus meis delectatus viderer. Haudquam tamen ingratum fuit, extitisse qui scrupulum hunc discuteret. Epistola tua declarat te in utroque genere, pari pene felicitate exercitatum fuisse, quæ res paucissimis adhuc Mortalium successit. Porro Carmen heroicum legenti venit in mentem Homeri Βαρεσχονομαχια, quæ tragicis verbis rem maxime ridiculam prosequitur. Atque hoc impensis sum adini-

admiratus ingenium tuum, quo sterilius est argumentum. Sed tamen ne sic abs te decantatus, nihil omnino præmii dicar retulisse, moneo mi Veli, ut posthac istam longe felicissimam ingenii tui venam, in felicioribus materiis exerceas. Gratulor tibi talem Patronum, & illi te vicissum gratulor, vel Amicum, vel Præceptorem: ejus eruditissimis Literis, incondito Epistolio respondi. Non me fugit, quam id sit inhumanum atque impudens. Sed quid facias? Tantis Studiorum obruor laboribus, & innumerabilium Epistolis sic undique provocor, ut singulis respondere non queam, fortassis paria facturus, si cum paucis mihi res esset, etiam si Herculem non puduit duobus cedere. Bene vale Veli Charissime. Lovaniii, Anno M. D. XVIII.

ERASMUS ROTERODAMUS BANISIO  
Suo s. n.

**V**ir Ornatisime, jure succensemus Selan-  
diæ, quod te nobis afflictum remiserit:  
sed tamen gratias agimus, quod vivum restitu-  
rit: quando non paucos absorbut. Sic tui ve-  
lim Principibus copiam facias, ut tuæ salutis  
habeas rationem. Quo magis eget tuis consiliis  
Respublica, hoc magis advigilandum, ut illi  
diu possis esse usui. Tuum ad nos adventum  
cupidissime expecto. De negligendis Blatero-  
nibus suoque morbo relinquendis, & pruden-  
ter & amice consulis. Quid enim aliud quam  
suam traducunt stultitiam simul & inscitiam?

Deuin

Deum immortalem ! quam insultis Libellis,  
quam virulentis , quam indoctis rem agunt ?  
Non est periculum , ne tam ineptas nenia legat  
Posteritas , cuius judicium semper eruditis Vi-  
ris spectandum est. Quanquam ne nunc qui-  
dem ulli probo doctove placet istorum furiosus  
tumultus. Sed omnia coram. Bene vale Vir Or-  
natissime. Lovanii , Anno M. D. XVIII.

ERASMUS ROTERODAMUS  
GONELLO SUO

S. D.

**M**ultis modis hæc tempora nos affligunt mi-  
Gonelle. Pestis hîc passim scintillat mox ,  
uti videtur , fævitura. Bellum imminet malo-  
rum omnium Oceanus. Nos privata etiam quæ-  
dam incommoda discruciant , præterquam quod  
nuper exortus est mihi novus Genius malus , Be-  
stiola quædam perpusilla quidem , sed quæ tan-  
tum habeat veneni , ut præ hoc Vipera , quin &  
Seps veneno vacare videatur. Rogo uti per Wat-  
sonum ad nos scribas. Et quid agat meus Pe-  
gasus significes , imo quid valeas ipse , quid  
Hospes tuus Humanissimus , quid Materfamilias  
omnis Bonitatis Exemplar. Fac diligenter salu-  
tes Greanum Commissarium communem , Ami-  
cum , vel ut verius dicam Patronum. Bene vale.  
Londini , Anno M. D. XV.

ERAS-

ERASMUS ROTERODAMUS  
GULIELMO GONELLO Suo

S. D.

De Equo voluptate mihi nuntias mi Go-  
nelle, & animum tuum hac quoque par-  
te agnosco. Cato & alia, quæ illi adjecimus,  
jampridem absolute sunt, sed unicum nobis  
duntaxat Exemplar est Scribarum inopia. Ad-  
jecimus & pristinæ Collectioni magnam vim Si-  
milium ex Plinio: ea puto tibi tuisque magno  
usui futura, sed deest qui describat. Tanta est  
apud Britannos laboris fuga, tantus amor otii,  
ut ne tum quidem excitentur, quum spes do-  
losi affulserit numini. Huc si te contuleris, lu-  
bens & hæc & reliqua communicabo omnia.  
An id ex usu tuo sit, ipse expendito: Nam mihi  
certe tuus adventus erit gratissimus: Tametsi  
Pestis hic locis aliquot scintillat, ut Greani no-  
stri verbo utar, ac nuper Aulam quoque Regiam  
invasit audax extinctis duobus aut tribus.  
Verum si advolas maturandum est, nam ipse  
ad quadraginta dies fugam adorno, nisi quid  
novæ obtingat fortunæ, cuius ne somnium qui-  
dem adhuc ullum video. De rebus novis scri-  
psi Greano. Bene vale Gonelle Charissime. Lon-  
dini, quarto Calendas Majas.

Et ipse pene oblitus eram, quod maxime  
cupiebas scire, quisnam sit Genius ille malus  
mihi nuper exortus. Est Animalculum quod-  
dam pusillum, sed quo non aliud alat nec  
Pontus,

Pontus, nec Tellus venenatius aut pestilentius. Nihil enim est nisi merum virus, quod procul etiam afflat & amicis & inimicis. Hanc Pestem Liguria nobis misit, hujusmodi venenorum ferrax, magis quam Hiberia. Quod si nomen quoque cupis cognoscere, longe dissidet a moribus Joannis Baptiste, cum quo homo nimium candidus ac simplex pene contraxeram domesticum contubernium, sed gustato veneno resilii. Is dolens elapsum esse me, virus suum procul afflat, ac linguæ venenis me petit. Duo me consolantur, unum quod ipse culpa vaco, alterum quod illi nemo credit, Homini sic omnibus inviso, ut nec a Fratribus aut Liberis ameritur, Uxoris hostis. Rursum vale mi Gonelle. Londini, Anno M. D. XV.

ERASMUS ROTEROD. GONELLO  
Suo s. d.

**N**ihil est mi Gonelle, quod te unius aut alterius interitus magnopere territet, nisi passum vagari malum cœperit, præsertim quum nunc in Anglia mutare locum nihil aliud sit, quam mutare periculum, non effugere. Fuge Turbæ colluviem, quantum potes: moderate vive, sicuti facis, tuos item a turbæ commercio cohibe. Jam instat Hyems, quæ solet hujusmodi mederi malis. Intelligo te nimium graviter discruciar, ac propemodum despondonisse animum, quod tibi crumena cum paucis nummis perierit. Primum quid Musarum Alumno

Alumno cum pecuniis? deinde quid Juveni? denique quid est, quod tantulæ pecuniolæ ja-ctura Gonelli tangat animum? Ego quuin ante quindecim annos redire in Galliam para-reim, viginti libras in littore Douariensi per-didi, & nondum ingressus navim naufragium feci. Universas opes semel perdideram, & adeo non consternatus sum animo, ut alacrior etiam & ardentior ad Libros redirem moxque intra paucissimos dies Proverbiorum Opus edidi. Oblecta te Musis mi Gonelle: pecuniam istam aliqua tibi reddet Fortuna vel cum fœnore. Interim sic existimato, Erasini pecuniolas, quantulæcunque sint, tibi communes esse. Nostri desideriuū non tibi molestius est, quam tui mihi: sed non semper sœviet Fortuna. Joannis mei discessus initio male me habebat, nunc occalluit animus, ut malum non redire. Quorsum enim attinet beneficium in eos conferre, qui non intelligunt? Nihil æque perit atque id, quod confertur ingratis: at longe magis perit, quod præstatur non intelligentibus. Ingratus dissimulat, non intelligens ne sentit quidem. Si quid novabis, quæſo facias me certiorem. Quum dabitur colloqui, communicabo tibi, quod spero non ingratum fore, nec inutile Studiis tuis. Bene vale. Salutem ex me dices Hu-manissimæ Matrifamilias, ac cæteris omnibus. Demiror Lupsetum nihil scribere: audire ge-stio, quid agat, quid valeat. Rursus vale. Lon-dini, M. D. XV.

ERAS.

## ERASMUS DORPIO SUO

S. D.

In alio Studiorum genere fateor verum esse quod scribis, non laedit, imo sæpen numero juvat, qui dissentit. Hic qui dissentit, non hoc agit ut ipse videatur eruditior, sed ne adversarius sit Christianus. Quod etiam si non agat ille, tamen interim apud imperitam Plebeculam traducitur is, cum quo certatur & ansa datur perversissimo isti Hominum generi, qui malo alieno vel pascuntur vel crescunt. Nec unquam suspectum habui tuum animum, sed fortassis melius noveram ingenia Mortalium, & causæ circumstantias altius atque tu perpendebam. Quod si qui cruciantur inter nos convenire, demus operam mi Dorpi, quo magis ac magis doleant, indigni quibus unquam bene fit, qui malis gaudeant alienis. Rumores nihil est quod metuas: nemo Mortalium est, qui minus his commoveatur quam ego. Qui bene volunt Erasmo, facile amabunt & Dorpium, si senserint te mihi ex animo Amicum. Heri binas a Moro literas accepi, intra biduum ibit, qui meas referet, in quibus adscribam quæ cupis, imo jam quædam de concordia nostra scripseram nondum abs te monitus. Multorum literis magnificisque promissis invitor in Galliam, idque Regis nomine: sed non libet rursus me Theatro committere. Animus secessum flagitat: ætas hæc, seu potius valetudo, cogit etiam quiete agere. Petrus Ægidius tuam salutem alacriter accepit,

accepit, & suam amanter remittit. Si quid  
in Angliam voles, mitte quamprimum, cura-  
bitur a nobis. Joannem Atensem omnibus  
laudatissimum, & tamen nunquam fatis lau-  
datum, meo nomine etiam atque etiam saluta-  
bis. Bene vale. Antverpiæ, nono Cal. Martias.

**T**HOMÆ, EPISCOPO DUNELMENSI,  
Erasmus Rot. s. d.

**O**rnatissime Præfui, ex Petro unoculo, per  
quem nuper scripsi Celsitudini tuæ, co-  
gnovi Librum Senecæ tibi non fuisse redditum.  
Franciscus fatetur apud Arnoldum fuisse, a quo  
reponces, si nondum acceperisti. Nos, gratia Su-  
peris convaluimus, & brevi, ut spero, veteres  
Patronos revisemus. Faxit Christus Opt. Max.  
ut vos omnes offendam incolumes. Bene valeat  
tua Pietas, cui me totum dedo, dedicoque. Ant-  
verpiæ, VII. Id. Jul. M. D. XVI.

**E**RASMUS ROTERODAMUS RIMACLO  
Suo s. d.

**T**andem effugi ex Ergastulo Basiliensi, in  
quo sex annorum operas, octo mensi-  
bus præstiti. Mirum mi Rimacle quantis stu-  
diis, quibus conditionibus me sollicitarit supe-  
rior illa Germania, quæ Regio mihi sic modis  
omnibus arrisit, ut nulla sub Sole magis. Hanc  
Epistolam Antverpiæ reliqui, Bruxellam vestri  
conveniendi gratia aditus: idque hoc con-  
silio, quo si forte fortuna evenerit, ut non  
O fit

fit congregandi copia, hæc meis verbis salutem diceret Amicis, quibus me redditum vehementer gaudeo. Bene vale. Et Aloysium (si adest) meo nomine saluta diligenter. Antverpiæ, Calend. Junii, M. D. XVII.

JOANNI SYLVAGIO, REGIS CATHOLICI  
Cancellario Summo, Erasmus Roterdamus s. d.

**T**andem explicui me e laboribus Basilienibus, Vir Clarissime, fortassis serius & meis votis, & Amicorum expectatione, sed tamen pro Operis modo pene præpropere, quippe qui Libello, de Principe instituendo, nondum absoluto discesserim, cum magnopere cuperem id muneric offerre Principi, deerat nonnihil adhuc & in Hieronymo. Quod supereft ex tuo potissimum confilio faciam, quod erit facendum. Has literas hoc confilio reliqui Antverpiæ, ut si forte fortuna non contigisset mihi Bruxellæ, aut Mechliniæ tui conveniendi copia, hac saltem ratione tuam Celsitudinem salutarem. Nam ipse Montjoicam Arcem adeo, illinc quempiam in Angliam transmissurus, qui Volumina Hieronymi, quorum editionem inscripsi Cantuariensi, illi reddat, simulque cæteros Amicos meo nomine conveniat, ac censum Anni superioris colligat. His rebus confessis, mox ad vos me recipio. Interea valeat in columis tua Celsitudo, Vir incomparabilis, & Patrone summe. Antverpiæ, Calend. Junii, M. D. XV.

PE-

PETRO CARAFFA, EPISCOPO THEA-  
tino, Nuntio Apostolico apud Anglos,  
Erasmus Roterod. s. d.

**R**everende Pater, sensi, sensi, sed fero sen-  
si errorem meum de munere tuo. Ad-  
monuerain ut non solum faveres, sed etiam  
adjuvares. At quod ego de Literis ac Doctrina  
sentiebam, tu de pecunia putabas dictum. Di-  
ci non potest, quoties me postea puduerit facti.  
Novum Testamentum jam prope modum ab-  
solutum est, & quidem satis feliciter, nisi quod  
ego laboribus enecor. Adeo qui in Hebraicis  
non nihil succurrat. Operis Summa succrescit ad  
octoginta ferme Terniones. Certum est Leoni  
Decimo dicare. Epistolam ad illum scriptam  
opinor te vidisse: Jam enim typis excusa est,  
in qua tui quoque memini. Hieronymus gna-  
viter procedit, sed Opus immensum. Bene vale.  
Basileæ, 10. Cal. Jan. M. D. XIV.

ERASMUS ROTERODAMUS  
THOMÆ MORO

s. d.

**I**am ad iter accincto, binæ simul mihi red-  
ditæ sunt Literæ, neque Puer ullus, neque  
Mercator nos visit. Maruffi Syrapham exhi-  
bui Gaspari, ea jubet dari Ducatos largos justi  
ponderis, aut valorem. Agnoscis non Castren-  
se, sed Mercuriale verbum. Rogavi quis esset  
valor. Respondit Stuferos 37. cum dimidia-

O 2

to.

to. At mihi, inquam, valo nihil aliud significare potest, quam publicam Principis aestimationem. At nos, inquit, hunc habemus morem. At ista, inquam, ratione nos fallimur, qui vestrum morem divinare non possumus ex Syngrapha. Recepi Syngrapham meam. Admonebis igitur Hominem non esse mihi consilii quindecim florenos perdere in sexaginta angelatis. Rogabis Archiepiscopum, ut pecuniam tibi tradat, tu collocabis apud Germanos Sterlingen. et scriptum huc mittes, quo hic recipiam: nisi erit per quem huc mittas rectius. Exhausi loculos omneis dum me vestio. Crede mihi mi More, effudi supra quadringtones florenos. Jam periculum est, ne bene vestitus fame moriar. Si Tonstallus hic hymnat, illi me adjungam, nam id impensisime cupit. Adiit, haec cum scriberem, Petrum Ægidium Hospes Anglorum, offerens pretia Librorum, cæterum de nostra pecunia nullum verbum. De Ursevico fac instes. Hieronymus intra biduum aderit cum ingenti sarcina literarum ad me. Ubi accepero, faciam te certiorum, si quid erit, quod te scire oporteat. De Insula deque ceteris curabuntur omnia. Haec scripsi inter componendum sarcinas, mox equum consensurus. Bene vale Charissime More cum tuis omnibus. Antverpiæ, postridie Calend. Octobr. Anno M. D. XVI. Curavi ut Cantuariensis, Coletus, Roffensis, Ursevicus, & tu si vis, inter primos accipiatis Hieronymi

mi Volumina. Rursum Vale. P. Ægidius plane te deamat. Nobiscum assidue vivit. Mirare favet tuæ Utopiæ, teque valde salutat cum tuis omnibus.

THOMÆ, CARD. EBORACENSI,  
Erasmus Rot. s. d.

**R**everendissime Pater salutei plurimam. Tametsi non ignorabam antea Celsitudinis Tuæ in me favorem, tamen id plenius hodie cognovi ex oratione Clarissimi Montjoii. Erat coram acturus gratias, sed hic Ventus & Libri jam pridem relicti, me ianundum revocant. Et sciebam quantis negotiorum undis in praesentia jactetur exerceaturque Tua Sublimitas. Quod supereft hujus negotii, literis transigetur. Ubi vobis decretum erit, quantum meo otio satis esse putetis, meum fuerit dare operam, ut ita dimittar a Principe meo, sicuti par est ab optimo & benemerito discedere. Cæterum qui-eunque erit eventus, pro Regia in me indulgentia proque Celsitudinis Tuæ propensissimo studio semper debiturus sum: quam utranque incolumem in multam ætatem tueatur. Omnipotens. Londini, M. D. XV.

ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ  
MORO s. d.

**L**upsetus existimat se nostra renatum opera, planeque ab inferis emersisse. Magistri moliuntur omnia, quo retrahant Adole-

scentem in suum pistrinum. Nam statim eodem die sophisticis Libris distractis, græcos emerat. Vide, ut cum inciderit opportunitas, gnaviter agas parteis tuas. Nihil hujus ingenio gratius, nihil amantius. Bene vale. Verto Librum Plutarchi de discernendo Adulatorem ab Amico, longiusculum, sed quo non aliud mihi magis placet. Absolvam faventibus Superis intra dies octo. Videtur mihi hoc propemodum magis ad rem pertinere, quam digladiari cum Vigilantio, duce Hieronymo. Rursum vale. Si videris Lazarum nostrum Hominem plane Musis & Gratiis natum, quæsalutes diligenter: hortare, ut perscribat mea, quæ habet in manibus. Nam habeo quædam plus quam nova, quæ non dubitem illi futura gratissima. Millies vale. Cantabrigiæ, Anno M.D.X.

ERAS. ROTEROD. THOMÆ MORO

S. D.

**M**isi duas Literarum sarcinas, alteram per Negotiatorem quendam, alteram per Filium Joannis Crulli, cui tu operam tuam naveras. Ei cominendavi Codicem, in quo erant Reuchlinica, quæ misere desiderabat Roffensis. Per priorem misi Libellum Reuchlini, versum meo sumptu. Mitte Utopiam ubi primum licet. Est Antverpiæ Senator, cui usque adeo placet, ut eam memoriter teneat. Epistola Dorpii, cui tu respondisti, sic a tuis descripta est, ut ne Sibylla quidem possit legere, vellem mitteres minus male scriptam. Quæso te ut scribas de

de omnibus diligenter, cumpriuum licebit. Nam hīc magna rerum mutatio videtur instare, nisi me animus fallit. Bene vale cum tuis omnibus. Qui has perfert probus est Juvenis, ei promisit nescio quid Sixtinus. Is ea fiducia petit Angliam, ignarus ex simplici promisso non nasci actionem. Sed tamen extimula Hominem, ut magis ei faveat. Si Pollio crebro fuit apud te, facile conjectabis quid ego passus sim Bruxellæ, cui quotidie cum tot Salutatoribus Hispanis fuerit res, præter Italos & Germanos. Rursum vale. Antverpiæ, postridie Nonas Mart. Anno M. D. XVII.

ERASMUS ROTERODAMUS PETRO  
ÆGIDIO s. d.

**O**ptimi Patris mortem ut doleo, ita felicem existimo, qui sic decesserit: quando hac sorte nascimur omnes, nihilque diuturnum in rebus humanis, nedum perpetuum. Quod convalueris gaudeo: atque uti perpetuum sit, opto. Quanquam Jacobum oneraram multis mandatis, tamen unum quiddam oblitus sum, quod maxime curatum oportuit. Scribit ad me Archiepiscopus Cantuariensis, ut hīc ab Amico quopiam viginti libras Sterlingen accipiam, & Syngrapham mittam, se protinus resoluturum. Quando igitur, ut audio, non licet exire, accerse ad te Joannem Crullum, aut si quis est magis idoneus, qui tibi numeret pecuniam ac syngrapham meam recipiat, aut mihi

O 4

nego.

negotium committat, curabo ut in Anglia pecunia numeretur ei, cui voluerit is qui dedit. Quod si Archiepiscopus non dederit, quod tamen secus fore scio, ipse reddam. Tu, si postulat, fidejubeto, quod erit tibi bonum atque commodum, quando pecunia manebit apud te. Mea refert, ut hoc quam primum fiat. Scis quam ob rem? Quo mox ad proximum Pascha liceat honestius iterum petere. Quam ob rem hoc agas velim, quod meo bono, nullius incommodo fiet. Morus adhuc est Caleti, magno ut appareat tum tædio, tum sumptu, & in negotiis longe odiosissimis. Sic Reges beant Amicos. Hoc est a Cardinalibus adamari. Sic & Pacæum jam supra biennium apud Helvetios relegatum detinent. Epistolam illius fac habeamus. Utinam tuo fiat commodo, ut hîc nobiscum hybernes. Affatim conferemus fabulas nostras. Paraphrasis jam ad calcem decurrit. Triginta sex Philippeos, & ut opinor, præterea nonnihil reliqui apud Nicolaum, ut solveret pro stragulis, & ita reliqui, ut soluta pecunia reliquum tibi restitueret. Et memini me scripsisse super hac re: tu tamen nihil respondes. Fac ut sciam. Ne remittas N. suos libros, priusquam viderimus, agit Cantabrigiæ, illic Græcas professurus Literas. Diffimula illius literas tibi redditas. Medicus petit inducias quatuordecim dierum. Tu, si forte videris Hominem, finge te pudefactum apud me, ni resolvat, quod promisit. Idem dicat Nicolaus, qui audierit eum sic dejerantem. Optafsem

sem Sigillum temporiū missum fuisse. Sed tibi nihil imputo, non ignarus quomodo tua ipsius agas negotia. Inclusi tuis Literis Syngraphas meas, & Epistolam Cantuariensis. Si aut abest, aut friget Crullus, confido Franciscum non gravaturum. Bene vale Amicorum Sincerissime. Lovanii, decimo septimo Calendas Dec. Anno M. D. XVIII.

### ERASMUS GONELLO SUO

s. d.

**S**emper equus meus ad me redit & habitior, & alacrior mi Gonelle, satis præ se ferens Nutricti sui tum diligentiam, tum felicitatem. Quare te majorem in modum rogo, uti pergas quemadmodum cœpisti curare bajulum nostrum. Quidni nostrum appellein? cum Amicorum communia fint omnia. Dabo operam ne officium tuum in hominem parum memorem, parumque gratum, collocasse videaris. Bene vale Gonelle Charissimè. Cantabrig. Sexto Calend. Octob. M. D. XI.

### ERASMUS ROTERODAMUS PETRO ÆGIDIO s. d.

**V**tinam essem sanior animæ tuæ pars, quemadmodum tu vocas. Nunc ipse parum valens, ægrotō morbo alieno, & tamen ob negotium Novi Testamenti non vacat ægrotare. Non video spem, nisi primum imperes tibi ipsi: deinde suscipias iter aut huc aut Gandavum. Illic est Clavus Medicus maledicus, ei te com-

inendabo si velis, ut te vel convitiis adigat ad curandam salutem. Abstine a Pharmacis dejectis Naturæ vires. Exspatiare comite Nicolao aut simili Amico fido ac jucundo. Quicquid est litium procul abjice. Prudentis est ante omnia vitæ consulere. Bene vale. Ita & ego minus incommodo valuero. Lovan. tertio Nonas Mart. M. D. XVI.

ERASMUS ROTERODAMUS PETRO  
ÆGIDIO s. d.

**C**harissime Petre Ægidi, ex Aula recepi adhuc centum florenos, reliquum promittunt brevi. Si certus aliquis tibi continget, aut si Jacobus huc venerit, mitte mihi Psalterium Octapolum tuum. Nam hic penes neminem est, & eo opus est in Apologia, quam paro adversum Fabrum. Medico me unice commendabis. Misissim illi suam Grammaticam, sed Apologia nonnihil ab instituto deduxit. Bene vale mi Petre Suavissime. Patri & Uxori salute dices. Nos, gratia Superis, mediocri valetudine sumus. Urge Quintinum ut perficiat, quod ubi erit factum, advolabo consultaturus, quomodo possit commode tutoque mitti in Angliam, simulque Quintino satisfaciemus. Dum cum Fabro litigo, dies perdidit jam octo. Rursum vale, imo da operam, ut quam optime valeas. Nicolao Ludimastro multam ex me salutem dicto, qui quoniam me sibi obstrictum esse voluit, circumspice quanam in re queam illi vicissim gra-

gratificari. Dederam Joanni tuo negotium de sella Bruxellæ emenda, quid actum sit, scire cupio. M. D. XVIII.

ERAS. ROTEROD. CORNELIO BATTO  
S. D.

**C**harissime Fili, tuam erga me pietatem lumbens amplector, faciamque pro virili mea portione, ut intelligas defuncti Batti neque memoriam, neque charitatem apud me intermor-tuam, tu modo cura ut optimo doctissimoque Patri literis ac moribus respondeas. Ego nunc Basileam adeo, sic enim res postulat. Si isthie es tolerabili conditione, perdura usque ad re-ditum meum. Redibo enim volente Christo, mense Octobre: fin minus, conveni Lovanii Joannem Hontiscotanum Liliensis Pædago-gii Moderatorem, & ex illius consilio pete Bru-gas, conventurus Marcum Laurinum Coadju-torem, ut nunc loquuntur, Decani S. Donatia-ni, cui de te scribam hodie. Optimum & Hu-manissimum Patrem Gofvinum meis verbis sa-luta diligenter. Optarim te Literis Græcis ope-rare dare, & evolvendis Bonis Autoribus. Ac-cipies his literis inclusum nobilem Flandricum aureum, animi in te mei pro tempore qualemque pignus. Bene vale mi Cornelii. Lovanii, tertio Calendas Majas, Anno M. D. XVII.

ERASMUS ROTERODAMUS ANTONIO  
CLAVÆ s. d.

Nuper

**N**uper videbaris optare Græcum Herodotum: eum ad te dono mittto. Nam facile mihi reperietur alius in hoc itinere. Bene vale. Robertum Cæsarem vix possum salutare, qui nuper nos tam superbe destituerit in cœna. Lovanii, 3 Calend. Majas, Anno M. D. XVII.

ERASMUS ROTERODAMUS MARCO  
LAURINO s. d.

**S**cripsit ad me Batti sincerissimi quondam Amici mei Filius Cornelius Battus: Juvenis bene linguaç, fatisque doctus, sed loripes: is tenetur hujus Regionis desiderio: nam Gruningæ agit Hypodidascalum. Si forsitan te adierit, exponde num tibi possit usui esse: sin minus, remitte illum Lovanium. Nolim ut mea causa quicquam agas adversus animi tui sententiam. Bene vale. Scribam alias copiosius. Lovanii, tertio Calend. Majas, Anno M. D. XVII.

ERASMO ROTERODAMO PETRUS  
ÆGIDIUS s. d.

**V**ideo te occupatissimum, qui ad quaternas meas literas non responderis. Venit nuper ad nos Tabellio quispiam, cum literis ad Joannem Nevium tuis. Aberat Franciscus in Britannia cum ille adesset: delatae sunt tandem ad me cum epistola quadam Frobenii, quam sum apprime exosculatus. Borsalus Decanatum, ut vocant, nactus est, hac proficisciens in Selandiam nos invisit, te Basileam per-

pervenisse narravit, unde vehementissime sum gavisus. Et quidni gaudeam, qui quoties tui sit mentio gestire, tripudiare & subfilire soleo. Quæso te Erasme mi, si quando dabitur occasio, ut Pyladi tuo, sic enim me non minus ex animo quam vere nuncupas, aliquid literarum mittere ne graveris. Admiratus sum non parum, quod minime rescriperis, præsertim cum tu interea temporis bis ad Nevium literas miseris. Badius fuit apud nos, viximus genialiter, super Fabro Stapulensi facta est mentio in convivio, pœnitet se unquam Erasmum irritavisse, nec responsum est, nisi ad Calendas Græcas. Paulus Æmilius reliquos Historiarum suarum Libros formulis excudendos Badio tradidit. Intelligo item Budæum Epistolas colligere: nimirum curabit eas edendas, non sine Doctorum omnium & admiratione & fructu. Est apud nos, si Superis placet, Sycophanta ille Hypsistrotus instar ululæ invisus omnibus, is nunc rem agit alienam prorsus a sua Sodalitate, vendit Libellos illos suos ineptissimos, quibus indidit titulum Apologiae, hos minutuli isti Libelliones circumforanei, tanquam Præcones vendunt: Compendiolum autem quantum est scabiosus & miser accipit Hypostrotus. Hunc nemo dignatur colloquio, nemo vel salutat, nisi fortassis insanæ quædam & neficæ Lenæ, quanquam ne hæ quidem suo Nebulonem dignantur commercio. Corradit undecunque potest pecuniam, sed nil præter au-

rum

rum Tolosanum. Dialogus nescio cujus Autoris, prorsus tamen erudit, de Julio hic passim venditur: hunc nemo non emit, nemo non habet in ore, hunc te vidisse maxime velle, quanquam non dubium, quin isthic quoque venundetur. Ferdinandus Illustrissimus Princeps faustis avibus applicuit, paucis ex nostratis coinitatus. Adjunt hunc non falsi Autores, comi & affabili esse ingenio, moribus optimis, & ad miraculum usque latine doctum, nec ineloquentem. Marcus Laurinus apud me versatus est dies aliquot, de te totus noster fuit sermo, tota confabulatio, jussit te oppido quam salvere. Sixtinus ad me literas misit. De Moro nihil audio. Franciscus ex Britannia Lutetiam petiit. Beatus Rhenanus si belle valet, impendio gratulor. Bene vale mi Erasme. Uxorcula mea jam partui proxima, te plus millies salutat. Antverpiæ, 19. Junii, Anno M. D. XIX.

ERASMUS ROTERODAMUS  
PETRO ÆGIDIO

S. D.

**D**e his, quæ nobis attulit Jacobus, omnia recte habent: nec diffido quicquam de Nicolao, sed mirabar tibi pecuniam non esse redditam. Doleo te angi mœrore: at ego non ob aliud repetebam mea, nisi ut tibi sollicitudinem adimierem. De sigillo nihil accuso, tantum extimula Hominem per famulum tuum. Utinam scissem Pacem isthic adesse, nam id ex illius intelligo literis, protinus advolassem.

Epi-

Epistola ad Dorpium me non valde cepit & quanquam eam nondum perlegi. Quæso quod officium mihi offerunt Franciscus & Crullus, ut pro me scribant Archiepiscopo? aut quid diffidunt, cum pecunia sit mansura in manibus tuis, te fidejussore? Neque tibi est ullum periculum, nisi ut eandem pecuniam reddas, si quid accideret. O festivos Nugones, & bellos Amicos futuros, si incideret necessitas! Olfecit Crullus Cantuariensem non esse Cancellarium, alioqui vel donaret opinor. Si gravantur, sine illos: si facient, facient sine ullo suo periculo rem gratam, sed opus est festinatione. Medicum mi Petre neglige, & Fabulam nobiscum age. Extremæ literæ magis ac magis securram olen, verum hæc bene erunt. Tu tantum cura ut suaviter vivas, teque rebus melioribus serves, nos satis valemus. Mitto Paraphrasim unam emendatam. Uxorculæ bene precor, cæterisque tuis omnibus. Lovanii, Anno M. D. XVII.

ERASM. ROT. PETRO ÆGIDIO

S. D.

**D**emiror quid illi Furcifero meo venerit in mentem, ut isthinc tam subito discesserit: nam eodem die scripsoram ex Mechlinia, quid fieri vellem. Obambularat animi causa Nebulo, isthinc Mechliniam, inde Bruxellam, inde Lovanium, illinc demum in Diest, post mensem huc pervenit, perditis vestibus, & consumptis decem aureis, itaque abjeci Portentum.

Cura

Cura ut hæc Epistola reddatur Cancellario, quam tuæ adjunxi. Edidimus aliquot Epistolas, & inter has illam, qua Dorpio satisfacimus, & illius Epistolam adjuncturi, si ministro commissses, uti jussoram. Libellum adferet Bibliopola. Excusum est Enchiridium, additis aliis quibusdam. Novum Testamentum cœptum erat, sed rursum intermissum ob inopiam Castigatoris: simulatque vel paululum dabitur otii, tuum edemus Epithalamium. Sedebimus hic usque ad mensim Novembr. Bene vale cum tuis omnibus, Amicorum Optime. Bruxellæ, Anno M. D. XVIII.

ERASMUS ROTERODAMUS  
PETRO ÆGIDIO

S. D.

**A**ccepies ab hoc Nauta Antonio mea Scrinia, unum Quadrum ligneum funibus obvinctum, tria Gallica corio suillo superne contenta, repones vel apud te, vel alicubi in tuto, donec ipse advenero. Nautæ, si videbitur, solves, nisi forsitan hic a me pecuniam exegerit, nondum enim cum illo sum pactus. Salutato Montjojo & aliquot Amiculis, mox adero, faventibus Superis, & omnibus de rebus coram confabulabimur. Illud demiror, Franciscum Bibliopolam huc absque tuis venisse literis. Fac ut meæ res in tuto sint, quas easdem tuas esse ducito. Bene vale Amicorum Optime. Londini, Anno M. D. XIV.

ERAS-

ERASMUS ROTEROD. PETRO ÆGIDIO  
S. D.

**D**EUM immortalem ! quid imprecer istis  
Comperendinatoribus ? Si Hieronymus  
nondum est concinnatus, fac modis omnibus  
extimules Callipides istos : fin est, cura ut quam  
primum ad me veniat. Petrus Cöcles fortasse  
decumbit, nam audio non modo spoliatum, ve-  
rum etiam delumbatum : id si verum est, doleo  
vicem Hominis. Jam Coletō scripsi, ut succur-  
rat Homini. Tonstallus item ex animo dolet.  
Nolim te hoc vocari tuo incommodo : quodsi  
est, cur hoc te recipias, venies gratissimus Ton-  
stallo, tum adferes tecum argentum, relatturus  
aurum. Franciscus solvit, ut ait : cæterum pro  
Petro negat se fidejussisse. Accepi Sygrapham  
a Maruffo, qua nonnihil auxit æstimationem du-  
catorum. Utopia in manibus est Typographi.  
Bene vale cum dulcissima Conjuge, optimum  
Parentem meis verbis salutato diligenter. Bru-  
xellæ decimoquarto Calend. Decembr. Anno  
M. D. XVIII.

ERASMUS ROTERODAMUS PETRO  
ÆGIDIO s. d.

**T**e Filia auctum gaudeo, tum Compatrem  
Tonstallum tibi gratulor, quo Viro nihil  
habet hæc Ætas nec eruditius, nec melius, nec  
humanius. Age ad istum tenorem vices gi-  
gnendi fac serves, ut æqualis sit numerus Filio-  
rum ac Filiarum. Mihi jam non videor vivere,

P ad-

adempto Tonstallo, nec video tamen quo fugiam. Montjoius abest longius. Lovanium tametsi cum Theologis utcunque redditum est in gratiam, durius tamen nos acciperet Quadragesima. Hic sedere diutius, omnino non est animus: si citra tuum incommode cedere potes cubiculum unum, quod habet latrinam, fortassis istuc immigrabo, paraturus quæ mittam Basileam: quod supra solitam rationem impenderis, mihi volo imputari: ita nec te magnopere gravabo, nec tu me. Fac igitur ut sciam quam primum, sed cave ne quid moveas domi tuae, donec abs te factus certior, te vicissim reddidero certiorem. De pecunia nihil adhuc audio, & tamen mea nonnihil refert, ne ea diutius sit in manibus Fœneratorum. Uxorculæ tuae suavissemæ, fausta omnia precor. Fabulæ rerum nostrarum prolixiores sunt, quam ut literis committi possint. Nuper apud Cancellarium prandens, honorificam tui feci mentionem, & accepit satis pronis auribus. Patri optimo, jam bis Patri, multain ex me salutem dicito. Bene vale. Bruxellæ, pridie Agnetis. Anno M.D.XVIII.

ERASMUS ROTERODAMUS  
PETRO ÆGIDIO

S. D.

**O**pto Parenti tuo optimo, id quod est optimum. Iterum atque iterum te rogo charissime Petre, ut quod mutari non potest, feras certe moderate, neu de conficias dolore, tibi existia-

tiabili, tuis gravi & acerbo, mihi Moroque acerbissimo. Serva te tibi, serva te tuis, serva te rebus prosperioribus. Sive Pater est incolunis, sive secus, scio te graviter occupari, non luctu solum, verum etiam negotiis. Proinde ne quid ex meis etiam accedat, misi Jacobum meum, ut quod habes rerum mearum, huc adducat: si quid tibi potest esse usui, tolle & scribe quid sustuleris. Atque utinam Summa omnium quæ habeo, Patris tuamque salutem queam redimere. Venissem ipse, sed metuo Pituitam, & sum in restituendo Novo Testamento totus. A Morobinas accepi literas. Cura ut valeas, & te fortè Virum præbeas. Si quid erit in quo tibi queam facere gratuum, facito periculum, an ex animo te diligam. Lovanii, pridie Martini.

ERAS. ROT. PETRO ÆGIDIO

S. D.

**S**oles ultro me tuis provocare literis, at nunc nec lacestitus responde. Scripseram de Commentariis, de quibus cum Badio pactus eram, habebam Franciscum nonnihil suspectum, quod parum integra fide rem tractasset, itaque cupiebam tuis literis certior fieri. Dici non potest quam doleam, nostros paulatin his involvi bellis, tot jam bellis, vel ut verius dicam, latrociniis divexatos. O Theologos elingues, o mutos Episcopos, qui tales rerum humanarum pestes taciti spectant! Scribito mi Petre, ac vale.

P 2

ERAS.

## ERASMUS ROTEROD. GONELLO

Suo s. d.

**L**ondini salutavi Mæcenates meos, Archi-  
episcopum & Montjoium, ad hæc Amicos  
aliquot destinaram munusculo adoriri, & in  
his Regium Eleemosynarium, nunc Episcopum  
Lincolniensem, sed offensus Londino, nondum  
enim illic versari tutum est ob pestilentiam, in  
aliud tempus distuli. Rex laborabat cum il-  
lic esse, hoc est, Richemondiæ, Sabbato  
proximo, sed Medicus ajebat eum evasisse pe-  
riculum. Adebat Londini Summi Pontificis  
Nuncius, Episcopus Theatinus, Vir, ut ajunt,  
undequaque Doctissimus, de Pace inter Princi-  
pes tractaturus, sed frustra. Is magis, ni fallor,  
suum aget negotium, quam nostrum. Proximo  
Majo Rex trajiciet, unaque Sororem Mariam  
secum abducet, nupturam Principi nostro.  
Equum remisi, mone sæpius, ut Pater eum bene  
tractet. Est apud me, quod putem tibi gratum  
fore, sed mirum quanta hic Scriptorum inopia.  
Bene vale Charissime Gonelle. D. Greanum  
meis verbis saluta. Londini, Anno M.D.XV.

ERASMUS ROTEROD. PETRO  
ÆGIDIO s.

**S**alve Charissime Petre. Per omnia Sacra te  
oro, ut Sortem humanae conditionis forti-  
feras animo. De Patre bene spero, sed tamen si  
quid accidat, cave ne duos simul amittam. Quid  
juvat inanis, imo noxius dolor? Mone Nico-  
laum

laum imprimis, ut rem dissimulet, neque cuiquam effutiat ad quem adeat in Angliam, aut cuius nomine accersitus: & si non eat, tamen taceat, fingat causam a vera alienissimam Rem ex Secretarii literis, & ex Jacobi mei sermone cognosces. Bene vale Amicorum Optime, & Virum te præbe, imo meimineris Hominem esse te & Vitæ hujus Fabulam age. Bene precor tuis omnibus, & in primis optimo Patri. Scripsi Banifio Lovanii tertio Nonas Novemb. Mi Anime, post istas procellas, insignem aliquam serenitatem expecta atque illi te serva. Rursum vale. Si quid opus erit vel in tuo negotio, vel in negotio Nicolai, ipse advolabo. Anno M. D. XVI.

ERAS. ROTEROD. PACÆO

Suo s. d.

**P**lane confido, qui tui est ingenii candor mi  
Pacæ, te perpetuum Amicum futurum:  
nec ob id descifces ab Amicitia, quod tanto sis  
felicior. Atque utinam sis multo etiam felicior.  
Si Commentarii nostri jam advecti sunt, ut pu-  
to, fac diligenter recondas, aut quod malim, apud  
Morum deponas, donec reposcam. Linacrum fac in Amicitia retineas, & si fieri potest  
etiam Grocinum. Non hæc scribo, quod vel  
metuam aliquid, vel quicquam ab illis expe-  
ctem commodi, sed quod tales Viros perpetuo  
velim Amicos. Non egent illi meis præconiis,  
illud tamen ausim dicere, nec inter Anglos esse,  
qui de illis vel senserit magnificentius, vel præ-

dicaverit honorificentius, quam Erasmus. Et non libet meminisse, quid uterque, haud scio quorum instinctu, in nos molitus fuerit, id quod ipsa re comperi, non suspicione conjeci: quamquam olim iam idem olfeceram. Sed Homines sumus, ego semper ero mei similis, & huic injuriæ tot oppónam illorum benefacta. Linacri feci honorificam mentionem in Scholiis Hieronymianis. Nil magnum sit, si contemnam contemptus: si oderim, odio habitus. Illud Literis est dignius, officiis certare non odiis. Apud Cardinalem Eboracensem quoties inciderit commoditas, fac Pacœum agas. Cura ut recte valeas. Basileæ, pridie nonas Septembr. Anno M.D.XXIV.

### ERAS. ROT. PETRO ÆGIDIO S. D.

**S**i recte vales, est quod plurimum gaudeam. Diutius commoratus sum in itinere quam putaram: nam & Gandavi triduum remoratus est Cancellarius Principis Illustrissimi: Tornaci Montjoius meus, qui nunc ei præfectus est urbi, Regias agens vices: apud divum Audomarum Abbas Bertinicuſ. Trajectio sumptuosa fuit, & periculosa, sed tamen velox. Vas meum quod Fratri Francisci comiseram, nondum advectum est, qua re mihi nihil potuit contingere infelicius. In eo sunt omnia in Hieronymum Commentaria, quæ nisi mature recepero, cessabunt Basileæ qui excludunt, non sine magno suo malo.

Id

Id si casu factum est, factum est infelicissime : fin arte & data opera, quo vetera sua Proverbia prius extrudant, factum est inimicissime : nihil enim est, in quo me imagis lèdere potuissent. Exhibiturus eram Episcopis suos Libros, eos nunc saluto vacuus, & demittor item ab illis vacuus : quod si vas misissent, sicut erant polliciti, jam nunc istuc adessem. Adsum Brugis duo totius Angliæ Doctissimi, Cutbertus Tonstallus, Archiepiscopi Cantuariensis Cancellarius, & Thomas Morus, cui Moriam inscripsi, uterque mihi amicissimus : si quid forte inciderit, in quo possis illis gratum facere, rectissime collocaris officium tuum. Adinone Franciscum super hisce rebus. Ut spero, ante Julium vos revisam. Interim cura ut recte valeas Amice incomparabilis. Londini nonis Maji, Anno M. D. XIV.

ERASMUS ROT. THOMÆ PARCIO,  
Secretario Urbis Caletiensis,  
s. d.

Hunc meum Joannem Smithum ob certa negotia mitto in Angliam mox huc redditum : rogo adjutes Hominem, ut quamprimum commode trajiciat, ac per redeuntem scribito, quid valeas, quomodo res succedat cum Mercuriis istis, & quid agat tua Nympha. Præfecto Urbis, quem Deputatum appellare malunt, Viro Humanissimo, deque me optime merito, me plurimum commendabis. Bene vale

Charissime Parci. Antverpiæ, pridie Cathedræ Petri. Anno M. D. XVIII.

ERAS. ROT. JOANNI OECOLAMPADIO

S. D.

**I**ta quidem vulgo solet usu venire, ut Bona quæ præsentia neglectim habuimus, sublata gravi desiderio torqueant. Sed mecum pulchre agitur, si molestiarum quas ex me cepisti, cum unà viveremus Basileæ, memoriam abolevit disjunctio. Sed iste nimirum candor est Christiani pectoris, ut Aini viitia in bonam partem interpreteris, & virtutes exiguae pro eximiis ducas ipse in te Judex iniquior. Quanquam mea Fata nunc hue vocant, nunc illuc, tamen Lovanii sedem habere videor, ubi mea est Bibliotheca. Sed quocunque locorum circumagi-mur, seu terra, seu mari, nusquam non circum-ferimus unice dilectum Oecolampodium. Et nos interim Christum sequimur, sed a longinquo, quemadmodum Petrus adhuc imbecillis. Et tamen est aliquid, illum vel eminus sequi. Profuit id Petro, spero & nobis profuturum, si modo Jesus Optimus clementissimos suos oculos in me torquere dignetur. O te felicem! qui totus & vacuus, in intumis penetralibus versaris cum Sponso, nihil aliud quam cœlestia meditans. Et antrum vocas Sedem istam, ego Paradisum arbitror, præsertim comite socioque Studiorum omnium Brentio, per quem ita solus es, ut solitudinis tedium non sentias. Olim Ho-

Homines pii partim offensi deliciis ac sceleribus Vulgi, Christum titulo profitentium, vita negantium, partim afflicti saevis Barbarorum incursionibus captabant invios montium ac nemorum secessus. Nunc magis etiam libeat effugere istos, qui sub praetextu Christi, Christi Doctrinam moliuntur extinguere. Sed quid narras impie, Matri tantillum munusculum invidebas? Nam tu dignus es maximis, qui tam grato animo pensites quae nihil sunt. Quod Hieronymi Translationem confers cum Hebræorum Volumini bus, non dubito quin cum judicio facias, pre corque ut Deus laborem istum tuum bene fortunet. Optarim Indicem quamprimum prodire, mihi quoque usui futurum. Ea res complures accendet ad evolvendum Hieronymum. Non fatis divino, quid sibi velit Tragœdia, tantum admoneo, ne nimium variis Studiis oneres ingenii vires, & imbecillitatem corpusculi tui. De Melanchthon & sentio præclare, & spero magnifice, tantum ut eum Juvenem nobis Christus diu velit esse superstitem. Is prorsus obscurabit Erasmus. Bene vale. Lovanii, Anno M. D. XVIII.

ERAS. ROT. JOANNI KIRHERO

S. D.

Cum ipse doctissimus tot habeas eruditos Amicos, demiror cur hoc a me tam ambitiose quærendum putaveris Optime Kirhere. Quid autem est tam arduum, quod Ma-

ternus Hospes meus non vel tribus verbis a me impetret, si modo sit ejus generis, ut præstare possim? Sed de ratione numerorum qui gestu digitorum olim notabatur, ex Bedæ Fragmentis nonnihil annotabimus: quod hîc repeterem perlongum sit, cum brevi sit exiturum Volumen. Quanquam mihi non admodum probatur hujusmodi arguta curiositas in numeris explicandis: neque satis liquet, an eadem ratio, quam tradit Hieronymus, fuerit apud Hebræos. Studiorum ac laborum moles in quibus versor, non finunt ut in præsentia pluribus respondeam. Thomam Truchses Virum & citra ostentationem Eruditum, & citra fucum Humanissimum, ac Maternum nivei pectoris Amicum, diligenter salutabis meo nomine. Bene vale Joannes Amice non vulgaris. Basileæ, Anno M. D. XV.

### ERAS. ANDREÆ AMMONIO

S. D.

**B**is nos exhilaras Andrea Suavissime, dum vino jucundissimo literas addis multo jucundiores, planeque tuum ingenium, tuosque mores resipientes, quibus mea quidem sententia, nec fuit unquam nec erit, quicquam mellitus. Quare duplici nomine tibi gratias agimus. De pecuniæ mentione quod succenses, equidem non ignorabam animum tuum Regia Fortuna dignum, verum existimabam te miserrum Utrem majusculum, in menses aliquot dura-

duraturum: quanquam hic quoque major erat, quam ut ab homine modesto gratis accipi possit. De Græco Epistolio risimus adfatis. Iniquissimus sim, nisi Moro dem veniam, tam seriiis occupato negotiis. Demiror te sic perpetuo nidum premere, nec usquam evolare. Hanc Academiam si quando libeat revisere, multis gratissimus veneris, mihi inprimis. Quod jubes me isthuc redire si perduret languor, nihil video quod mihi blandiatur Londini, præter duorum aut trium Amicorum Consuetudinem. Verum his de rebus alias. Audio Julium Maximum vita defunctum. Vale Optime Ammoni. Frequenter ad nos scribas rogo, gratius mihi facere potes nihil. Contabrigiæ e Collegio Reginæ, Decimosexto Calend. Septemb. Anno M. D. XI.

## ERASMUS AMMONIO

S. D.

**M**alo quodam Genio meo non licuit tecum, cum isthic adessem proxime, congrede mi Andrea: nam cum primum advenirem, nihil minus suspicabar, quam te etiamnum apud Morum agere, præsertim cum Jodocus Bibliopola mihi confirmasset, te jam in Collegio divi Thomæ versari. Postridie mane pulsavi fores cubiculi tui, nec eras domi. Ubi redisem a Sacro, sensi strepitum equitum: Jussi Linacrum prospicere, nam ego scribebam, nescio quid: ille nuntiat te discedere. Sed postea quam

quam jam abieras, multis modis cupiebam tecum colloqui, verum id alias licebit. Rogo facias me certiorem, quid de adventu Montjoii isthic feratur: præterea num pestis tanta, quam tam prædicant: postremo si quid est de rebus Italicis Gallicisque, quod tuto literis committi possit. Bene vale. Cantabrigiæ, tertio nonas Octobres, M. D. XI.

## ERASMUS AMMONIO

S. D.

**N**ihil erat novi quod scriberemus, nisi quod mihi decretum est, neminem, qui modo certior contingat, nostris ad te literis inanem hinc dimittere. Scripseram ante dies pauculos. Cupio scire quid valeas, num Montjoius meus jam redierit: tum quid procedant res Italæ: quid agat invictissimus Julius. Sub brumam ad vos, Superis volentibus, remigrabo, si modo rigor hyemis pestem restinxerit, quam audio isthic increbescere: nec ea quideam longius hinc abest. Hactenus prælegimus Chrysoloræ Grammaticen, sed paucis: fortassis frequentiori Auditorio Theodori Grammaticam auspicabimur, fortassis & Theologicam Lectionem suscipiemus, nam id nunc agitur. Quæstus minor est, quam ut me inoveat, tamen interim & bene meremur, de Studiis, pro nostra quoque virili: & menses aliquot, ut Ovidiano utar verbo, decipimus. Cura ut recte valeas mi Andrea, Mortalium omnium mihi Charissime. Fac uti frequenter ad nos

nos scribas. Cantabrigiæ, postridie Idus Octobr.  
M. D. XI.

## ERASMUS ANDREÆ AMMONIO

S. D.

**D**e Praefatione Carinimum quid fieri velis,  
quam primum rescribe mi Andrea: nam  
Montjoius omnino non probabat. Proverbiū  
quod isthic ostendisti, annota: nam mea hīc de-  
nuo imprimentur. Aldina habentur venalia, &  
quidem mediocri pretio, hoc est sesquiscutato;  
cum pluris Rōmæ venirent. Si qui volent, pe-  
tant ab Italo illo; qui solus Aldinos libros distra-  
hit. Reverendo Patri Episcopo Dunelmensi mo-  
dis omnibus me facies cominendatum: cui scri-  
bam, ubi & otium contigerit & Nuncius paulo  
certior. Lutetiæ, V. Calend. Majas An. M.D.X.

## ERAS. ROT. ANDREÆ AMMONIO

S. D.

**G**audeo N. ereptum e carcere Regio, id si  
tuo quoque bono factum est, duplice no-  
mine gaudeo. Amo Coleti tam Christianum ani-  
mum: nam ejus unius opera liberatum audio,  
cum is semper a Coleto inter amicissimos habi-  
tus, cum jam amicus urgeretur Episcoporum  
calumniis, ab illius Adversariis steterit. Epistol-  
las quas ad Leonem & Cardinales scripseram,  
edidi, sed locupletatas. Si quid responsū est,  
aut si quid est, quod mea refert scire, quæso scri-  
bas per hunc unoculum Petrum, quem hac gra-  
tia meo sumptu misimus in Angliam, mox huc  
redi-

rediturum: nam febricula repente oborta ventat, quo minus trajiciam, & est quod Carolo fit ad dies aliquot gratificandum. Superior illa Germania sic mihi modis omnibus arrisit, ut vehementer doleam tam sero mihi cognitam. Nihil non detulit honoris Erasmo Episcopus Basiliensis Vir omnino frugalis, ut ferunt, alioqui, obtulit pecuniam, obtulit fortunam, equum coegit ut acciperem, quem mox urbem egressus aureis quinquaginta revendere poteram: sed præstat coram hunc Thrasoneum agere. Bene vale ac scribe, saltem quid valeas. Apud divum Audomarum, Nonis Juniiis, M. D. XIV.

ERASM. ROTER. ANDREÆ AMMONIO  
Suo s. d.

**V**ide quæso insignem impudentiam meam. Mitto ad te Icaromenippum, ut aut ipse describas, si citra tedium aut incommodum queas, aut agas cum Moro, ut Fratri transcribendum committat. Nam escas aliquot paro in Calendas Januarias, etiamsi frustra, ni fallor. Et hic ( o Academiam!) nullus inveniri potest, qui ullo pretio vel mediocriter scribat. Sed omnina potius mi Andrea, quam ut mea gratia tedium ullum capias. Literas oro reddendas cures iis, ad quos destinatae sunt. Cura ut te quam optime valentein offendam. Cantabrigiæ, quinto Calend. Decembr. M. D. XII.

ERASMUS ANDREÆ AMMONIO  
Suo s. d.

Remi-

**R**emisi tandem œnophorum tuum una cum  
versiculis male natis. Auriga confirmat  
se reddidisse Moro, quod id temporis aberas.  
Ad Calend. Januarias isthuc remigrabimus, ut vel  
fotu mutuo minus algeamus: nam h̄ic æstivare  
malim, quam hybernare. Postremo non expe-  
dit diutius tam procul abesse a Jove meo:  
quanquam hic locus non omnino mihi dispi-  
cet. Tum quæstus video non nihil, si quis Arde-  
lionem possit agere. Perquam cupio scire quo  
animo Wintoniensis & Dunelmensis meas acce-  
perint literas, ad hæc si quid aliud est novi. Gra-  
tum mihi feceris, si has literas, quas tuis adjun-  
xi, in Italiam perferendas cures: nunc plane  
est illud Homericum, ἀσπετος ὅμβρος. Opinor  
auditas a Jove preces istius, cuius libellum tibi  
tradidi, qui fontes, fluvios, lacus, stagna ad la-  
chrymis deplorandam Italiam calamitatem invit-  
at, ήμᾶς λύκος εἶδε πρότερος, ut nutibus sit lo-  
quendum. Tanta est raucedo. Bene vale, ac fre-  
quenter ad nos scribe. Cantabrig. IV. nonas  
Novembr. M. D. XI.

ERASM. ROTEROD. AMMONIO  
Suo s. d.

**P**recor ut istæ venationes tam sint faustæ vo-  
bis, quam mihi fuerunt infaustæ: jam pri-  
num enim Regem mihi adimunt: deinde pro-  
fecto Cardinale dies aliquot me sunt remora-  
tæ. Ad hæc Ursevnicum missò Novo Testa-  
mento captaram: equum promissum literis pe-  
tie-

tieram. Hunc cum die Lunæ visurus peto , ille  
commodum se venatum proripuit, non redditu-  
rus ante septem dies. Ad hunc modum is Thyn-  
nus elapsus est. Demum nunc te mihi præri-  
puit venatio. Proinde quod coram volebam,  
literis ago. Epistolam a puero scriptam ad Pon-  
tificem , si voles, resigna: mihi videtur parum  
apte scripta. Si judicabis ad rem pertinere, cura  
denuo describendam accuratius, ut & hoc inte-  
rim addas officii. Salutem meam tibi commen-  
do. Nec rogo diligentius, cui toto pectore con-  
fido: nec polliceor magnifice, cui re, si queam,  
gratias referre malim quam agere. Et mihi certe  
spes est successurum quod agimus, non solum  
quod agitur per Hominem mihi charissimum,  
verum etiam per Ammonium Erasmo felicissi-  
mum. Bene vale. Poterant hæ duæ causæ me  
dies aliquot in Anglia remorari, spes equi ab  
Ursevico, quem haud dubie daturus erat, &  
tuum colloquium, ni jam me tæderet Britan-  
niæ, & sentirem me vetulum iam hospitem  
Uxori Moricæ supputere. Utinam mature fe-  
lix Oraculum per te redeat. Rursum vale.  
M. D. XI.

### ERASMUS ROTEROD. AMMONIO Suo S. D.

**M**ajorem in modum te rogo, si quid isthic  
extiterit novi, cures uti quam primum  
sciam. Nam cum Londino discedebam, audie-  
bam Oratorem ex itinere revocatum Regiis li-  
teris,

teris, quod Pontifex denunciasset, ante Novebrem non futurum generale Concilium. Novum Fabulæ genus, lagena tua etiamnum stat Cantabrigiæ una cum vino, ut audio, sed jam vitiato, o stipites! Si quid erit magni, quod mea valde putabis interesse, ne graveris aliquem cum equo imittere, sed re prius communicata cum Coletio. Bene vale. Joanni bene precor. Cantabrigiæ, Decimo sexto Febr. Anno M. D. XI.

ERASMUS ROT. ANDREÆ AMMO-  
NIO Suo s. d.

**M**itto ad te literas ad Bombasium scriptas. De statu meo nihil adhuc novi est quod scribam, nisi iter fuisse incommodissimum, & valetudinem adhuc subdubiam esse a sudore illo. Videor mihi saltem ad dies aliquot in hoc Collegio commoraturus. Auditoribus nondum copiam mei feci, cupiens valetudini inservire. Cervisia hujus loci mihi nullo modo placet, nec admodum satisfaciunt vina: si possis efficere, ut uter quis vini Græcanici, quantum potest optimi, huc deportetur, plane bearis Erasmi tuum, sed quod alienum sit a dulcedine. De pecunia, nihil sis sollicitus, mittetur & ante tempus, si voles. Jam hoc commodorum quæ ex Bullis sanctissimis capiuntur, initium est, siti enecamur. Tu conjicito cætera. Et nondum trajecimus. Bene vale Charissime Ammoni. Ex Collegio Reginæ, postridie Bartholomæi. M. D. XI.

Q

AN-

## ANDREÆ AMMONIO ERASMUS

S. D.

**S**i quid est certi rumoris apud vos, quæso ut nobis impartiatis. Nam magnopere velim audire, num vere Julium agat Julius, & num Christus antiquum obtineat morem, ut quos maxime suos videri velit, eos maxime adversæ Fortunæ procellis exerceat. Ego, mi Andrea, pro felici rerum Ecclesiasticarum successu votum suscepit. Jam scio Religionem probas. Visam Virginem Walsagamicam; atque illic Græcum Carmen Votivum suspendam. Id, si quando te illo contuleris, require. Bovillus gnaviter græcatur, ac te diligit unice. Joannem omnis Humanitatis Antistitem diligenter meo nomine saluta. Petru Carmiliano meis verbis gratias ages, quod tam amanter de me mentitus est, in eruditissimis illis suis ad Brianum literis, in quibus me Doctorum Doctissimum appellat: eam laudem quo minus agnosco, hoc magis debeo illius in me benevolentiae studioque tam non vulgari. Mihi certe & honorificum fuit & jucundum laudari a Viro laudatissimo. Bene vale Doctissime atque Humanissime Ammoni. Cantabrigiæ, septimo Idus Majas, Anno M. D. XI.

## ERASMUS ANDREÆ AMMONIO

S. D.

**E**xpecto jam magnifica illa Stratagemata, tum quantum in zonis sit allatum. Scripferam ad te in Castris agentem, semel & iterum

rum per Joannem Lothoringum. Nobis interim non minus acre bellum fuit cum mendis Senecæ ac Hieronymi, quam tibi cum Gallis. Quanquam non fuimus in Castris, tamen de Gallicis manubiis decem coronatos dedit Dunelmensis. Sed hæc, quum te video: interim literas tuas expecto militares. Bene vale Amice singularis. Cantabrigiæ, sexto Calendas Decembres, M. D. XI.

**N**on est necesse rogare te, quod semper tua sponte facis, tamen rogo, ut si quando incederit opportunitas, commendatione vocis tuæ juves res nostras. Certum, his mensibus paucis sacram jacere ancoram: si succedet, imaginabor hanc esse mihi Patriam, quam Romæ prætuli, & in qua me Senectus deprehendit: si minus, abrumpam me: nec magni refert, quo: certe alibi moriturus. Superos omneis testes invocabo fidei, qua me is, quem scis, perdidit. Quod si tribus verbis essem pollicitus, quod ille toties tam magnificis recepit: scio quid pollicear: summa præstabo fide: dispeream, ni mori malim, quam Hominem ex me pendentei destituere. Tibi mi Ammoni gratulor, cui Fortuna, sicut audio, feliciter adspirat, non usquequaque iniqua qualis qualis in nos est. Rursum vale. Anno M. D. XI.

ERASMUS AMMONIO Suo

S. D.

**P**lane vapulaturus erat Joannes meus, natus Morus illi in tempore commodus Patronus

nus adfuiisset. Nam is, simulatque rescivit nos  
hæsiſſe Roffæ, accurrit, iterum viſurus Eras-  
mum, quem vereri videtur, ne brevi non ſit vi-  
ſurus poſthac. Is igitur famulo in conſilio fuit  
abducendi equi, poſtequam tua ſponte offerres.  
Video circumſpectius tecum agendum: adeo  
captas omnem donandi anſam. Reuiſſurus e-  
ram iunūnus tuum, etiam Moro diſſuadente, ni  
veritus fuifsem, ne fuſpicareris aut parum mi-  
hi placere, aut me Ammonio parum libenter  
debere, cum nulli debeam libentius, ut nec aīo  
quenquam effusius. Dispeream Ammoni, ni  
iſtum tuum animum tam excelfum, tamque  
Amico amicum, pluris facio, magisque amo,  
quain universum ſtrepitum Pontificiæ Fortu-  
næ: nec mihi poſſum unquam parum videri  
fortunatus, quoad iſtiuſmodi Amici erunt inco-  
lumes. Perplacet equus candore inſignis, at  
magis animi tui candore commendatus. Malue-  
ram in alios quosdam prædonem agere, in Ebo-  
racensem, Coletum, Urſevvicum: verum illi  
ſapiunt, quanquam Urſevviciſ pollicetur inſi-  
gnem equum, nec addubito quin fit præſtitu-  
rus, idque ad Calendas non Græcas, ſed Octo-  
bres. Bene vale Doctiſſime & idem Humaniſſi-  
me Ammoni. E Brabantia ſcribam Eboraciſi  
& Larcho. Roffæ XI. Calendas Septembres,  
Anno M. D. XIII.

ERASMUS ROTEROD. AMMONIO

Suo s. d.

Belle

Belle haec tenus mihi fuit usque ad nidorem hypocastorum, quæ nuper incendi cœpta sunt. Hieronymus in processu est. Novum Testamentum jam aggressi sunt: ego nec manere possum ob intolerabilem nidorem æstuariorum, nec abire ob Opus incepturn, quod sine me nullo pacto possit peragi. Helvetii nostri magnopere stomachantur adversus Gallos, quod sibi in acie non cesserint civiliter, ut olim cesserant Anglis, sed machinis suis multos dissipaverint. Rediere domum aliquanto pauciores quam exierant, laceri, mutili, fauci, Signis dissectis: proinde pro Epiniciis celebrant Paren-talia. Epistolam ad Leonem, cum aliis non-nullis curavimus edendam, sed locupletatam: si quid responsum est, quod ad me vehementer pertineat, significa tuis literis, sed caute. Si valetudo patietur, commorabimur hic usque ad Natalem Christi: fin minus, aut Brabantiam repeleinus, aut Roman recta. Eboracensis donavit me Præbenda Tornacensi, sed ἀδώρεω δώρεω, si quid noventur res. Hujus Commissarius, schedis publicitus affixis, fuit excommunicatus in Flandria, tanta illic Eboracensis reverentia. Vivit, valet, ac triumphat Episcopus ejus loci, Vir nobilis, doctus, ac potens. Accepimus ta-men: nihil enim facilius quam amittere. Optarim Epigrammata tua, si fieri possit, quod & ante-hac scripsi. His literis facile ignoscet, si scias, quibus ejusdem generis obruar laboribus. Bene vale Doctissime Ammoni, & Erasmo fac sis qui

fuisti semper. Basileæ, postridie Calendas Octo-  
bres, Anno M. D. XIII.

THOMÆ CARDINALI, ET

Archiepiscopo Eboracensi

Erasmus.

**S**alutem plurimam Reverendissime Præsul.  
Doleo mihi non licuisse familiarius ac diu-  
tius colloqui cum Celsitudine tua, priusquam  
Angliam relinquerem. Extremam & sacram,  
ut vocant, ancoram meæ felicitatis in te fixeram,  
sed urgebat Hieronymus, Opus ingens & incly-  
tum, &, ni fallor, semper victurum, præterea  
pium ac frugiferum. Id mihi sic cordi est, ut  
huic omnia posthabeam. Semper hoc iter ob-  
noxium latrociniis fuit, sed nunquam magis  
quam nunc, deinde Rhenus nivibus auctus, &  
pluviis, cuncta suis aquis obtexerat, maxime cir-  
ca Argentoratum, ut natandum fuerit verius  
quam equitandum. Omnia contempsi, modo  
prodeat Hieronymus. Excluditur & Novum Te-  
stamentum Græcum, ut ab Apostolis est scri-  
ptum: Latinum, ut a me versum, una cum no-  
stris Annotationibus. Exierunt jam & alia quæ-  
dam minutiora. Hæ nugæ magis nos habent  
occupatos, ac magis intentos, quam vos ardua  
ista negotia. His igitur absolutis, maturabimus  
reditum, maxime si tua Benignitas aliquid interim  
paraverit, quo fatigatum hisce laboribus animum  
simul & corpus refocillemus. Bene valeat Reve-  
rendissima Tua Dominatio, cui me totum dico,  
dedi-

dedicoque. Basileæ tertio Calend. Septembris.  
Anno M. D. XVI.

## ERASMUS URSEWICO Suo

S. D.

**E**qui tui genius mihi fuit magnopere felix,  
nam bis jam Basileam usque vexit ac re-  
vexit incolumem, itinere licet periculosissimo, non  
solum longo. Sapit jam non minus quam Ho-  
mericus Ulysses: siquidem mores Hominum  
multorum vedit & Urbes: tot adiit Universitates.  
Dum Basileæ meipsum pene laboribus eneo-  
mensibus decem, ille interim otiosus ita pinguit,  
ut vix ingredi possit. Superior illa Germania  
dictu mirum quantopere mihi arriserit, idque  
modis omnibus, & quam impense faveat Eras-  
mo. Novum Testamentum non dubito, quin  
videris. Hieronymus totus propediem prodibit  
in lucem, una cum Libello de Principis Insti-  
tutione Christiani. Quatuor Hieronymi Volu-  
mina misi Archiepiscopo Cantuariensi per hunc  
Petrum unoculum, tuum aluminum, quem of-  
fendi sic incumbentem scribendis Libris, ut se  
laboribus propemodum confecerit. Opinor ho-  
mini Fatum instare, qui tam sui dissimilis sit fa-  
ctus. Quin & abstemius prope inodum est redi-  
tus, & vini osor: atque hinc pallor insolitus.  
Tuorum in me beneficiorum semper memine-  
ro, quicunque me Terrarum angulus est habitu-  
rus. Bene vale. Apud divum Audomarum Nonis  
Juniis, Anno M. D. XVII.

Q 4

ERAS-

ERASMUS ROTERODAMUS AMMONIO  
Suo s. d. *IVX. A. M. omnia*

**A**n merito nos objurges, nondum liquet, certe consolaris tum amantissime, tum eruditissime. Alioqui vel illud poteram occinere: Tu si hic sis, aliter sentias. Quodsi omnes sic cæcutirent in Erasmo, ut tu, multo minus esset infelix. Pro studio in me tuo, vel pietate potius, pudet, ita me Deus amet, agere gratias. Majus enim mihi videtur hoc beneficium, quam ut vulgaris more conveniat gratias agere. Et referre quâ possim? Et tamen adnitemur, si modo detur vivere. De Sixtino id sentis, quod ego semper sensi. Hac igitur spe, quam mihi præbes, animum interim fulciam. In Literis sum totus, paro enim quædam Basileam mittenda. Rex Galliæ me invitat in suam Galliam, pollicens mille florenos annuos. Cui sic respondi literis, ut nihil tamen certi responderim. Theologi nunc ambiunt etiam, ut Lovanium commigrem. Ex Moro totam hanc Fabulam melius cognosces. Bene vale mi Ammoni, & perge σῶσας τὸν τρισάθλιον "Ἐραστον. Antverpiæ, Quinto Idus Mart. Nonnihil indignor occupationibus tuis, per quas non licet Musis totum istud ingenium, ut par erat, possidere. Video Morum quoque antehac semper invictum in procellas easdem abripi. Ego semper mei sumilis, totis pilea sarcinis redimo. Rursum vale. M. D. XVI.

ERASMUS ANDREÆ AMMONIO  
Suo s. d.

**V**ix credas mi Ammoni, quam pene h̄ic  
Theologorum invidia conflagrari. Lovanii gladiatorio animo ad me affectabant viam,  
idque conjurati, Atensi duce, hoc nocentiore,  
quod Hostis Amicum simulat: agebant & apud  
Principem sedulo, ut Pontificis autoritatem cum  
hujus autoritate conjungerent. Sed ipse tandem  
Lovanum profectus omnēm illum fumum ita  
discussi, ut cum maximis ac minimis Theologis  
summam inierim Amicitiam. In Aula molitio-  
nes partim Procerum favore, partim Eruditorum,  
& in his præcipue Theatini opera coercitæ  
sunt. Τὸν χεισμὸν τὸν σωτήριον jamdudum ex-  
pecto. Quodsi non successerit, tam periit Ἐρα-  
σμιος, quam extrema faba, neque quicquam su-  
pereft, nisi ut illi Epitaphium pares. Equidein  
maluissim bis Romam proficiisci, quam hoc tam  
diutino tædio cruciari. Nec hoc dico, quo tuum  
elevem beneficium. Scio moram hanc non tui  
esse animi, sed mei fati. Hieronymum Libra-  
riorum manibus commisi, quo concinnatum mit-  
terem. Ii suo more dant verba. Quodsi nondum  
emisti, mittam: tuum quicquid imperaris pecu-  
niæ præsto erit. Nec unquam tamen desinam in  
solidum hoc beneficium tibi debere. Tantum ma-  
tura, ut ante Pascha sim incolunis, vereque  
Æsculapium præsta. Quod, si quid incidet, cur  
mihi sit desperandum, beneficii pars fuerit, ina-

ni spe quamprimum liberari. Quanquam ne desperem, tuum ingenium facit. Offert Gallia montes aureos. Sed mihi manus obstrictæ sunt. Si quid habes quod me in vitam restituat, mitte per Morum, nisi contigerit certior. Bene vale. Antverpiæ, Sexto Calendas, M. D. XVI.

## ERASMUS ANDR. AMMONIO

S. D.

**C**um Dovariæ per occasionem ostendisseim Mæcenati nostro tua Poëmata, ingenium & eruditionem ubique probavit. Cæterum Præfatione tua visus est mihi non admodum delectari, iisdem de causis, quas apud te conjectaram, non ignarus ingenii Hominis. Mirum est quam abhorreat ab omni *κενοδοξίας* suspicione. Itaque admonuit me ut, si ederem, Præfationem omitterem. Ipsum enim Carmen Præfationis vice fore: præterea in Carmine cum aīs, Turba tui quod facit Ordinis, moxque aleas & perpotationes commemoras, veretur ne is locus & tibi & sibi nonnullam pariat invidiam: quasi libenter accipiat, suum Ordinem taxari. Si Præfationem mutas, addas velim, mentiunculam de Ecloga ipsi dicata. Nam id velle sensi, propter Angliæ Regisque laudes, quibus unice delectatur. Hac de re tuas literas expectabo, quas ad Jodocum Badium mittes: nam nisi tua cognita sententia nihil omnino tuis in Scriptis sum mutaturus. Vale Amice Candidissime. Moro multam *ἀπ' εμού* salutem dicio. Linacro meis

meis verbis etiam gratulare. Siquidem audivi apud Archiepiscopum, quod audivi non illibenter. Morum admonebis ut τὰ βιβλία quæ reliqui in cubiculo, Coletto reddenda curet. Dovariæ, 4. Idus April. M. D. XV.

## ERASMUS ROGERIO WENTFORDO Suo S. D.

**I**nter multos Amicos, quos mihi dulcissimos Britannia conciliavit, tu mi Rogeri vel in primis occurris, qui me tam constanter amasti, sic tua Consuetudine delectasti, sic Officiis juvisti, ut quocunque Terrarum mea me Fata deferent, Rogerii mei jucundissimam memoriam mecum sim ablaturus. Atque utinam eam libertatem tua tibi Fortuna permitteret, uti nos in Italiam con sequaris: possideres totum Erasumum, quem jam multis modis tuissimum, ut ita dixerim, effecisti. Iter sat bene vertit, nisi quod odiosa fuit navigatio. Quatuor enim noctes de ventorum ac fluctuum arbitrio pependiimus: unde & capitis dolorem contraximus, quo quidem brevi levabimur, spero. Mirum quam mihi arrideat Gallia, hoc dulcior, quod iamdiu non visa. Uti Britanniae desiderio tenerar, illud potissimum facit, quod in ea reliquerim Amicos tam multos, tam doctos, tam integros, tam amantes, tam officiosos, tam jucundos, denique sic de me promeritos: inter quos tu præcipuo loco ponendus. Quare fac ut in amando Erasmo tui similis esse pergas. Ego vicissim in complectendo Rogerio meipsum quotidie vice-

ro.

ro. Vale. Parisiis, postridie Sacrament. Anno  
M. D. VII.

ERASMUS ROGERIO WENTFORDO  
S. D.

**Q**uod Copiam nolis edi, nisi te gloriæ meæ  
ratio moveret: equidem gemino argu-  
mento tuam in me benevolentiam agnosco:  
primum, quod amoris magnitudine cæcutiens  
tanti facis nugas Erasmi tui, ut veluti Thesau-  
rum eximum Vulgo profano communicari no-  
lis: deinde quod usque adeo mei nominis es  
studiosus, ut rursus affectum istum tuum affectu  
viceris, & quasi clavum clavo pepuleris. Quan-  
quam ego meæ Faimæ magis arbitror interesse,  
si neque transcribantur a quoquain, nisi sum-  
mo labore elimata, quem ego odi cane pejus &  
angue, maxime cum videam hinc nihil recipi  
fructū, præter lippitudinem, senium præma-  
tum, esuritiones, ac paulum modo gloriæ,  
cum pluriima invidia conjunctum. Nam quod  
de statu meo cupis cognoscere, equidem aureis  
promissis plane dives sum. Cæterum fortiter  
esurio. Quod crumenam inanem tantopere de-  
ploras, magis deplores, si scias me istuc disten-  
tam attulisse plus septuaginta duobus nobili-  
bus, & ne tantulum quidem superfuisse. Ex his  
conjecturam facias licebit, quemadmodum hic  
dilabuntur numini, ubi nihil non meo sumptu  
geritur, & est mihi res cum duabus Charybdi-  
bus voracissimis. Quod tam benigne, & ut mi-  
hi persuasum est, ex animo, pecuniam tuam of-  
fers,

fers, amplector & oscular Rogerianum illum  
aniuum, mihi jam olim & perspectum & ex-  
ploratum, cui utinam Fortuna parem faculta-  
tem addidisset, & additura est aliquando, nisi  
plane bonis ingeniiis infesta est. Iste nisi cum  
Grocino non video quo pacto possim vivere, &  
certe cum nemine omnium vivo libentius, sed  
pudet esse sumptui, præsertim cum nihil sit, in  
quo gratiam referre queam, & ille pro sua beni-  
gnitate nihil impendi patitur. Nec admodum  
cupide istinc discessi, verum hic scrupulus præ-  
ter cætera movebat animum meum. Interea ne  
nihil agam, perficio Opus de conscribendis Epi-  
stolis, Copiam quoque castigaturus, interim  
subinde devovens literulas meas tam steriles.  
Vale mi Rogeri, unus Mortalium omnium Cha-  
rissime. D. Grocino communi Patrono ac  
PræceptorI plurimam ex me salutem dices.  
M. D. XIV.

## ERASMUS AMMONIO Suo

S. D.

**G**aleatus hic, qui isthuc Mediolanensium no-  
mine Orator advolat & has adfert, intra-  
mensem hac redire cogitur: nos hic ad Calendas  
Martias sedebimus, per hunc, quæso te, scribe si  
quid est, quod me scire oporteat. Eboracensis  
bello somnio me bearat, de Præbenda Torna-  
censi: magis dolet ludibriū quam dispen-  
dium. Novum Testamentum ferme jam est  
absolutum, surget ad octoginta ferme codicil-  
los,

los, Leoni dicabitur. Cum Pacæo qui h̄c agit literis tantum sum collocutus. Bene vale ac scribe. Basileæ, decimo Calend. Januarias, Anno M. D. XVII.

### ERASMUS ROTER. PETRO NOTHO

s. d.

**Q**uod tam officiose res nostras curas Petre Humanissime, deamo te, & gratiam habeo pluriāam. Jam pridem isthic me videres, nisi Abbas Bertinicus, jamjam abeunte, jam accinctum remoratus esset. Psalterium fac emas, si modo castigatum est, & integrum, & si character mediocris: adero istic dubio procul ad Paschales Ferias. Pecuniam missurus eram, sed cum has scribebam literas, puer haud etiam certus erat, num istuc esset iturus, quare de pecunia jubeo te securum esse. Vale, & nos ama. Anno M. CCCC. XCIX.

### ERASMUS ROTEROD. LUDOVICO

Suo s. d.

**M**itto ad te tres Precationes, unam ad Iesum Filium Virginis, duas ad Virginem Matrem, quas facito ut diligenter perscribas, quantum potes. Prima est perturbatior, sed errare non poteris, si lineas indices sequare. Semel quamprimum describi omnes cupio, propterea quod is, cui sum donaturus, intra quatriodium, aut etiam fortasse maturius, Parisios iturus est: de reliquo consultabimus, ubi nos viseris. Aut

Aut si tibi est otium, ut saepius perscribas. Uttere charta quam potes optima, nitidissimis lineis deformata, marginibus spacioseioribus quam meæ sint, & Versus inter se latiuscule distent. Scribe quam potes politissime, non feceris gratis. De Francisci Libro, si parum tibi spatii est, cura ut sciat, quî possit alium Notarium sibi comparare: nam a me posthac non deerit quod scribas, si tibi quidem otium non defuerit. Si tibi per tuos licebit, post biduum aut triduum, ubi semel transcriperis, nos visito ut colloquamur. Pileum meum velim adferas, nam pileum Adriani, quod est apud me, salvum est & intactum. Nam simul atque hic recepi, nunquam sum usus: deinde adito N. fac ut scias quanti possit emittale capitale linteum, quale periit a D. Bertino: ut aut emptum recipiat, aut si malit pecuniam, qua emat: adito hominem, rogatoque utrum malit, aut potius ipse emitto consilio Viri, ut plane illi satisfiat, reddam tibi, ubi ad nos veneris. Humanissimo Adriano Patrono tuo simulque Edmondo mihi Fratris loco dilecto, multis modis facies me commendatum. Vale. Si quid a Parisiis ab Antonio novi est, fac ut sciam. Medico, ubi commodum erit, salutem multam dices meis verbis: & Guardiano, si jam rediit. Anno M. CCCC. XCIX.

ERASMUS ROTERODAMUS  
 BATTO s. d.

**S**i tu tuique recte valetis Batte Jucundissime,

me, est ut cupimus, quod vehementer gaudemus. Quanquam de amore nostro tibi perspectum arbitror, tamen etiam atque etiam tibi persuadeas velim, nihil esse uno me Batti amantiis, nihil illi devotius. Quodsi tu me amas, aut Bonas Literas miraris, hunc Hominem tuo more, id est perbenigne & comiter accipe: quo neque charius mihi, neque literatius quicquam. Et quod his temporibus perquam est rarum, summæ Eruditioni summam Modestiam adjunxit. Hunc domina Veriana, Hominis & ingenio & pudore delectata, unice complectitur: quare & tua Humanitate dignum, & nobis omnibus vehementer gratum feceris, si hic ostenderis quanti nos facias. De nostro statu nihil erat quod scriberem. Sibilant, ut solent nonnulli, quos tu non ignoras, Zoili, sed spero nos aliquando ex his scopolis evolatuos. Te cum universa Familia quam rectissime valere cupio. Anno M. CCCC. XCIX.

ERASMUS ROTEROD. GULIELMO  
MONTJOIO s. d.

**Q**uod locupletiorem quandam, absolutior remque de conscribendis Epistolis rationem a nobis efflagitasti Gulielme Adolescens Ornatussime, pudentius tu quidem pro tua modestia, sed tamen ut facile intelligerem quanto pere ejus rei studio arderes: tum animus iste tuus nos haud mediocriter delectavit, tum iudicium etiam non vehementer probare non potui, nam & agnosco in te perlubenter, quod repente

pente tot privatis publicisque negotiis implicatus, tum novis nuptiis, ut par est, occupatissimus, veterem tamen illum tuum erga Bonas Literas amorem non mutaveris. Sive ut his de rebus conscriberemus, tua ipsius interesse putabas, videlicet ut veterum Principum exemplo, si quod vel absolutis negotiis, aut etiam inter ipsa contigisset otii, id totum non nugis, quod vulgo faciunt, sed honestis Studiis impartires: sive hoc nostro labore, qui tibi totus desudat, Angliae tuæ Studia pro tua virili juvares, in qua videres Latinas Literas indies magis magisque efflorescere. Mentem istam tuam mihi Guilhelme, & te dignam & omnibus Bonarum Literarum Studiosis, cum voluptati, tum præsidio futuram & laudo, ut debedo, & agnosco, ut dixi, libenter. Nec minus judicio tuo prudenti sane & acriter gratulor, qui utrunque recte perspexeris: & nondum antehac ex multis, qui de scribendis Epistolis præceperunt, huic tantæ rei fuisse satisfactum: & nullam esse ex omni Studiorum genere partem hac una, vel quæ latius pateat, vel quæ tantundem habeat aut usus aut voluptatis: quo magis sunt reprehendendi, qui de re tam ubere, tamque necessaria, tam jejune indiligerentque, ut ne dicam ineruditæ, conscripsierunt. Ut enim interim de his taceam Libellis, qui jamdiu in Ludis literariis soliti circumferri nuper politiore Literatura resloescente, tanquam nebulæ, sole emergente, propemodum evanuerunt, Quo tandem consilio legitur

R.

a pue-

a pueris Franciscus Niger, cuius non modo Præceptiones triviales sunt, neque ex intimis (ut oportebat) Rhetorum fontibus petitæ, sed nulla etiam extat Epistola, non dicam elegans & venusta, sed ne Latina quidem. Tum illud, quod Marii Philelphi nomine circumfertur Opus, confusaneum mihi plæne perturbatumque videtur: & si dicendum liberius est, parum tum eruditum, tum ad id, quod promittit, accommodatum. Nam præterquam quod synonyma habet nimium puerilia, dicendi genera in singulis Epistolarum generibus, ferendum erat, quod odiose inculcat: ni id & imperite faceret, qui eam gravissimam Epistolam judicarit, quæ verbosissima esset, & quam maxime alieno repetita principio. Tum in ipso Operis lumine, quorsum attinuit Rhetorices Præcepta toties perscripta repetere? An ut rejectis Ciceronis & Fabii Libris, hujus nugas Pueri lectitarent? Nec Sulpitii Perotique Doctrinam contemno, quibus in eis Libris, quos Grammaticos ipsi vocant, haud Rhetoricos, facultatis hujus degustamenta quædam præbere, consilium erat, &c. Bene vale. Anno M. CCCC. XCVIII.

ERASMUS ROTERODAMUS  
EDMUNDO, Sacerdoti Optimo,

s. d.

**A**bdidi me in Villam Humanissimi Principis a Courtemburne, hybernis his mensibus in arcanis Literis inussaturus: & utinam id

id te comite, mi Charissime Edmunde, Gardiano duce, licuisset. Sed hac in re, itidem ut in cæteris, vulgato Præcepto libenter uteatur: Quando non potes quod vis, id velis quod possis. Cæterum tuæ fuerit charitatis, Adrianum extimulare, ut me Libris aliquot instruat. Mittat oro in Paulum, Augustinum, Ambrosium. Origenem a Bertinicis in tempore petat, certaque fiducia pro me fidejubeat: non enim falletur. Præterea percupiam, si fieri possit, ut Origenis Homiliae una mittantur, quas habet Gardianus. Lyranum, aut si quis alias in Paulum scripsit, & eum ad nos venire velim. Mittetur Sabbato vehiculum, quo omnia huc perferantur: interim curabitis, ut Libri sint in eum diem parati. Si quando vel Adrianus, vel Gardianus dignabitur nos invisiere, cupide videbimus utrumlibet. Vale mi Optime Edmunde, & hac in re quæso diligenter operam tuam naves. Ex Arce Courtemburnensi, Anno M. D.

ERASMUS D. ADRIANO  
in Christo Amicissimo

S. P. D.

Hunc Ludovicum Puerum hactenus Jacobus Battus mei respectu aluit in Arce Tornehenſi: nunc ita libitum iis, qui in præsentia Tyrannide obtinent, ut alio concedat, qui Batti Fratreim expulerunt, ipsum etiam Battum expellere conati. Quare monui Adolescentem, ut te primum viseret, quem si in Familiam

liam tuam receperis, rem feceris & mihi vehementer gratiam, & erga Juvenem officiosam, & erga Deum piam, postremo tuis commoditatibus non inutilem: est enim Juvenis mediocri Doctrina, scribendi artifex egregius, moribus & fide integerrima: id quod ipse facile competes, & ipse meo periculo non dubitem affirmare. Vale. De Libris communicatis habeo gratiam, referet autem is qui Pietatis officia multo cum fœnore solet remetiri, Deus. Ex arce Courtemburnensi, Anno M. D.

### ERASMUS EDMUNDO

ut Fratri dilecto s. d.

**C**ertior per te fieri cupio, num jam redierit noster Gardianus, aut quam mox expectetur adfuturus. Adrianum orabis meis verbis, ut de Libris suis patienter agat: nam post paucos dies alio me conferam, sed non prius quam Codices multa cum gratia restituero. Mirum quam mihi gratuler, qui hunc laborem suscepserim: confido enim me posthac toto pectore in arcans Literis libenter versaturum. Meus Franciscus intra dies ferme octo in Patriam reddit: quare Ludovicus recte fecerit, si paginas, si quas habet de Laurentio, miserit: de mereede nulla fuerit contatio. Præterea de Tabellione ecquid cognorit, ut sciam, faciat: tuin de sudario quod perierat, quid egerit. Exemplar Precationum mearum, si desit uti, jube remittat. Vos omnes iamdudum expecto, sed frustra.

stra. Cum primis pio, mihique plurimis nominibus observando Viro Adriano salutem meis verbis annuncias. Ipse recte valebis, ac nos tui amantissimos vicissim amabis, nosque pro mutua charitate, mutuis apud Deum precibus adjuvemus. Ex Arce in qua diversor, raptim, Anno M. D.

ERASMUS ROTERODAMUS R. P.  
HENRICO à BERGIS, Episcopo  
Gameracensi, s. d.

Cum Hominis conjunctissimi dignum immortalitate ingenium, quam celebratissimum efficere cuperem, Ornatisime Præsul, id ita demum fore existimavi, si celeberrimi tui nominis titulus Operi novo velut fax quædam præluceret: non quod hoc muneris tuæ Præstantiæ aut aptum, aut magnopere dignum iudicasse, verum ut novo Autori tuis e laudibus nonnihil tum gratiæ, tum autoritatis accederet: id quod mihi abunde videor assequitus. Tanto enim ardore meus Gulielmus ab universis hujus Academiæ alumnis legitur, rapiatur, tenetur, ut dictu prope sit incredibile: iam passim in publicis Auditoriis, in Collegiis Gulielmi mei nomen perfrepit. Hoc munere si te nihil offendit sensero, sat pulchre procedo: sin gratiam etiam in eo, plane triumpho; donamus enim aliena, nihil enim ipsi excudere potuimus, Theologiæ Studiis occupati, & Hieronymi monita sequuti discimus quod doceamus.

Brevi tamen aliquam Studiorum nostrorum fru-  
gem expecta, quam tuo nomini propriam facie-  
mus. Me morbus prorsus exhaustit, & cutis &  
loculi laxissimi sunt: illa carne, hi numinis sarcien-  
di: tu pro tua consuetudine facito, ac bene vale.  
Parisiis, Anno M. CCCC. XCVIII.

ERASM. ROTERODAMUS CHRISTIANO,  
qui Opera Augustini scripsérat  
fucatius.

**S**alveto quantum voles. Ita me Deus amet!  
haut expectaram abs te tantum elegantia, vel potius eloquentia: nam elegantem futurum facile prospexi. Quare tuæ literæ voluptati mihi inprimis fuerunt. Proinde te hortor, ut isto cursu pergas, propediem tui Praeceptoris simillimus evasurus, sed genus aliquod dicendi, tanquam signum tibi proponas, censeo, ne varia suique dissimilis nascatur oratio. Id autem genus potissimum eligendum, ad quod te potissimum Natura composuit: de te conjecturam sumere licet. Videris ad Timonis proprius quam ad Ciceronis formam accedere: equidem malim Ciceronis Atticum erat præstantissimum. Ab Asiatico longe abes. Rhodium nihil est quod petas. Punicum referre videris, vel Allobrogicum potius: quod quidem longe temperatissimum esse constat, videlicet ex Arabico & Iberico medio mixtum, Caleno interim rubetam dissimulante. Verum inepte hæc te doceo sus, cum tibi Minerva sit domi. Verum is, ut est nova quadam humanitate,

tate, dabit veniam, si meam falcem in ipsius messem misero: mittam enim saepius. Non displicet istud discendi genus, ut ille materiam, tu verba ministres. Idem olim Crassus factitavit Orator haud vulgaris, sed hic ex priscis. Vidi ipse corniculam Horatianam, cuius te similem esse nolim. Eris autem, si Praeceptoris quam simillimus esse studueris. Quod me amas, nihil scribis novi: sciebam enim antea. De nostro certamine, Christiane, nihil est quod labores: tu tanti es, nisi mihi Augustinus mentitus est, quod non solet. Bene vale cum tuo Dædalo. Lutetiae, Anno M. CCCC. XCIII.

### ERASMUS GAGUINO.

**C**ereales & Anabafii qui sunt apud Hieronymum in Ruffinum, non satis intelligo. De Cerealibus somnio, nescio quid. Utroque verbo Vestigatores quoquoversus dimissi significari videntur: tu me doceas velim. Dialectica Laurentii jampridem desidero: quæ si tibi sunt, obsecro commodes: sin minus, commones a quo mihi sunt petenda. Bene vale. Anno M. CCCC. XCIII.

### GAGUINUS ERASMO.

**N**ec Cerealium, nec Anabasiorum permittit me acerbissimus morbus meminisse, tam sum doloris impatiens. Dialecticen tibi demitto, quam remitti aliquando provideas cum

Oratiunculis, quas a me habes. Vale melius Roberto tuo. Anno M. CCCC. XCVIII.

ERASMUS EVANGELISTÆ

*s. d.*

**V**erbum illud, accensos, quod nos offendebat, apud Vegetum reperi, cuius hæc sunt verba: Ad obsequia tamen Judicium vel Tribunorum, nec non etiam Principalium deputabantur milites, qui vocabantur accensi: hoc est, postea additi, quum fuisset electio completa, quos supernumerarios vocant: Hæc ille. Manifestissimum igitur est, accensos ab accensendo dictos, hoc enim communicatum volui. Vale. Anno M. CCCC. XCVII.

ERASMUS ROBERTO PISCATORI.

**V**ide quam sit avidum & querulus Fœminarum genus. Nudiustertius Puer meus ab Hospite nostra veteri plurimum retulit querelarum. De nostrum utroque nescio quid Maritus murmurabat. Mater ne Normana plane non esset, querebatur se pro laboribus, quos mea causa cepisset, nihil gratiæ recepisse. Filia, te permaligne solvisse ajebat, & pristinæ tuæ consuetudinis oblitum fuisse. Ego decuplo beneficium emo: redimo enim cumulatissima mercede officium, & nihilominus beneficium debedo. Hos Mulierum mores cum mecum reputo, tum gaudeo me in hoc vitæ genus incidisse: si casu, feliciter: sin judicio, sapienter.

Ha-

Habes jejunam Epistolam, argumentum mihi je-  
juna illa Mulier ministravit. Tu si bona valetudi-  
ne fueris, gaudemus: nos optamus quidem, ino-  
jam speramus: cepit enim Morbus paulatim re-  
mitti. Lutetiae, Anno M. CCCC. XCVIII.

ERAS. ROT. THOMÆ GREIO

s. d.

**S**i quid unquam tibi gratum aut feci, aut volui,  
quæso, ut hoc mihi gratiæ referre non grave-  
ris. Huic Juyeni, quas ad te literas scripsi, tra-  
dito, ubi meis vehementer efflagitantibus Copiam  
fecero, remittam. Bene vale. An. M. CCCC. XCVIII.

ERASMUS THOMÆ GREIO

s. d.

**T**ametsi essem occupatior Suavissime Tho-  
ma, tamen ut intelligeres, quoties ad te  
scribendum erit, nullam prorsus excusationem  
me mihi permissurum esse, vel interpellantibus  
negotiis tecum per literas loqui libuit. Cave  
posthac a me expectes, ut in singulis Epistolis,  
vel meam in te benevolentiam testificer, vel in-  
genium tuum prædicem. Semel hoc tibi per-  
suasum velim, tuo isto in me animo tam pro-  
penso, tam candido, tam modesto, tam ardenti,  
tam amico non esse mihi neque charius quic-  
quam, neque jucundius: meque plane sic affe-  
ctum esse, ut tam dulce bonum nolim vel cum  
universis Arabum opibus commutare. Porro de  
meo vicissim in te amore, hoc perinde ut Apol-  
linis oraculum accipias velim, dum tu & Virtu-

R 5

tem

tem & Bonas Literas (id quod facis) amplecti  
perges, nulla Consuetudinis intermissio, nullus  
casus huic in te animum mutabit. Solidus enim  
Amor a Virtute profectus tam finem nescit, quam  
Virtus ipsa. Eternum quos cupiditas Amicos facit,  
necessere est ut idem amoris lucisque sit finis.  
Quos vero voluptas ad amandum allicit, ibi finem  
amandi faciunt, ubi satietas subierit. Qui deni-  
que puerili impetu animorum sese Benevolentia  
prosequuntur, pari levitate ab Amicitia desciscunt,  
qua accesserant. Nostra Necessitudo longe me-  
lioribus initiis profecta, non paulo solidioribus  
columnis innititur: quippe quos non commodi  
ratio, non voluptas, non juvenilis affectus, sed  
honestus Literarum & communium Studiorum  
anor copulavit. Est enim inter Bonos Studiosos-  
que Viros vel publica quædam, sed constantissima  
Necessitudo, e similium rerum admiratione con-  
flata. Et quoniam Virtutis Studium nec sanitatem  
novit, nec casibus fortuitis subjacet, non potest  
Bonorum Benevolentia non esse perpetua. Hoc  
igitur Amoris genere cum simus juncti, vereri  
non debes, ne quid in nostram Amicitiam inci-  
dat, qualia vulgaribus Amicis multa passum eve-  
nire videmus. Quanto tu Innocentiae & Litera-  
rum eris amantior, tanto mihi charior es futurus.  
Equidem abunde magnum Amoris in te mei fru-  
ctum tulisse videbor, si præclaram Virtutis indo-  
lem, quam in te primus animadverti, mea opera  
ad frugem pervenisse video. Ad quod ut mani-  
bus pedibusque enitaris, te mi Thoma etiam at-  
que

que etiam hortor. Id facies si optimos quosque  
 Autores tibi legendos propones, lascivos & ob-  
 scenos non secus ac pestem quandam fugeris, præ-  
 fertim ista adhuc ætate, quæ sua sponte lubrica,  
 non tam ad recta capienda propensa, quam ad ne-  
 quitiam proclivis est. Quorsum autem attinet  
 istos cum Morum detimento legere, cum neu-  
 tiquam defint qui doctrina non paulo plus pro-  
 fint, obscenitate nihil noceant? In quorum nume-  
 ro Virgilium in primis leges, Lucanum, Cicero-  
 nem, Laetantium, Hieronymum, Salustium, Ti-  
 tum Livium. Invitus finem facio, ita mihi videor,  
 dum hæc scribo, jucunde tecum fabulari. Et vide  
 quæso, quantulum id sit, quod de nostra Familia-  
 ritate corporum dis junctio detraxit. Animo te  
 video, literis colloquor, fortasse etiam jucundius  
 quam lingua. Quare gaude ac vale. Ne literarum  
 novum colorem diutius mireris, Amantium san-  
 guine scriptas esse noveris. Atramenti penuria, mo-  
 ri succo scripsimus. Parisiis, An. M. CCCC. XCVII.

ERAS. ROT. ANTONIO LUTZENBURGO

S. D.

**A**ntea, mi Jucundissime Antoni, te tantum  
 ut hominem Humanissimum, & optime  
 de me meritum amabam, nunc etiam ut Litera-  
 tum amplector, id quod ego nunc demum tuis  
 e literis cognovi. Cave me putas assentari, ma-  
 jorem in modum delectavit stilus ille simplex &  
 naturalis: verba non adscita, sed una cum ipsis  
 sententiis cohærentia: sensus sani ac solidi, ni-  
 hil

hil neque in verbis, neque in sententiis aut portentosum, aut distortum, aut coactum, aut immunitum denique, aut redundans. De Disma, sic habe, extat & apud Varronem & apud Gellium pervetustum Adagium hujusmodi, Malum consilium consultori pessimum.: at ego confido hoc optimo consilio nos omnes gavifuros, in primis Humanissimum Abbatem Patronum, si pateris, mihi tecum communem, qui charissimo Adolescenti pulcherrime consuluit: me, qui bene monuerim; te, qui fidelem & amicam navaris operam; Dismain ipsum, qui jam nunc mihi gratias agit maximas; denique & Tutorem, qui tandem nactus est, cui libenter literas suas communicet, & apud quem industriam suam bene collocet. Est is, inibi crede, unus omnium quos adspicit Sol, integerrimus Vir, & candidissimus. Purgabis me Abbat, quod tam incomposite scripserim. Battum excita ut Battus sit, nunquam enim fuerit opportunius. Bene vale mi Antoni. Lutetiae, septimo Calend. Apriles, Anno M. CCCC. XCIIIX.

ERASMUS ROTERODAMUS ANTONIO  
LUTZENBURGO

s. d.

**A**ccepi simul & Abbatis munus, & a Battō missam pecuniolam: qua de re si nunc parum accurate gratias ago, ne putas id inde esse, quod parum hoc munere sim latus, sed erat negotii quiddam, & valetudo admodum agitata.

Cæ-

Cæterum quantum & te, & Abbatem de hoc dono pro meis meritis, quæ nulla sunt, deamem, brevi declarabo. Valebis, & tui similis mi Antoni esse perges. Anno M. CCCC. XCIX.

ERASMUS ROTERODAMUS BATTO  
Suo s. d.

**D**e Morbo tuo spero equidem Ψευδόλογον esse, metto tamen non nihil, ut sunt res Mortalium. Nostra causa nihil est quod te angas Anime mi, nostra Charitas ut non cœpit a commodis initium, ita his sublatis non evanescet: quod autem Sors fert citra nostram culpam, id æquo atque adeo magno animo feren- dum. Utinam valetudo tantum nobis prospira contingat a Superis, cætera ipsi perrumpe- mus: sed ea mi Batte jam nunc vacillat admo- dum. Illa quæ se negavit olim mihi fœminam fore, cur nunc etiam plus sit quam fœmina, ve- hementer admiror: sed durum telum necessitas, quare iussitanda res, & tempori serviendum. De D. P. semper mihi male præsagiit animus, sed hæc ab exitu spectabuntur. Defino jam mi Batte de mea Fortuna queri, quando sperare de- sii: hoc unum piudet, rem tam late manasse, non sine multorum (ut opinor) invidia. Tu mi Anime, facito te confirmes, tibique quamprimum consulas. Vides enim rerum Aulicarum qui sint æstus. Annotationes scripsi in Officia Ciceronis: hæ propediem excludentur. Dica- turus eram Adolpho, sed nihil video causæ. Lu- do-

dovico meis verbis dices, gratissimum mihi facturum, si quæ sunt apud te Epistolæ, diligenter perscripserit. Vale optime ac suavissime mi Batte. Lutetiæ, Nonis Aprilibus, Anno M. CCCC. XCVIII.

### ERASMUS ROTEROD. BENSERADO

Suo s. d.

**S**cripsimus heri de rebus omnibus Humanissime Doctissimeque Benserade, sed quoniam alter datur Tabellio, rei summa modo repeatam. Ex Hollandia reversus apud Battum totus in Literis vivo, maxime Græcanicis. Misimus ad te Euripidem & Isocratem, missuri plura, sed metus erat, ne Pests istinc te jam aliquo propulisset. Si quid est novæ Græcanitatis, vestem citius oppigneraverimus, quam non potiamur: maxime, si qua Christiana, ut Ψαλμοι, ut Evangelia. Opes meas apud te depositas, tibi commendo. Scripsimus & Augustino, de quo quid sit, cupio discere: nihil enim adhuc inaudivimus. Utinam mi Benserade nostras Musas liceret conjungere, sed hac de re aliisque omnibus scribes copiose. Summam tuam in me Humanitatem Optime Nicolae, neque apud me patiar intercidere, neque dissimulabo. Enitar pro viribus, ut si grati nomen non possim assequi, saltem ingrati Hominis notam videar effugisse. Vale. Salutat te ex animo Battus, toto pectore tuus. Ex arce Tornehensi, 15. Calend. Augusti, Anno M. CCCC. XCIX.

ERAS.

## ERAS. ROT. NICOLAO BENSERADO

S. D.

Frequentes huc certissimumque rumores quotidie adferuntur. Pestilentiam istic maiorem in modum debacchari nihilque reliqui facere. Quare quod metuebam, ne tu jam aliquo profugissem, non putavi vel pluribus scriendum, vel plura mittenda, ne scilicet multum periret operæ, si tu absuisses. Rerum autem modo summa attingam capita. Hic primus datus est B. per quem scribereimus. Euripidem & Isocratem ad te mittimus, parantur alia, quæ posthac ad te ibunt. De Miloniana Defensione dabitimus operam, ut tuæ satisfiat voluntati, simulatque Orationem & Libros ad id necessarios erimus nacti. Si quid istic rerum est natum, quod me scire judicabis oportere, fac ut sciam. Augustino, si jam reversus es, has, quas tuis conjunxi, reddes. Nugas meas quas apud te deposui, tibi etiam atque etiam commendo. De nostra Conjunctione si quid excogitasti, habebis me ad istud facillimum. Intelligis, opinor, quid dicam: id quantopere cupiam Humanissime Nicolae, vix tibi persuaserò. Sed ut sperare vix audeo, ita suadere nequaquam. Illud me cruciat, animum istum tuum tam niveum, tam philosophicum, nunc vix denique mihi perspectum esse: de quo tametsi nos nunquam non optime & sensimus, & prædicavimus, tamen nescio quo modo id accidit, vel nostra utriusque modestia pene nimia, vel aliorum opera, ut intumam Familiaritatem

Ben.

Benseradi non sim mihi ausus polliceri: & quam  
esse soleo in colendis Amicis pertinax, tam suum  
in adsciscendis verecundus. Si quid novæ Græca-  
nitatis istuc adiectum est, onera & hunc Homi-  
nem sarcina, & me beneficio. Neque metuas  
Nicolae, ne tuis in me meritis paruum responde-  
am: crede mihi, non defatigabor neque conqui-  
escam, donec pro viribus æs omne dissolvero.  
Quum æs dico, non eos modo nummulos dico  
quos mutui nomine abs te accepi: nullo enim  
leviore nomine me tibi puto adstrictum: sed multo  
magis tuum istum in me animum, summaque offi-  
cia, quorum apud me nunquam est intermoritura  
memoria. Hæc mi B. boni consules in præsentia,  
ubi certum cognovero te istic agere, curabo ut  
subinde aliquod Studiorum meorum Monumen-  
tum ad te proficiscatur. Epistolam ad Jacobum  
Tutorem scriptam, velim per certum Hominem  
cures Aureliam perferendam. Bene vale. Ex  
Arce Tornensi, Anno M. CCCC. XCVIII.

ERASMUS ROTERODAMUS  
JOANNI, Canonico Bruxellano,

s. D.

**P**er Fortunas obsecro te mi Candidissime  
Joannes, purga me Humanissimo Hospiti,  
Patronoque meo Vicario, quod Libellus Pueri  
oblivione istic relictus est. Ita me ament Superi!  
ut nihil jam multis annis accidit, quod æque do-  
luerim. Si quid habes novarum rerum vel de  
Augustino, vel de Benferado, vel de Episcopo  
Patrono

Patrono meo, vel de Ludovicō denique, qui istas in Regiones est emandatus, ut me accerferet: per nostram Amicitiam te etiam atque etiam oro, facito me tuis literis certiorem. Erit istud inter plurima tua in me officia non ingratissimum. Tabellionem habes ex Antonii Nothi Familiaribus certissimum, cui quicquid volles, rectissime commiseris. Veriæ offendit res omnes eo loco, quo tu prædixeras: Domina forte fortuna in via facta obvia, dextram porrexit, vultu non inimico. Cæterum a quibusdam non male cupientibus, ut arbitror, deterritus, a colloquio abstinui. Puer meus Dordraci febri arreptus est, & quidem tertiana. Ea res me maiorem in modum sollicitum habuit, ita ut ejus gratia Zierczee navigarem. Illic enim Matrem habet. Valemus adhuc, præterea nihil est, quod Fortunæ gratulemur. Valet Battus, & te salutat oppido: amat is quemcunque Erasmus amarit. Cura ut quam optime valeas Humanissime mi Joannes, & Amiculum, vel potius Clientulum addictissimum Erasmum tueri amareque pergit. Ex Arce Torneheensi tumultuans ad multam noctem, 4. Idus Julias, Anno M. CCCC. XCIX.

## ERASMUS BATTO s. d.

Epistola jocosa.

**N**ihil opus ut te gaudere jubeam, cum jam dudum te abunde gaudere sciam, qui quidem me molestam sarcinam humeris tuis

excusseris. Adrianus etiamnum ad se invitat. Gardianus palam suadet, ut apud Abbatem potius verser, si commode queam: Medicus contra, ut apud Adrianum. Uterque facit opinor, quod canes solent, qui socium in culina nullum amant. De Gardiano, an per omnia sincerus futurus sit, subhæsito. Nam subarrogantem esse sentio. Neque de Adriano unquam verbum apud te fecit, cum per illum res hæc potius confici debuerit. Nos quicunque erit exitus magno animo excipiemus. Tu cura ut valeas mi Batte. Mitte ut primum commoditas dabitur, nostra omnia, nostrosque Dialogos omnes, si libeat forte perficere. Ludovico insta, ut quantum potest omnes meas Epistolas transscribat. Vale. Non remoror Ludovicum dehortante Medico, ne magis in me murinurent isti Cuculati. Audomari, M. CCCC. XCIX.

## ERASMUS BATTO Suo

S. D.

**P**er quem mihi meas Lucubrationes miseras, per hunc ego tibi Laurentii partem una meis cum literis remisi. Tabellioni ita ut jusseras, octo denarios dedi: præterea nihil erat quod scriberem novi. Evenit mihi quod vulgo solet, ut vulnus illud in Anglia acceptum, nunc demum dolere incipiat, posteaquam inventavit: & hoc magis dolet, quod cum indignissima sit conjunctum contumelia, nulla tamen a me Talio referri potest. Quid enim ego aut

aut cum Anglia universa dimicem, aut cum Rege? nihil illa commeruit. Et in eum scribere, qui possit non solum proscribere, verum etiam occidere, dementiæ extremæ puto. Quare hac in re cum Themistocle obliviscendi artem opto. Sum quidem totus in Literis, & Adagiorum priscorum Collectanea meditor conscribere, tumultuario quidem Opere. Video Chiliades aliquot futuras, verum duas duntaxat, aut tres ad summum Centurias emittere est animus. Eas tuo Adolpho dicabo. Miror te per hunc Francisci Fratrem nihil scripsisse. Vide ut sarcinam diligenter meam exceptes: nam Galba ille, ut scis, harpyja est: exceptam diligenter ad me mittas. Est in ea Tunica, partim nigro, partim subnigro suffulta; est Chlamys abs te empta; est Cagliarum violaceo colore par; est Augustini Enchiridion membranis scriptum; sunt Pauli Epistolæ; sunt alia nescio quæ. Græcæ Literæ animum meum propemodum enecant: verum neque pretium datur, neque suppetit, quo Libros, aut Præceptoris operam redimam. Et dum hæc omnia tumultuor, vix est unde vitam sustineam: hoc Literis nostris debemus. Bene vale Batte Charissime. Quaso te ne quid nostræ querelæ moveant: libuit enim, ut soleo, apud te animi curas effundere: cæterum animum non temere abjicieimus, & juxta vetus Adagium: dum spirabimus, sperabimus. Lutetiae, M. CCC. XCIX.

## ERASMUS CHRISTIANO LUBECENSI

S. D.

**C**um te incredibili quodam ardore Literarum flagrare minime dubitarem Christiane non vulgaris Amice, hortatore nihil opus esse putavi, sed ejus quam ingressus essem, viæ Duce modo ac tanquam Indice, id quod mei officii esse judicavi, videlicet ut tibi Homini non modo copulatissimo, verum etiam jucundissimo, vestigia quibus ipse a puero essem ingressus commonistrarem. Quæ si tu pari cura accipies, atque ego dicturus sum, futurum confido, ut neque me monuisse, neque te paruisse penituerit. Prima igitur cura sit, ut Præceptorem tibi deligas quam eruditissimum. Neque enim fieri potest, ut is recte quenquam erudiat, qui sit ipse ineruditus: quem simulatque natus eris, fac omnibus modis efficias, ut ille Patris in te, tu Filii vicissim in illum induas affectum. Ad quod quidem cum ipsa honesti ratios debet adhortari (quod non minus debeamus his, a quibus recte vivendi rationem, quam a quibus vivendi initia sumpsimus:) tum mutua ista Benevolentia tantum ad discendum habet momenti, ut frustra sis Literarum Præceptorem habiturus, nisi habueris & Amicum. Deinde ut te illi & attentum & assiduum præbeas. Contentione enim immodica nonnunquam obruuntur ingenia dissentium. Assiduitas vero & mediocritate sua perdurat, & quotidiani

dianis incrementis majorem opinione acervum  
accumulat. Satietate cum omnibus in rebus  
tum in Literis nihil periculosius. Laxanda est  
igitur aliquoties illa Literarum contentio. In-  
termiscendi Lusus sed liberales, sed Literis di-  
gni, & ab iis non nimis abhorrentes, imo mediis  
ipsis Studiis perpetua quædam voluptas est in-  
termiscenda, ut ludum potius discendi quam  
laborem existimemus. Nihil enim perdiu ferri  
potest, quod non agentem aliqua voluptate re-  
moretur. Optima quæque statim ac primum  
discere. Extremæ est dementiæ discere dedicen-  
da. Quod in curando stomacho solent præci-  
pere medici, idem tibi in ingenii servandum  
puta. Cave aut noxio aut immodicò cibo inge-  
nium obruas: utroque enim juxta offenditur.  
Ebrardon, Catholicorum, Brachylogum cæte-  
rosque id genus, quos percensere neque possum,  
neque operæ pretium est, iis relinquimus, quos  
Barbariem immenso labore discere juvat. Ini-  
tio non quam multa, sed quam bona percipias  
refert. Sed jam rationem accipe, qua possis non  
solum rectius, sed etiam facilius discere. Hoc  
enim in Homine artifice præstare solet Artis ra-  
tio, ut tantundem operis, cum rectius expedi-  
tiusque, tum levius etiam efficiat. Diem tan-  
quam in operas partire, id quod & a Plinio Se-  
cundo, & a Pio Pontifice Maximo, Viris omni  
memoria Præstantissimis, factitatum legimus.  
Principio, quod caput est, Præceptorem interpre-  
tantem non attentus modo, sed & avidus auscul-

tato: non contentus impigre sequi differentem, aliquoties prævolare contendit. Omnia illius dicta memoriæ, præcipua etiam literis mandabis, fidelissimis vocum custodibus: quibus rursum ita confidas cave, ut dives ille ridiculus apud Senecam, qui sic animum induxerat, ut se tenere crederet, quicquid Servorum quisquam meminisset. Noli committere ut Codices habeas eruditos, ipse ineruditus. Audita ne effluant, aut apud te, aut cum aliis retracta. Nec his contentus, aliquam temporis partem tacitæ cogitationi tribuere memento, quam unam divus Aurelius tum ingenio, tum memoriæ in primis conducere scripsit. Conflictatio quoque & tanquam palæstra Ingéniorum nervos animi præcipue tum ostendit, tum excitat, tum adauget. Nec sciscitari si quid dubitas, nec castigari si quid errabis, sit pudor. Nocturnas Lucubrationes atque intempestiva Studia fugito: nam & ingenium extinguunt & valetudinem vehementer offendunt. Aurora Musis amica est, apta Studiis. Pransus aut lude aut deambula, aut hilaris confabulare. Quid quod inter ista quoque Studiis locus esse potest? Cibi non quantum libidini, sed quantum valetudini satis sit, sumito. Sub cœnam paulisper inambula: cœnatus idem facito. Sub somnum exquisiti quippiam ac dignum memoria legito, de eo cogitantem sopor opprimat, id expperrectus a teipso reposcas. Plinianum illud semper animo infideat tuo: omne perire tempus quod Studio non impartias. Cogita Juventa nihil esse fugacius,

gacius, quæ ubi avolarit semel, redit nunquam.  
Sed jam Hortator esse incipio Indicem pollicitus.  
Tu Suavissime Christiane hanc Formam, aut si  
quam poteris meliorem, sequere, ac bene vale.  
Lutetiæ, Anno M. CCCC. XCIX.

ERARDO A MARCA, EPISCOPO  
Leodiensi, Erasmus S.

**R**everende Præful, mitto Celsitudini Tuæ  
qualecunque animi in te mei Documentum,  
Paraphrasin in duas Epistolas ad Corinthios.  
Opus modis omnibus novum est, si non  
meretur alio titulo commendari. Certamen erat  
inter Typographum ac me, utrum ille plus ex-  
cuderet singulis diebus suis formulis, an ego  
meo calamo describerem. Opinor opus victu-  
rum, vel invitis Misoglotis. Tu pro tua Hu-  
manitate boni consules. Qui Codicem reddit,  
Juvenis est eruditus ingeniique candidissimi, ab  
Actis Oppidi Antverpiensis, melior animæ meæ  
pars: hunc quaeso, pro tua Humanitate com-  
plete: Ac bene vale. Lovanii, undecimo Ca-  
lendas Martias, Anno M. D. XIX.

ERASMUS ROTERODAMUS COLLEGIO  
Canonicorum Metensium.

S.

**O**rnatissimi Patres ac Domini, ut quisque  
venatur quod amat, nonnullorum prædi-  
catione didici apud vos esse Bibliothecam non  
vulgaribus sed eximiis ac venerandæ Vetusfa-

S 4

tis

tis Codicibus differtam. Et quoniam ex Evangelica Lege jubemur suum quisque Talentum sic in usum publicum conferre, ut usuram approbet, qui sortem credidit, ego Studium meum ad hoc appuli, ut vetustissimos Autores aut in lucem eruam, & a blattis tineisque vindicem, aut depravatos emendem. Etenim ut gravis est jactura nobis interire, quod tantis vigiliis summi Viri prodiderunt: ita non extare videtur, quod extat, sic mendis undique conspurcatum ut nec legi possit, nec intelligi. Nec dubito quin vestra quoque Pietas publicæ faveat utilitati, nihilque minus probet, quam canem illum præsepi incubantem, de quo est in Græcorum Proverbiis; præsertim cum ita liceat istam utilitatem aliis communem facere, ut vobis nihil deteratur. Proinde vos oro ne gravemini Bibliothecæ vestræ Indicem ad nos mittere, potissimum eos Libros recensenteim, qui vulgo non habentur, aut habentur depravati, id quod usu venit in omnibus prope vetustioribus. Ex eo deligam, quos existimem maxime profuturos. Hac in re si nostros conatus vestra Pietas adjuvabit, prium rem faciet Christo gratissimam, deinde splendifissimo Collegio vestro cumprimis gloriosam. Neque enim committemus, ut vestrum officium ignoret Posteritas. Incolumes servet vos omnes Christus Optimus Maximus, Domini in Christo plurimum observandi. Lovanii, pridie Idus Julias, Anno M. D. XIX.

ERASMUS ROTERODAMUS  
LUDOVICO VIVETI

S. D.

**A**propterea Illustrissimum Ferdinandum in medio colloquio Episcopus Leodiensis expostulavit mecum, quod a Cardinali Crojo non retulerim responsum. Vix occurrebat, quo me purgarem. Nam suspicor eam Epistolam illi non fuisse redditam. Ego in culpa, qui eam ipse non reddiderim. Literæ quas tu mihi redidisti, plane fuerant resignatae. Quo sæpius colloqui datur cum Illustrissimo Ferdinando, hoc milii Indoles illius magis ac magis arridet. O utinam hæc Regio sub tali Principe centum annos florere possit! Nunc ut appareat, relegatur in Germaniam, cuius lenta consilia nobis magno constabunt. Sed hæc Fatis relinquamus. Admone tuum Patronum, si quid lubeat rescribere Präfuli Leodiensi, quem opinor hic ad quatriduum commoraturum. Bene vale. Mechliniæ, Natali divæ Gertrudis, Anno M. D. XIX.

ERASMUS ROTERODAMUS  
THOMÆ LINACRO

S. D.

**L**utetiam pervenimus, cætera quidem incolumes, verum navigatione quatriduana molestum quoddam malum contraximus collecto frigore, quod etiam nunc synciput meum male discruciat. Tuument utrinque sub auribus glandes, palpitant tempora, tinniunt aures am-

bæ. Atque interim nullus adest Linacer, qui me arte sua liberet. Tanti jam nunc constitit nobis συνθήκη ιταλική. Nam mihi nihil unquam æque fuerat decretum in vita, quam ne quando fluctibus, & ventis me committerem, ubi terra pateret iter. Galliis reviximus, nam hic constans perpetuaque Fama dissiparat Erasimum ad Superos abiisse. Eum rumorem auguror e Milonis illius Galli morte per errorem natum fuisse: siquidem & ille e Gallia profectus, in Montjoii familiam concesserat, paucisque post diebus Pestilentia correptus, interiit. Huic autem errori, nam omine nihil moveor, illud certe debeo, quod jam nunc vivus prægustarim, quid sint superstites dicturi de mortuo. Sic mihi arridet reverso Gallia, ut dubium sit, utrum magis animo meo blandiatur Britannia, quæ tot talesque mihi pepererit Amicos, an Gallia, veteri familiaritate, tum libertate, postremo propenso quodam in me favore ac studio, dulcissima. Quo fit ut duplici quadam voluptate perfundar, dum pariter juvat, & Britannicæ Consuetudinis meminisse, præsertim quam brevi sperem mihi repetendam, & Gallicos Amicos revisere. Non possis non ridere, si scias quam avide meus Græculus δῶρον illud a me pro calamis Cypriis promissum expectarit, quoties δῶρος meminerit, quoties incusarit, quod non mitteretur. Juvat profecto sic corvum delusisse hiantem. At homo stupidus non animadvertisit me scripsisse ad hunc modum, πέμψον δῶρόν τι ἀξιόν

στ, id est, rem malam. Provinciam suscepit  
de Baptista Liberis instituendis spero feliciter  
cessuram. Video enim Pueros bene ingeniosos,  
modestos, tractabiles, & qui jam nunc plusquam  
pro sua aetate sapient. Clystone illo eorum Cur-  
ratore nihil candidius, nihil amantius, nihil of-  
ficiosius. Vale Doctissime atque Humanissime Prae-  
ceptor, & crebrius ad nos scribe, vel paucis, mo-  
do scribas. Lutetiæ, Anno M. D. VI.

ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ  
LINACRO Medico Regio

S. D.

**T**ametsi novum non erat, tamen gratissi-  
mum fuit, quod ex Mori literis cognovi  
te tam amice nobis favere, licet immergeantibus.  
Novum Testamentum adeo placet ubique Do-  
ctis, etiam ex Ordine Theologorum, ut Indocti  
pudore obticeant. Febricula subito oborta  
fuit in causa, quo minus me navigationi com-  
miserim, praesertim dissuadente Medico Gis-  
berto. Majorem in modum te rogo, ut pharma-  
cum, quod cum proxime essem Londini, sum-  
psi te Autore, denuo descriptum mihi transmit-  
tas: nam Puer schedulam apud Pharmacopœ-  
lam reliquit. Erit id mihi longe gratissimum.  
Cætera ex Moro cognosces. Bene vale. Ex divo  
Audiomaro, nonis Junii, Anno M. D. XIV.

**C**rocus regnat in Academia Lipsiensi, pu-  
blicitus Græcas docens Literas. Utinam  
prodirent tuæ Lucubrationes, fidem omnibus  
facturæ

facturæ meæ prædicationis, qua nusquam non utor, vel quod ita res habet, vel quo magis nostros ad Studium inflammem. Si quid erit hujus negotii, in quo tibi queam gratificari, senties Hominem ad obsequendum promptissimum. Rursum vale. Grocino facito me commendatum, quem adeo non odi, ita me Deus amet! ut ex animo venerer etiam ac suspiciam. Rursum vale. Anno M. D. XIV.

ERASMUS ROTERODAMUS  
COLETO Suo s. d.

**I**am nunc subodoror Genus hoc Hominum, de quo memineras: qua de re plura coram. Quum proxime essem Londini, non adii te, ne quid tibi molestus essem: nam erat statim a prandio equitandum. Petrus unoculus, casu mihi factus obvius, indicavit te proximis literis meis respondisse, verum eas nondum accepi. Nisi me deterreret Pestilentia, sub Decembrem me ad vos reciperem, præfertim si redeat Montjoius, ut liceat mihi domo illius uti, quod nunc per Cerberum illum non licet. Bene vale Præceptor unice. Cantabr. tertio Nonas Octobr. Anno M. D. XI.

ERASMUS COLETO Suo  
s. d.

**S**i tibi risum movere possunt nostra Infortunia mi Colete, est quod abunde rideas. Nam præter ea quæ jam Londini contigerant, equus Ministri mire claudicabat, mutarat enim Auriga

Auriga eum, quem Bovillus miserat: deinde toto itinere nihil erat quod ederetur. Postero die, perpetua pluvia usque ad prandium: a prandio fulgara, tonitrua, imbres, equus ter collapsus in caput. Bovillus consultis astris, ait sedeprehendisse, Jovem nonnihil iratum. Hoc mihi jam nunc placet, video vestigia Christianæ paupertatis. Quæstum usque adeo non spero, ut intelligam h̄ic demum effundendum mihi quicquid a Mæcenatibus queam avellere. Est h̄ic Medicus nostras, qui præsidio Quintæ Essentia prodigiosa designat facinora, e Senibus Juvenes, e mortuis vivos facit: unde nonnulla spes est futurum, ut rejuvenescam, si modo liceat Quintam Essentiam degustare: quod si continget, non omnino pœnitibit huc advenisse. De quæstu nihil video, quid enim auferam a nudis Homo nec improbus, & Mercurio irato natus? Bene vale Præceptor Optime. Ubi cœperimus profiteri, significabo quo pacto res succedat, ut magis etiam rideas. Cantabrigiæ Collegio Reginæ, Natali divi Bartholomæi. Audebo fortassis & Paulum tuum aggredi. Audaciam Erasmi tui specta. Rursum vale. Anno M. D. XI.

ERASMUS ROTERODAMUS  
THOMÆ HALSEYO s. d.

Tandem expugnavimus omni machinarum genere & ego & Bernardus. Montjoius resolvit triginta Ducatos. Si Præful Rofensis in tempore cognovisset animum meum, & ego

ego illius, fortassis jam isthic adessem. Aut egregie fallor, aut is Vir est unus, cum quo nemo sit hac tempestate conferendus, vel Integritate vitae, vel Eruditione, vel animi Magnitudine: unum excipio Cantuariensem tanquam Achillem: qui solus hic me retinet, etiam si non admodum volentem. Saluta Pacem nostrum, & ingenii mei fœtus illi commendam, ne pereant. Scripsi jam senas literas, nullæ adhuc ad me venerunt, præter unas Paecæi, & eas quidem apertas, & sero. Saluta Humanissimum illum Oratorem Pannoniorum (nam adesse suspicor) Joannem Polonum Collegatum, ac reliquos Amicos. Bene vale. Londini, sexto Idus Febr. M. D. X.

ERASMUS ROTERODAMUS  
JOANNI BAPTISTÆ

s. d.

Cum superioribus diebus, tanto Amico Xeniolum aucupanti, forte incurrisset in manus Luciani de Astrologia Commentarium, ipso statim titulo delectatus, majorem in modum optare cœpi, esset ejusmodi, quod dignum videri possit, primum & tuis in me Meritis, & meo in te animo: deinde dignum eo Viro, qui singulari Doctrina sua, Fide, Prudentia, primi Medicis locum tot jam annos meruerit, idque apud duos Seculorum omnium primos Angliae Reges, Henricum Septimum, inaudita sapientia Principem, & hujus Filium, non nomine tan-

tum

tum & specie, sed omnibus Regiis dotibus ita Patrem nobis referentem, ut ille non deceperet, sed in hoc repubuisse videatur: postremo dignum eo, qui in hac excellentissima Astrologiae Disciplina sic excellat, ut reliqui tecum collati, umbræ volitare videantur, quemadmodum inquit Homerus. Sed Munusculum hoc qualem cunque, prium offerentis animus apud te commendabit: deinde tui candoris erit, atque adeo moris, e pusillo amplum, e mediocrem præclarum atque eximum reddere: id ita fiet, si quidem exhibet Libellus in lucem, non modo Baptista calculo commendator, verum etiam lima tertiior. Nobis quidem in eo potissimum arrisit Antiquitas, ceterum tu quo es oculatior, hoc plura perspecturus es, quæ probari mereantur. Nam a Luciano nihil fere triviale solet proficisci. Nos interpretis haud infidelis officio functi sumus: tu pariter de Autore & de Interprete sententiam feres. Bene vale. Londini, Natali divi Martini, Anno M. D. XII.

ERASMUS PETRO ÆGIDIO

S. D.

**N**ihil unquam mihi accidit mi Petre tuis Literis mellitius: ad quas si breviter respondeo, facile tu quidem ignoscas, si scias quantis Studiorum laboribus pene confectus essem: a quibus simulatque dabitur otium, Ægidium meum non literis modo, verum etiam justis Voluminibus onerabo. Dabis operam, ut hæc quam- prium

primum ad Jodoci Badii manus perferantur. Paravi Proverbiorum Opus, & ita locupletavi, ut prorsus aliud reddiderim: at multo, ni fallor, melius, cum esset non admodum malum. Quare nihil est, quod aliorum timeat Editiones. Convenerat cum Francisco Bibliopola, ut illi Exemplar contitterem, verum insalutato me discessit. Pretium quod in suis literis praescripsit, lubens accipio: nec enim magnopere commoveor lucello. Ipse paret omnia, ut Opus sic exeat ex ipsius Officina, ut non facile sit cuiquam aemulari. Absolvam Castigationem Novi Testamenti: absolvam Epistolas divi Hieronymi, & si dabitur otium, emendabo & Senecam. Fieri potest, ut ipse vos revisam a Pascha: quod si non licebit, mittam in primis Proverbia, cum certus aliquis dabitur, per quem mittam. Nonnihil sollicitus sum, ut Græcis formulis huic Operi satisfaciat, quod semigræcum est. Proinde quanta potest cura præparet omnia, atque ipse sese in Græcanicis Literis nonnihil exerceat: Id quod in alias quoque Librorum Editiones erit usui futurum. Non mittat huc Pecuniam neque Libros, priusquam ad illuin, quid velim, perscripsero. Dialogos Luciani, quos ad eum misi, nondum prodire video: video quosdam ex illis excusos Lovani: qua de re cupio certior fieri. Verti compluſculos Plutarchi Libros, quos emendatos remittimus. Accepi postremas Badii literas per Anglum quendam, in quibus scribit Moriam a se

a se formulis excusam, quam tamen hic non vidimus. Bene vale. Lovanii, Anno M. D. XIV.

ERASMUS ROTERODAMUS ADOLPHO,  
Principi Veriano.

**S**alve multum Ornatissime Princeps. Jam pridem molior hinc ad vos evolare: retinet adhuc quorundam singularis quædam in me Benignitas, præcipue Cantuariensis Episcopi. Guilelmus Montjoius, Præfectus Hammensis, amantissimus tui, in his Belli tumultibus semper favet tuis, eisque pro virili subvenit. Verbis consequi nequeam, quam ex animo doleam, tantos rerum humanarum motus exoriri, idque nemine obſistente. Magis autem doleo, nostram Patriam paulatim his implicari Malis, præferunt tam diutinis Bellis non vexatam modo, sed propemodum extinctam. Utinam hisce de rebus, quæ ſentio, liceat tuto Literis committere. Quoties pœnituit me, Fortunam quam ante triennium mihi Lovanii offerebas, non amplexum fuisse? Sed tum quidem amplæ Spes me ferocem reddiderant, & aurei Britanniæ montes animo concepti: sed eam cristiā mihi depreffit Fortuna: nunc ſi vel mediocris iſthic detur, cupio cum Ulyſſe Patriæ fumum ſubſilientem confpicere. Te rogo, ut me jam olim tuum Erasium adjubes, potes enim, nec minus vis: tantum ut memineris. Bene vale. Londini, Anno M. D. XII.

ERASMUS ROTERODAMUS  
THOMÆ MORO

S. D.

**V**t nusquam cessant Sycophantæ mei, ut nullum non movent lapidem, quo noceant Erasmo, persuaserant Coloniæ uni atque alteri Libellum illum ridiculum de Julio cœlis excluso a me conscriptum fuisse, persuasuri pluribus, ni præsens impudentissimam calumniam retudissem. Quodsi quid hujus suspicionis apud vos quoque subortum est, ut solet in hujusmodi negotiis per multos obambulare Divinatio: mitto ad te Exemplar literarum mearum ad Paulum Bombasium: nam perlongum sit, eadem pluribus scribere. Nihil pudet istos Sycophantas, & nescio quomodo quæ falsissima sunt, libentius credit Vulgus. Pridem erat in animo submonere Pontificem Summum, ut hujusmodi licentiæ indies magis ac imagis gliscenti, finem imponeret, sed nondum incidit commoditas: Antonium tamen Puccium Oratorem adimonui Basileæ, & recepit se curatum: nam illi quoque res non dissimulanda videbatur. Cum tu duodecim Angelatos mittis pro novem, non video quid lucri facias. Video futurum, ut Fortunæ secundus flatus te nobis auferat: sed hoc moderatius fero, quod tu interim felix es, qualiacunque nostra sunt Fata. Vetus est, Amicis convalescentibus Soteria mittere: at isthinc nec literæ mittuntur, cum a tot morbis

morbis revixerim. De Theologorum quorundam fucatissimis Technis perlongum sit scribere: ex literis meis ad Roffensem Fabulæ partem intelliges, nam harum Exemplar ad te mitto. Bene vale. Basileæ, Calend. Jan. Anno M. D. XV.

## CARDINALI NANETENSI

Erasmus s.

**R**everendissime Pater, hisce literis tantum illud testari volui, me nec esse adhuc, nec futurum unquam inimicorem Humanitatis, qua me nihil promeritum Tua Sublimitas, tum in itinere, tum Romæ comimorantem est prosequuta. Ut Urbis liceat oblivisci, querendus est mihi Fluvius aliquis Lethæus, ne me diutius cruciet ejus desiderium: nam non possum non dolere, quoties in mentem venit, quod Cœlum, quos Agros, quas Bibliothecas, quas Ambulationes, quam mellitas Eрудitorum Hominum Confabulationes, quot Mundi Lumina, quam Fortunam, quas Spes tam facile reliquerim. Lenit tamen hoc desiderium Guilelmi Warami Archiepiscopi Cantuariensis inaudita quædam in nos non Humanitas modo, verum etiam Benignitas, ut si Pater esset aut Frater, nihil possit amantius. Complectuntur & cæteri complures hujus Regni Præfules, inter quos præcipuus iste Episcopus Roffensis, Vir præter summam Vitæ integritatem, Doctrina quoque varia reconditaque, tum ani-

mo minime sordido, & ob has Dotes h̄ic summo in pretio habitus. Hujus comes Romanum adisseim, si paulo tempestivius factus fuisset certior. Si quid erit negotii, in quo Servuli infimi opera non gravetur uti, mandet ac præcipiat Amplitudo Tua. Modo dictus Archiepiscopus Cantuariensis non Titulo tantum ac Dignitate Primas Angliæ, sed Eruditione, Integritate, Fide, Humanitate, Modestia, modis omnibus primas tenens, me licet immerentem singulari favore complectitur. Is Romanæ Sedis Ornamenti ita favet, ut nemo omnium magis: quamquam totum hoc Regnum propensissimo in eam est animo. Precor Deum, ut sua sancta pace omnia conciliet conglutinetque. Bene vale. Londini, VI. Idus Februarias, Anno M. D. XII.

JOANNI COLETO ERASMUS  
Roterod. s. d.

**P**oste aquam relicta Britannia, Gallias repetiti, difficile dictu, quam varie fuerim affectus. Neque enim facile judicarim, utrum lætior fuerim, qui prideam relictos in Gallia Amicos reviserem, an tristior, qui nuper in Anglia paratos reliquerim. Nam illud vere possum affirmare, nullam esse Regionem, quæ mihi vel universa tam multos peperit Amicos tam sinceros, tam eruditos, tam officiosos, tam splendidos, tam omni virtutum genere decoratos, quam multos una peperit Urbs Londinensis: quorum quisque sic in amando me, juvando que

que certavit, ut nesciam, quem cui debeam præponere, necesseque habeam omnes ex æquo redamare. Horum desiderio non possum non excruciar: at rursum recordatione recreor, dum illos mihi perpetua cogitatione quasi præsentes reddo, dumque spero propediem futurum, ut eos repetam, haud unquam postea relicturus, nisi si mors una divulserit. Id quo fiat ocyus atque commodius, confido te pro tuo in me amore studioque cum reliquis Amicis daturum operam. Dici non potest, quam mihi placeat indoles Liberorum Baptistar, nihil modestius, nihil tractabilius, nihil in Literis diligentius: quibus rebus futurum confido, ut & Paterno animo, & meo studio respondeant, magnumque olim Britanniae decus adferant. Vale. Parisiis, postridie Sacramenti, Anno M. D. VI.

ERASMUS ANTONIO A BERGIS,  
Abbati Bertinico, s. d.

**R**everende Pater, cum proxime essem Gannavi, fero cognovi tuam Amplitudinem adesse, cumque jam conarer meo fungi officio, dictum est eam abisse. Post hæc accepi a nonnullis, quod me vehementer commovit, te mihi, nescio quid, subirasci, opinor ob Moriam, quam Vir Clarissimus Georgius Halloinus, me dehortante ac deterrente, fecit Gallicam, hoc est, ex mea suam fecit, additis, detractis & mutatis quæ voluit. Ad hæc argu-

mentum ipsum per se jocosum est, nec tamen ullum Hominum genus insector odiosius: neque quenquam nominatum taxo, nisi meipsum. Postremo Opus hoc qualemque est, placet Eruditis totius Orbis omnibus, placet Episcopis, Archiepiscopis, Regibus, Cardinalibus, atque ipsi Leoni Pontifici Maximo, qui a capite usque ad calcem totum perlegit. Quodsi quid etiam ineptissim in hoc Opere, & alii forent offensi, sperabam tuam Celsitudinem vel unani mihi patrocinio futuram fuisse, videlicet sui similem, cuius tantam Humanitatem semper expertus sum, ut ipsa Humanitas non possit esse humior. Proinde nondum adduci possum, ut credam esse vera, quæ mihi quidam super hac re narrarunt. Scio vulgo multa jactari inania, & mores tuos candidissimos jam multis annis expertus sum, quibus plus habeo fidei, quam aliorum orationi. Scio quantum intersit inter Berthinicum & Briselotum, etiamsi ab eadem litera vocum est initium. Quicquid est, rogo pergas amare tuum Erasimum vel ob hoc ipsum, quod jam olim amaveris. Quodsi unquam promeritus sum tui similium favorem, ausim hoc fiducia mei, magis quam arrogantia dicere, me nunc maxime promerer: quod fortassis extincto me Posteritas rectius judicabit: quanquam nec hac Ætate desint qui perspiciant. Versor in Collegio Liliano, unde est hic, qui has reddit, Theodoricus Juvenis festivo felicique ingenio, ac summa spei: quare si quid erit, in quo requiret favorem

Am-

Amplitudinis Tuæ, quæso ut experiatur. Bene  
vale Mæcenas Optime. Lovanii, Natali Luciæ,  
Anno M. D. XVII.

GERARDO NOVIOMAGO ERASMUS  
Roterod. s. d.

**Q**uid tibi imprecer, mi Gerarde, dignum  
istis tuis factis? precor ut brevi magno ali-  
quo Sacerdotio onereris. Dixeras, at non solus,  
R. Præfulem nostrum non ante quartum aut  
quintum diem abiturum: ego juxta vulgarem  
morem eum numerum conduplicabam, existi-  
mans ante octavum diem non mutaturum lo-  
cum, & erat hic quod agerem. Videbam occu-  
patissimo Principi non vacare tum temporis,  
præfigiebam vos sero pransuros, & mihi jam  
stomachus latrabat. Proinde subduxí me, testa-  
tus apud te, domi expectaturum eo die, si quid  
juberet. Nihil denuntiatum est, postridie ma-  
ne transcurro Lovanium, quod arbitrarer haud  
multum interesse, hic, an isthic agere, quod  
ad conveniendum Præfulem attinet. Relinquo  
domi epistolium, quo testatus sum me ad omnem  
nutum paratum fore. Hodie propemodum  
decreveram recurrere, & ecce Paludanus, vetus  
Compotor tuus, nuntiat hodie Dominum pro-  
fici, quod si verum est, egregium Patronum  
agas oportet, ne quid secus suspicetur ille,  
quam res est: imo tu potissimum in jus vocan-  
dus, in te cedula faba, qui me tuis dictis fefel-  
leris. Crede mihi mi Noviomage, nullus est in

Orbe Princeps, cui magis ex animo cupiam gratificari, quam Philippo Præfuli, non solum ob id, quod illius subsum Ditioni, verum etiam quod eximius sit modis omnibus, quod nostro faveat ingenio: denique tacito quodam & arcano sensu mentis ad eum observandum impellor. Aulicis officiis haud sane multum valeo: cæterum qua valeo, declaratus sum quantopere Celsitudinem illius & suspiciam & amem. Id nolim mihi credi, ni propediem ipsa re comprobaro. Non ausus sum ipsum toties meis epistolis interpellare: tu fac apud illum mihi epistolæ sis vice. Si vocat advolabo, sin minus, hoc impensis maturabo profectionem, quo liceat redire celerius. Arbitror me reducem fore ante mensem Octobreim: tum extricatus his Spinetis Theologicis, vacuo tranquilloque animo Musis & Amicis vacabo. Neque suscipereim hoc iter periculosissimum, ni me ratio Famae compelleret. Ubiunque Gentium futurus est Erasmus, certum polliceor, & Præfulis Celsitudo Clientulum habitura est ex animo deditum addictumque, & Tua Sanctitas Amiculum minime fucatum. Bene vale Patrone Optime. Lovanii, XV. Calendas Majas, Anno M. D. XIV.

ERASMUS ROT. ÆGIDIO BUSLIDIO  
S. D.

**V**ir Ornatissime, huc accessi, ut pluribus agerem cum Oratore Regis Angliæ Riccardo Pacæo, Viro utriusque Literaturæ cal-

len-

lentissimo, sed incommoditas cœli facit, ut domi me contineam. Mitto dono Libros Galeni, opera Thomæ Linacri melius Romane loquentes, quam antea Græce loquebantur. Tres posteriores magis te capient; nam tres primos consumit fere in unguendo, lavando, fricandoque, nunc Puerum, nunc Adolescentem, nunc Juvenem. Novum Testamentum felicibus auspiciis exiit in lucem: quo minus huc adduxerim, oblivio fuit in causa. Theologi mitescunt, imo resipiscunt. Exire non audeo. Tuam Excellentiam vocare audeo ad cœnulam tribus ovis apparatam. Ad eam hoc venies gratior, quo parcior es. Bene vale. Colloquar antequam abeam. Bruxellæ, M. D. XVIII.

ERASMUS Roterodamus  
GUILHELMO NESENO

S. D.

O Te terque quaterque felicem Optime Nefene, cui contigerit sub Cypriano Taleo, Viro non Literis solum ac Morum integritate, verum etiam rara prudentia, miroque rerum usu insigni, merere Musis: Cui cum Græcitas etiam accesserit, non video quid Hominis Dotibus possit adjungi. Nam in omnibus honestis Disciplinis ille jam olim sic est absolutus citra professionis supercilium, ut non videam, quem cum eo conferre queam: proinde etiam atque etiam vide, ne ipse tuæ desis felicitati, fac nunc Germanum agas, vince, spolia, nuda Galliam Bonis Literis: ita futurum est, ut

T 5

nec

nec illam relinquas pauperiorem, & tu pulcher-  
rimis Mercibus locuples in Patriam redeas. Hic,  
hic nos fortes & invictos præstemus, neque  
committamus, ut Germani Gallis ingenio cef-  
fisse videamur. Majorem in modum te rogo,  
adeas meo nomine Petrum Viterium, is agit in  
Collegio Navarræ, ut sciam quid valeat, quid  
rerum agat: nam jamdiu scribit nihil. Tum  
fac sciam, quid agat Thomas Grejus, mutus  
& ipse. De Fabri Apologia, quam quidam ajunt  
eum adornare, nihil sane formido: tantum  
molestum est bonas horas in talibus nugis col-  
locare, cum melioribus rebus vix sufficiam:  
tum video Literarum Hostes hoc studio moliri,  
ut nos committant, arte plane Tyrannica: si  
quidem Tyrannis nihil formidabilius Bonorum  
concordia. Quid velit, ipse viderit: pro vetere  
nostra Consuetudine doleo, quod me provo-  
cans non optime consuluerit Famæ suæ. Quod  
si cuius instinctu denuo provocabit odiosius,  
fortassis non quibo imperare animo meo simi-  
lem moderationem. Quid cum hujusmodi ri-  
xis iis, qui Gratiis ac Musis Sacra faciunt? Imo  
qui Christi Mystras profitentur? Quanto satius  
est, certare mutuis officiis? Sed nemo pugnat  
acrius, quam qui nolens & invititus ad pugnam  
pertrahitur. Utinam mihi semper in vagina  
conditum pereat rubigine ferrum, aut si strin-  
gendum est, ne cogar in Amicum exerere. Pe-  
ne rursus absolví Novum Testamentum, in quo  
quoties quam honorifice Fabri facio mentio-  
nem:

nem: nisi prorsus contumelia est illi dissentire, cum ille dissentiat etiam ab omnibus. Tu fac hominem ames ac suspicias, nec pilo tibi sit ingratis ob hanc inter nos Conflictiunculam. Bene vale Amice singularis. Joannes Smithus meus jubet te salvere, scripturus, sed non licuit nec per negotia, quibus nullis distringitur, nec per otium, quo abundat. Lovanii, Anno M. D. XVIII. XV. Calendas Februarias. Ex Lilio.

## ERASMUS ROT. PAULO BOMBASIO

S. D.

**O**pectus Musis Gratiisque natum. Obruīs me tot officiis, ut partim me pudeat tibi toties gratias agere, & agere tantum: partim non occurrat formula subinde nova, qua id faciam. Cardinali Sanctorum quatuor hoc magis debeo, quo minus quicquam de illius Celsitudine sum promeritus. Marinus Caraciola Apostolicus apud Cæsarem Legatus, rem summa diligentia curavit, adjectis etiam amantissimis suis ad me literis. Prius Exemplar miror quis interceperit: nam hujusmodi literarum genus, non video cui possit esse usui, præter eum cui mituntur: secus esset, si de opimo Episcopatu, aut alioqui splendido Sacerdotio ageretur. Molestum est animo meo, quod occupatissimo tibi tantum accedit ex me molestiæ: sed tamen voluptati est, quod his occasionibus animi tui sinceritas indies mihi fit explorator. Utinam hæc nostra Regio vel paucos haberet Bom-  
basios.

basios. Quis unquam sincerius aut constan-  
tius amavit, quamvis eximum Amicum, quam  
tu amas Erasium gratis, humilem, tenuem,  
unde nullas officii vices sperare possis: ad hæc  
tanto tum eruditior, tum felicior? Non queo  
satis conjectare, quis fuerit Gallus ille, quem  
scribis evanuisse, nisi forte Christophorus est  
Longolius, Juvenis ut ex illius intelligo Scri-  
ptis, cum ad omnes Bonas Disciplinas, tum ad  
Eloquentiam factus. Hic, ni fallor, unus est  
eorum, qui mox Erasmi nomen obscurabunt.  
Verum ea res mihi voluptati est, quando mei  
nominis jactura, lucrum est Reipublicæ Litera-  
riæ. Demiror quæ res Joanneum Lascarem a  
Roma potuerit avellere, præsertim Leone præ-  
sidente Rebus ac Studiis. Fratres Boërios etiam  
atque etiam jubebis salvere meo nomine. Epi-  
stola tua non offendit me Basileæ, nec id tem-  
poris aderat Antonius Puccius, Summi Ponti-  
ficiis Legatus: tamen hac de re scripseram ad  
illum agentem Turegii: nam ut adirem Homi-  
nem, quemadmodum & ille vehementer cupie-  
bat, & ego propemodum receperam, nec vale-  
tudo sinebat, quæ vectationem equestrem non  
dum patiebatur, nec occupationes literariæ.  
Navigatione, tametsi non caruit suis molestiis,  
tamen paulatim factus sum confirmator. Apud  
Clarissimum Hermannum Comitem a Nova  
Aquila, cum dies ferme quinque suavissime vi-  
xissem, adeo mihi placui, ut mihi plane viderer  
renatus: sed mox in præsens exitium conjectus  
sum,

sum, adeo ut vix semivivus deportatus sum Lovanium: sive id malis ventis debeo, qui tum pestilentissimi pariter ac vehementissimi flabantur: sive meæ stultitiae, qui per medium Coloniam Urbem id temporis undique funestam ausus sum iter facere. Chirurgus unus atque alter Pestem esse confirmabat: tres carbunculos excidisse negare non possum. Mihi nec ægrotare libuit, nec Pestem credidi: & profuit non credidisse, sed revalesco faventibus Superis: at interim male precantibus iis, quibus dolet efflorescere passim rectiora Studia. Bene vale. Lovani, Id. Decemb. Anno M. D. XVIII.

### ERASMUS ROTERODAMUS

Antonio Papinio, Abbatii Gemblacensis, s. d.

**E**x Indice Bibliothecæ vestræ, cuius mihi jampridem facta est copia, intelligo apud vos esse duos Codices manu descriptos pervertustos Opuscula divi Cypriani continententes. Mihi certe gestit animus hunc Autorem Orbi tradere repurgatum a mendis: deinde discretum ab his quæ illi falso inscribuntur: quando non alium video inter eos, qui latine scripserunt, qui ad Apostolici pectoris vigorem propius accedat. Ubique sentias loqui Pastorem, ac Martyrio destinatum. Et hujusmodi Viros Theologi finimus obsolescere, quo magis miremur frigidas recentiorum nenias. Nihil autem dubito, quin Amplitudo Tua, ut est veræ Religionis obser-

observantissima, faveat & piis Studiis, & Cypriano Pietatis Magistro. Neque tamen gratis hoc officium flagito: redibit ad vos Cyprianus, & redibit non sine fœnore, neque patiemur interim, ut Posteritas ignoret, cui bonam hujus beneficii partem debeat. Jamdudum pro cervina missa debeo, sed longe plus debiturus pro missa Cypriano. Bene vale Pater Reverendissime, cum sancto Fratrum tuorum Collegio, quorum purissimis Precationibus Christo commendari cupio. Lovanii, Calendis Junii, Anno M. D. XIX.

### ERASM. ROT. CHRISTOPHORO HACO

**A**llatum est hoc Carmen Elegiacum, a quo scriptum, incertum, certe Titulus ad te scriptum arguit: eo, quisquis est, mortem meam deplorat, meque tandem inter Divos collocat. Agerem gratias Homini pro suo officio, si nossem: nunc tuum est illi meo nomine gratias agere, cuius animus sic in Erasimum propensus hoc mihi gravior est, quod haec tribuit sepulto. Nam vivum qui laudat, non solet abesse prorsus ab assentandi suspicione. Sed quid imprecemur Rabulis istis, qui me quotannis ferre bis efferunt, idque quo crudelius sit, vivuni, coguntque toties me mihi superstitem esse? Quid imprecemur miseris, nisi mentem illis meliorem dari, ne semper, quod hactenus faciunt, vivant mortui. Etenim quum Deus sit charitas,

atque

atque is vita sit animæ: qui possunt haberi vivi, qui sic odere Proximum adeo non lædentem, ut studeat de omnibus bene mereri, ut quem vivere doleant, falsissimis istiusmodi rumoribus subinde sepeliant: interim iimaginatione fruentes, dum re non licet: tum ex eorum dolore, quos tristibus Fabulis exanimant, crudelissimam voluptatem capientes. Nos sive vivimus, sive morimur, Domino vivimus ac morimur. Bene vale Vir Optime, Antverpiæ, Id. Aug. An. M. D. XIX.

ERASMUS ROTER. PETRO ZUTPENIO

Cassiletano s. d.

**V**ideo plerosque Mortales in hac esse persuasione, ut felicitatis aut infelicitatis causas e supernis corporibus petant. Ego vero non arbitror ullum fidus affulgere cuiquam felicius, quam sincerum ac tuo accommodum: ingenio Amicum: contra, nullum aduersius ac funestius, quam fucatum & insincerum Sodalem. Proinde stellas obseruent alii, si lubet, ego in terris quærendum existimo, quod nos felices aut infelices reddat. Cæteri negotium auspicaturi anxxii considerant, qua figura Venus, Jupiter & Mercurius sese contueantur. Ego satius esse duco, perpendere quibuscum agas. Sunt enim quidam sibi tantum prospeli, cæteris omnibus inauspicati. Itaque vix ullo sermone consequi queam Petre Mortalium Candidissime, quam opinuum lucrum mihi putem obtigisse, quum te nactus sum Amicum, quo non aliun optare poteram.

poteram magis ad naturam moresque meos factum sculptumque. Antehac abunde fortunatus mihi videbar unico Petro Ægidio, quem Amiculum ego nolim cum ullo Pylade communicare. Eam felicitatem mihi congerminavit accessio tui, adeo similis illi, ut dubitem utrum utri præferam. Nam omitto Fortunam satis amplam, omitto Literaturam haudquaquam vulgarem, omitto vim ingenii ad oīnnia negotia mirum in modum versatilis: qui pectoris candor, quæ morum simplicitas, quæ consuetudinis suavitas, quæ modestia, quæ fides, quæ in officiis præstandis promptitudo? Ubi sunt interim, qui Temporum horum mores ut deplo ratos damnare solent, quando tales animas habent Aulæ Principum? Olim non ferebam Ingenia Literis ac Gratiis nata pertrahi in Regum Familias: nunc video Virtuti rectisque Studiis nusquam esse plus honoris quam apud Principes. Omnibus itaque, qui Studiorum Sacra collunt, expedit, tui similes aliquot in Aulis versari, ne non sint qui Summates Viros ad favendum Literis ac Probitati suis dictis inflammant, qui ad Benignitatem stimulos addant, qui submoneant, quibus Artibus nunquam intermoriturum honestæ Famæ decus paretur. Quanto Studiorum omnium bono in Regia Britannica vivere credis Thomam Morum, Thomam Linacrum & Richardum Pacæum? in Gallia Gulielmum Budæum? quorum felicitati gratulan dum, quod in tales Principes inciderint, officio habenda

habenda gratia, si tales reddunt. Scio tibi nihil esse dulcius Otio Literario, nec deesse in Aula, præter negotiorum tumultum, quod offendat animi tui puritatem : quæ omnia hoc moderatius ferre debes, quod sub Optimo Principe Adolpho meres, qui favorem erga Literas ac Viros Virtutibus ornatos, a teneris usque unguiculis olim haustum e Batto Præceptore, in hanc usque ætatem retinet, qui nos quoque non ob aliud diligit ac tuetur, nisi quod persuasum habet his rebus præditum esse me, a quibus longissime absum. Is intelligens, quanti referat primam ætatem Principum optimo Viro formandam committi, Filiolum suum Joanni Borsalo in gremium tradidit : Viro ut compendio Virtutes innumeras complectar, Batti mei simillimo. Talis erat admovendus Ferdinando nostro, qua quidem in re demiror cessari a nobis, Midis opinor quibusdam id agentibus, quibus expedit Principes ex sese nihil sapere. Ac vereor, ne quis interim ingerat sese, qui Præceptorem professus, Aucupem Sacerdotiorum agat, ingenti totius Populi malo. Ambiunt hanc Provinciam Theologi, & Theologum esse decet, qui Principem instituat, sed vere Theologum, nec avaritiæ, nec ambitionis morbo corruptum. Bene vale. Antverpiæ, quarto Idus Augusti, Anno M. D. XIX.

ERASMUS ROTER. GULIELMO HUEO,  
Parisiensis Ecclesiæ Decano, s. d.

U

Agit

**A**git hoc miro conatu per literas Nicolatus Beraldus, Homo Gratii natus, ut nos committat. Quodsi Certamen foret Eruditionis, aut Eloquentiae, non poterat magis deterrere, quam quum sic adhortatur: in hac, inquit, Palæstra provocari abs te mavult, quam te provocare, Vir alioqui in quovis scribendi genere non mediocriter antehac versatus. Quum inter pares semper impudentior habeatur qui lacefit, quis diceret, quicquam esse mihi vel frontis vel cordis; si Thersites Achillem ausim lacefere? Nunc quum nulli sua obstet fortuna Conditiove, quo minus, cum quamlibet magnis amore benevolentiaque certet, & modestior habeatur, quisquis hic lacefit prior, non veritus sum tuo ac Beraldi animo morem gerere. His igitur literis lacefso Virum Eruditissimum minime doctus, Virum integrissimum non admodum probus, sed tamen amandi vicissitudine non cessurus, nec posteriores latus. Audio non sine summa voluntate Parisiorum Academiam pristinis suis Studiis, in quibus haec tenus haud dubie primam laudem possidebant, ac etiamnum possident, propensis animis trium Linguarum addere cognitionem, & ad purissimos Sacrorum Voluminum fontes subinde recurrere, neque sentire cum ipsis aliquot sibi parum amicis, qui putant has Literas cum vera Theologia pugnare, quum nullæ magis omnibus Honestis Disciplinis famulentur. Id partim Gallici ingenii tribuo candori, partim eximii Praefulsi Stephani Poncherii Sapientiae, Viri

Viri instaurandis optimis Literis, ac veræ Pietati divinitus facti, sed in primis Optimo Regi Francisco. Soli nos nondum hoc nomine possimus nobis gratulari. Sed tamen spes est non pessima. Faxit Christus Optimus Maximus, ut quemadmodum Principes passim favent foventque recta Studia, ita Philosophiam amplectantur, dignam iis, qui Christi vices gerunt: hoc est, ut quam longissime absint a Barbarica Tyrannide, neque per ambitionem labefactent Orbis Christiani tranquillitatem simul ac libertatem. Et quando suo favore provehunt eas Literas, quibus Principum Gesta solent Posteritatis memoriae tradi, ea gerere studeant, quæ mereantur omnium Seculorum suffragiis celebrari. Bene vale Vir Optime, quem ego post hac inter Gulielmos illos meos fatales sum relaturus. Antverpiæ, quinto Idus Augusti, Anno M. D. XVIII.  
ERASMUS ROTER. LUDOVICO CARINO

Suo s. d.

**Q**uod tam amicas literas ad me dederis Suavissime Carine, gratiam habeo, quod tam eruditas, tibi gratulor. Vix enim mihi persuasit Nescenus, tuo Marte, quod ajunt, fuisse conditas: sed persuasit tamen, vel quia Vir minime vanus, vel quia mihi jam pridem nota ingenii tui Felicitas. Perge mi Carine tibi solidam parare Felicitatem. Id facies, si veram Eruditionem cum Morum integritate conjunxeris. Cætera vel non ambienti dabunt Cœlites. Bene vale. Lovanii, Anno M. D. XIX. tertio Calendas Martias.

U 2

ERAS-

## ERASMUS ROTER. ULRICO ZASIO

**V**ix licuit tuas legere literas mi Zasi, quibus  
alioqui nihil accidere poterat jucundius.  
Quid ego Librum tuum collaudem? compendio  
dicam: Zafianus est, hoc est, absolutissimus,  
dignus qui fiat Orbi communis. At id adjuvabi-  
mus simulatque vacabit, vacabit autem intra bi-  
mestre: quanquam Aquinate tam subinde citato  
nonnihil inquinasti splendorem tuæ dictionis.  
Verum id scio quibus tribueris, & fero: mallein  
alioqui perpetuum illum Zafianæ dictionis cursum  
ac tenorem dicendi. Erasinum nimis amanter  
citas, hoc est, longe supra meritum. Bene vale.

Bonifacium non uno nomine unice diligo, de  
quo sane summam spem concepi. Mitto & al-  
terum epistolium olim ad te scriptum, sed obli-  
vione Ministri relictum apud me. Probat &  
Beatus Librum tuum, tu cura ut absolvatur: &  
si fieri potest, velim ea quoque quæ citas ex pa-  
rum expolitis Autoribus, tamen Zafiano lepore  
convestiri. Rursum vale. Anno M. D. XIV.

## ERASMUS ROTERODAMUS ZASIO

Suo s.

**S**i quo pacto liceret ex hoc evolare Pistrino,  
quod quidem facerem cupidissime, ma-  
lim extra Nuptiarum tempus te visere, quo to-  
tus toto te frui possem: nunc in tanta Homi-  
num turba, quantula tui portio rediret ad nos?  
Mitto Enchiridion nuperrime excusum. Beatus  
pari

pari diligentia te resalutat: adeſt & Gerbelius & Oecolampadius. Bene vale Vir Eruditissime. Pre-  
cor ut Nuptiæ Filiæ tuæ tibi tuisque ſint voluptati pariter ac bono. Anno M.D.XIV.

ERASMUS ROTERODAMUS  
ANDREÆ HOOCHSTRATO s.

**D**eſlexi nonnihil ab itinere meo, ut & te vete-  
rem Amicum meum videre, & Urbis tam  
celebris conſpectu fruerer, verum utrumque fruſtra  
malo quodam meo fato: nam & tu aberas, &  
Urbs ita placuit, ut a nulla unquam diſceſſerim  
Iubentius. Bene vale. Leodii, Anno M.D.XVII.

ERASMUS ROTERODAMUS  
GERARDO NOVIOMAGO

s. d.

**C**larissimi Principis Philippi a Burgundia  
Præſulis Ultrajectini, tui Mæcenatis, &  
niſi invides, mihi tecum communis, Inaugura-  
tionem adeo graphice perſpicueque depinxisti,  
ut minus viſurus fuerim, ſi ipſe Pompis omnibus  
interfuſſem. Perplacuit autem, quod rem histori-  
ca fide perſequeris, ſecus quam Vulgus Scriptorum  
facit, qui in hujusmodi argumentis multa folent  
*ἐπιμετρεῖν*, hoc eſt, admetiri, ne dicam admentiri.  
An gratulari debeam Philippo, nondum statui, qui  
& ante fuſceptum honorem iſtum, ſuis ipſius  
Dotibus erat maximus, & adeo non ambiit, ut  
recuſaturus fuerit, ni hoc Patriæ coimmodis, &  
Caroli Principis affectibus dediſſet. Certe Dio-

cesi gratulor, ad cujus Communionem & ipse  
pertineo, cui talis contigerit & Princeps & Epi-  
scopus, qui pro singulari prudentia, proque sum-  
ma Morum integritate, juxta Munus utrumque sit  
expleturus. Id ut cōfidam fore, non solum ipsius  
Natura facit nihil non egregium pollicens, verum  
etiam Pater Philippus Burgundiæ Dux, quo Se-  
culis aliquot nullus contigit huic Regioni Prin-  
ceps laudatior, sive species vere Regiam animi  
Magnitudinem, sive raram quandam erga suos  
Charitatem, sive Pacis alendæ studium, sive Mo-  
rum comitatem, atque ut summatim dicam, in-  
genium ab omni Tyrannide alienissimum. Au-  
get hanc spem David ille magnus hujus germanus,  
Vir modis omnibus Patri adsimilis, sed hoc  
præcipue suspiciendus, quod ut ipse erat erudi-  
tissimus, ita summo studio adnitebatur, ne pas-  
sim rudes & indocti in Cleri gregem irreperent,  
quod hactenus fieri videamus. Igitur in spem ve-  
nicio fore, ut hic unus & optimum Parentem, un-  
de natus est, & optimum Fratrem, cui successit,  
non referat modo, verum etiam superet, tibique  
uberrimam encomiorum materiam suppeditet.  
Atque ut in hac re me tibi Rivalem intelligas,  
jamdudum Pacis querimoniam illi dicavimus, no-  
stri in illum studii primitias. Excluditur Basileæ  
Libellus brevi isthuc iturus. Quem si sensero non  
displicuisse, fortassis magis aliquid audebitur.  
Bene vale Optime Gerarde, nosque Clarissimo  
Præfuli sedulo commendatos facito. Lovanii, An-  
no M. D. XVII. pridie Calend. Septemb.

ERAS-

ERASMUS ROTERODAMUS  
JOANNI REUCHLINO

S. D.

**R**everendus Cardinalis Sedunensis, cum nuper apud eum pranderem, narrabat te vita defunctum esse. Mihi non libebat credere, quia non erat e re Literarum verum esse. At mox lætiora nuntiarunt alii, quæ precor ut nobis sint perpetua, Vir Optime, idemque Doctissime. Vides fatalem esse Tragœdiam, quæ nunc agitur, cuius qualis fit futura Catastrope, incertum. Qualis qualis est futura, precor ut cedat in gloriam Christi & in rem Evangelicæ Veritatis. Ego hujus Fabulæ spectator esse malim, quam histrio, non quod recusem ob Christi negotium aliquod subire discrimen, sed quod perspiciam negotium esse supra meam exiguitatem. Utinam tam possem præstare quod est optimum, quam opto. Non dubito quin tibi adsint graves & amici consolatores, qui tibi omnem ægritudinem adimant, si quam animo concepisti, ut mea consolatione non sit opus. Altius infixus es animis Bonorum Virorum, quam ut hinc ullis Jacobitarum obtrectationibus queas revelli. Res est invicta Veritas. Et tacita Bonorum judicia perpetuam obtinent autoritatem, etiam apud Posteros suum habitura pondus. Mihi semper studio fuit Lutheri causam a tua Bonarumque Literarum causa sejungere, quod ea res & nos vocaret in com-

munem invidiam, & illum ne tantulum quidem sublevaret. Sed aliis aliter est visum. Me quoque tanta onerarunt invidia, ut parum absfuerit, quin & ipse fuerim impeditus ab istis, qui in Bonas Literas ac Doctrinam Evangelicam conjurarunt. Obscurum non est quid agant illi. Id quo magis succedat, prætexunt splendidos titulos, irritant mitissimum Pontificis ingenium, ut illius malo suis consulant commodis. Utinam qui Bonas Literas colunt (nam in has tendunt isti) tam concordes essent ad honestarum rerum defensio-nem, quam isti devoti sunt ad subversionem honestissimorum Studiorum. Si Germanis nostris placuisset Civilitas, ad quam ego semper amplectendam hortatus sum, res fortasse non processisset huc tumultus. Anglus ille Episcopus, quo non aliis in ea Gente vel eruditior Vir, vel Præ-sul sanctior, sic te deamat, ut non ferat a quo quam laudari te parcias. Habet in animo visere te æstate proxima. Bene vale Capnion Charissime. Colonix, VI. Idus Novembr. Anno M. D. XX.

ERASMUS ROTERODAMUS  
GULIELMO LATAMERO

s. d.

**P**er Literas obtestor, Humanissime Latamere, ut in Novo Testamento adjutes. Editum est pro temporis angustia satis accurate, verum mihi præter expectationem bona temporis pars præcatastigandis Exemplaribus, ac formis denique corrigendis erat insu-menda. Tametsi ad id inumeris duo

duo Docti magno ære fuerant conducti. Sic autem adjutabis, si admonueris per literas, quid mutandum esse ducas: nam alteram mox adornabo Editionem. Verum cave ne cui hoc suboleat Typographi gratia, cui domi manerent sua Volumina, si sentirent Emptores. Quanto studio me complexa sit omnis illa Germania superior, non commemorabo, ne videar gloriæ causa id facere. Ambit me & nostra Regio. Hæc tantum abest ut affectem, ut pudeat etiam honoris, quo me novi indignum. Et tamen gaudeo subolescere Bonas Literas, ac spero brevi futurum, ut Erasmus infans habeatur. Bene vale. Nonis Junii, Anno M. D. XVII.

ERASMUS ROTERODAMUS RICHARDO,  
Episcopo Wintoniensi,

S. D.

**R**everende Præful, quod Eduardus Leus tam manifestis convitiis debacchatus sit in Famam meam, dici non potest quam displiceat Probis omnibus: nec enim tam mihi nocuit, quam omnibus Bonarum Studiosis Literarum, quorum utilitati defudat hactenus nostrum ingenium. Tot Amicorum literis, tot monitis meis non potuit deterreri, quo minus suæ non minus quam meæ Famæ maculam inureret. Exiit Liber malis avibus, nonnullo detimento nominis mei, sed multo majore ipsius. Ad convitia respondimus moderatius quam vellent quidam. Ad argumenta sic respondimus, ut ille nunquam sit responsus,

U 5

rus,

rus, sat scio, & tamen ubique temporo a convitiis. Nec his contentus Leus, adornavit, ut ajunt, alterum Libellum multo etiam virulentiore, quem misit Lutetiam excludendum. Non audit Amicorum sana consilia, nec unquam finem facilius est, nisi tua Autoritate coerceatur. Atque utinam id esset factum, antequam hoc incendium erupisset. Subornavit Londini Cartuensem quendam, opinor, nomine Joanne Batmanson, Juvenem, ut e Scriptis apparet, prorsus indotum, sed ad insaniam usque gloriosum. Quodsi Leum ab his furiosis Tumultibus compescuerit Autoritas tua, non meis tantum Studiis consuleat, sed etiam Eduardi, qui nunc & suum perdit otium & meum. Bene vale. Lovanii, III. Nonas Majas, Anno M. D. XX.

### CONRADO A DINGEN, PRÆSULI WIRTZENBURGENSI, ERAS. ROTER.

S. D.

**O**rnatissime Præsul, cum sim & natura verecundior, quam ut plebejis etiam Hominibus ultro soleam literis meis negotium facessere, & nunc occupatior, quam ut vacet quicquam omnino scribere, tamen hujus Draconis improbitas extudit hanc a me epistolam ad Amplitudinem Tuam, quam accipio, cum semper optimis ac sanctissimis Studiis delectatam, tum in præsentia singulari favore prosequi Literarum honestarum Cultores. Inter quos utinam me jure queam commemorare. Certe videor inter hos

hos posse referri, qui sua qualicunque industria aliis addunt animos, quemadmodum faciunt, qui in acie classicum canunt, ipsi tamen interim a prælio semoti, quive in certaminibus suffundunt frigidam, cum ipsi cursu non certent. Hactenus sane feliciter successit proventus ingeniorum, si modo absit discordia, aut certe sit civilior. Si vetera Studia cum his novis mutua coinitate coalescerent, possent utraque alteris esse usui: nunc dum utrique sic agunt, ut alterutra Factio prorsus profligetur, sit, ut utrisque sit male. Conjuratum est a stolidissimis Agminibus in perniciem optimorum Studiorum, pars deterior numero superior est. Melior causa vincit. Et periculum est, ne juxta Livianum verbum pars major superet meliorem, ni tuo tuique similium favore subleveremur. Ego non solum publico Studiorum nomine gratias ago tuæ Benignitati, verum etiam meo privatim, qui candore quodam amico non aspernaris nostras qualescunque nenias. Si quid offendit hoc epistolium meum plusquam extemporarium, Draconi fac imputes, quo Juvene, ut nihil adhuc vidi melius, ita nihil vidi pertinacius. Celsitudinem Tuam incolumem ac florentem nobis quam diutissime tueatur Christus Optimus Maximus.

ERASMUS ROT. JOANNI EPISCOPO  
Roffensi s. d.

Reverende Pater ac Patrone singularis, Brugis Doctor quidam utriusque Juris, Cæsar-

ris

ris Maximiliani Consiliarius quondam, Vir eruditus & gravis, narravit mihi Reuchlinum nostrum Ingolstadii agere, atque illic ducentorum aureorum salario Græce & Hebraice prælegere. Hac ratione illi consultum est ab Amicis, quod tutum non esset agere in Patria. Causa, si vera narrant, hæc erat: cum periculum esset ne Dux Wirtenbergensis, in quem scribit Huttenus, Stockardiam reciperet, Reuchlinus Civibus aliquot erat Autor, ut alio deinigrarent, ipse comes illis futurus. Profugerunt illi. Reuchlinus mutato consilio mansit, consulens suæ supellectili. Deinde rursus profligato Duce, per quosdam Amicos impetratum, ne victor exercitus sœviret in domum Reuchlini. Sed cives illi, quos fefellerat, reversi exhibebant Seni negotium. Nunc sua omnia eduxit salva, & Ingolstadii tranquillam agit vitam. Hæc nolui nescire te. Germania prorsus insanit in Leum: tantum Libellorum prorumpit. Etsi Leus nullo non malo dignus est, tamen optarim eos conquiescere. Scribunt aperte, se non aliter mihi obtemperatueros, nisi quatenus abstineant a convitio Gentis Anglicæ. Minatus sum me posthac Gallum futurum, nisi desinant me tam moleste amare. Adnitar equidem, quod erit in me. Sed Leus consulto fecerit, si ipse aliquo Scripto edito studeat illos delinire quos irritavit. Audio bellum parari Dominicanis & Romanensibus. Vereor ne ex hoc ludo nascatur incendium maximum. Bellum indicetur Dominicanis & Romanensibus & interim

rim s̄evietur in omnes Sacerdotes, exemplo Bohemorum. Bene vale, Lovanii, postridie Calend. Augusti, Anno M. D. XIX.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Adriano Barlando s. d.

**N**on libet credere quod quidam ajunt, te nescio quid & stomachari, & maledicere in Goclenium. Neque enim hoc tui candoris est, neque meriti illius. Est Vir egregie doctus, nec minus integer quam doctus, nullius gloriae invidens. Postremo convenit hoc tempore συγκεντίζειν, qui colunt Bonas Literas, Barbarorum phalangibus sic sese undique condensantibus. Non me fugit esse quosdam in hac Schola, qui morbo naturae pessime loquantur, & de his, a quibus nunquam fuere læsi, imo quorum Beneficentiam experti sunt. Qui si sanari non possunt, tutamen mi Barlande tui similis esse pergitto, nec horum Consuetudine te contamina. Bene vale, cum voles, confabulabimur copiosius. Anno M. D. XVIII.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Florentio ab Iselstein s. d.

**C**larissime Princeps. Munus, quod Tua Benignitas nobis donavit, non uno nomine mihi fuit gratissimum: vel quod a tali profectum Heroë: vel quod ultro delatum, nec promerito, nec expectanti. Admonui Filium Tuæ Celsitudinis, raræ cujusdam indolis Puerum,

rum, ut mihi in referenda gratia sit auxilio. Sic enim videbor retulisse, si effecero ut ille in Bonis Literis expectationi tuæ respondeat. Recepit facturum, ac mihi sane in hac æstatula jam nunc emicans Eruditionis Specimen maximam Spem præbet talem evasurum Maximilianum, ut non solum suo Generi, verum etiam ipsis Literis Bonis sit olim ornamento futurus. Arnoldus ut est Pueri amantissimus, ita eum non minus diligenter quam blande curat. Est hic Conradus Goclenius Juvenis utriusque Literaturæ peritissimus, stylo cum primis felici, sive profam orationem tractet, sive metri legibus adstrictam, Philosophicæ Rei non vulgariter doctus, moribus incorruptis, spectataeque integratatis. Quid multis? dignus vel ipso Ferdinando Discipulo. Id tibi meo polliceor periculo, quod si videbitur hic Filii Familiae adjungendus, agam cum illo, & agam non minore fide quam si Filii mei negotium ageretur: sin minus, scito Erasmus totu[m] pectore tuum esse. Bene vale. Lovanii, postrid. Calend. Octob. Anno M.D.XIX.

ERASMUS ROTERODAMUS  
Sylvestro, Episcopo Wigornensi,

S. D.

**R**everendissime Präful, expectabam ut me vocares ingratissimum, quod pro veteribus tuis in me officiis nullam retulerim gratiam. Nunc o inauditam Humanitatem! etiam pri-  
mūs tuis in me meritis, sane cumulatissimus;

novos

novos adjicis cumulos. Redditum est mihi Exemplar Diplomatis. Magnopere placuit. Nihil fingi potuit amantius, aut magis ex animi mei sententia. Sed hac de re, ne quid ad me mittatur amplius, donec scripsero, quo velim mitti. Nam spero futurum, ut ipse Romæ sacras istas manus tuas deosculer, idque brevi, nisi Caroli nostri reditus adferat nobis nova consilia. Et scio & memini quid debeam Celsitudini Tuæ. Sed si ea nosset, quibus rerum procellis obruar, non solum daret veniam, verum etiam misereretur nostri. Si vixero adhuc annum, testabor me scire, quantopere tibi sim devinctus. Bene valeat Tua Sublimitas, cui me totum, ut debedo, ita dedo, dicoque. Antverpiæ, Idus Martias, An. M. D. XX.

ERASM. ROT. CARDINALI LAURENTIO  
CAMPEGIO s. d.

**R**everendissime D. Mitto Libellum tuo nomine dicatum, qualemque grati in te animi documentum. Quid facerem? Non dabatur occasio commodior. Sed in posterum, ut spero, dabitur. Nunc mihi cum Monstris compluribus res est, non Hereuli, sed Semihomuncioni. Spero fore, ut ante paucos menses Roman olim adamatam revisam, nisi si quid novi consilii Caroli nostri ex Hispania reditus adferat. Fxit Deus, ut eos incolumes offendam, quos maxime cupio. Bene vale. Antverpiæ, Idus Martias, Anno M. D. XX.

ERAS.

ERAS. ROT. FRANCISCO CHIREGATTO,  
Protagraphei Apostolico, s. d.

**H**umanissime Chiregatte, si Frater essem mihi, quæso quid possem amantius? Diploma mihi vehementer placet, sed nunc incertum, an huc sum diutius commoraturus, nam vocor in Galliam. Itaque ne quid huc mittatur, nisi literis meis significavero. Et fortassis intra menses paucos adero Romæ: interim cura, ut te offendamus alacrem. Eduardus Leus emisit in me Librum, plenum convitiis, non sine dedecore meo, sed majore suo. Ei nunc respondeo, sed absque convitiis. Id in causa fuit, ut tibi scriberem parcius. Bene vale. Scio quantum debeam Reverendo Præsuli Sylvestro Patrono tuo. Non ero ingratus, qua licebit, rursum vale. Antverpiæ, Idibus Martiis, Anno M. D. XX.

ERASM. ROT. ORNATISSIMO PRÆSULI  
ac Principi Leodiensi.

**S**alutem P. Ornatißime Præsul. Qui has redidit Joannes Faber, Theologus insignis, Ordinis Dominican, cupit Tuæ Celsitudini commendatus esse, ac mea sententia dignus est, qui sit. Erat Maximiliano Cæsari cumprius charus ob egregias Dotes, quibus prædictus est. Eрудitio est recondita, ingenium promptum ac versatile, lingua felicissima, mores faciles candidique, animus, ut mihi videtur, integer. Gratus

tus est multis Germaniæ Principibus. Et tamen  
habet qui illi male volunt ut nunquam caret  
Ænulis Virtus eminens. Optime sentit de Tua  
Celsitudine, apud quam existimat me nonni-  
hil valere. Si quid valeo, id totum est Huma-  
nitatis Tuæ, non meriti mei. At spero fore, ut  
Hominis virtutes impetrent, etiam si mea non  
impetret epistola. Impetrata est a Principe Pen-  
sio, me quidem non ambiente, sed hoc est gra-  
tius Principis Optimi munus, & tibi tuique si-  
milibus plus debeo. Quorundam immodicam  
licentiam sic gaudeo coerceri, ut verear ne suc-  
cessus hic animet Bonarum Literarum Osores,  
ad opprimenda meliora Studia, non enim di-  
cam Doctrinam Evangelicam. Bene valeat Tua  
Celsitudo. Lovanii, postridie Nonas Octobr.  
M. D. XX.

ERASMUS ROTEROD. GULIELMO  
Archiepiscopo Cantuariensi

S. D.

**I**ncidit Erasmo tuo periculosa & omnium  
gravissima cum calculo conflictatio. Deven-  
tum in manus Medicorum, & Pharmacopola-  
rum, hoc est, Carnificum & Harpyiarum. Adhuc  
parturio. Malum in costis etiamnum affixum  
est, quando pariturus, aut quid pariturus incer-  
tum. Suspicor hoc morbi debere me cervisæ,  
quam dies jam complures inopia vini bibi. Hæ  
nimirum primitæ fructuum, quos ex præclaro  
adversus Gallos Bello capiemus. Has literas di-

Etavi modo, nec id citra molestiam, tu cura ut  
quam optime valeas, Optime Mæcenas. Canta-  
brigiæ, Anno M. D. XV.

## ERASMUS ROTER. CARD. GRYMANNO

S. D.

**R**everende Domine, jam anni sunt aliquot,  
quod Paraphrasim Epistolæ ad Romanos tui  
nominis auspicio in publicum emiserim, idque  
meo judicio satis feliciter: toties interim excusa  
est Typographorum formulis. Avebam scire  
num meum officium animo tuo gratum fuisset.  
Nec enim aliam mercede ambiebam. Literæ,  
quas ajebat Andreas Ammonius abs te scriptas,  
interciderunt: quare te rogo ne graveris alteris  
literis testari, num eo officio tuo judicio satisfe-  
cerim. Jam crebris literis me interpellat Guil-  
helmus Archiepiscopus Cantuariensis, ut vertam  
Commentarios Origenis in Psalmos. Horum  
exemplar si tua habet Bibliotheca, non ausim  
rogare ut huc mittas: tantum oro, ut patiare  
describi meo sumptu. Non committam ut in eo  
Opere frauderis portione tibi debitæ laudis. De-  
di negotium hoc Domino Commendatori, Viro  
primariis virtutibus cumulato, & ob has suo  
Principi longe gratissimo. Bene valeat Ampli-  
tudo Tua, cui quam commendatissimus esse cu-  
pio. Lovanii, postridie Calend. Octob. Anno  
M. D. XIX.

ERAS-

ERASMUS ROTEROD. JOAN. FEVINO,  
Canonico apud Divum Dona-  
tianum Brugis

S. D.

**F**acit hoc quum multorum, tuum tua præci-  
pue, Patruique tui Caroli rara quædam  
Humanitas, mihi pauculis diebus degustata, ut  
& minus quam antea placeat Lovanium, & mag-  
is lubeat animo Brugis vitam agere, si modo  
detur commodus nidus, ac mensa digna philo-  
sophico palato. Audio Carolo ferine idem esse  
palatum quod Erasmo. Amat epulas elegantes  
magis quam multas, & convivia lauta potius  
quam longa. Nec locus deesse possit in Prin-  
cipis vacuo Palatio: Neque non perspexi,  
quam sit in nos affectus animus Patrui, nam  
de te nihil interim dicam. Porro ne Conger-  
rones quidem deesse poterunt, ubi adest præ-  
ter alios Marcus noster. Proinde, si videtur,  
hac de re agito cum Patruo, quandoquidem id  
licebit nullius omnino fraude. Si nihil obsta-  
bit alioqui, de pretio inter nos facile conve-  
nerit: fin erit quominus id commodum sit,  
fac me per literas certiorem: ac bene interim  
vale. Salutem dices Humanissimo Carolo, ac  
Roberto Affini, cum sua Conjuge. Lovanii, 5.  
Idus Septemb. Saluta Collegas tuos omnes, sed  
in primis Cantorem ac Nicolaum Fistulam. Anno  
M. D. XVII.

## ERASMUS GERARDO LYSTRIO

Suo s. d.

Imo tibi gratiam habeo, qui mihi Fraterculi  
istius colloquium adornaris, tantum abest  
ut fuerit molestum: nam mihi Hominis indo-  
les majorem in modum placuit. Uxorem esse  
tibi ex animi sententia sane gratuler: faxit  
Christus, ut ista felicitas sit vobis perpetua.  
Quod nobis etiam favet, non illi, sed tibi debeo:  
amat enim nos, sed tuo animo. Moria sic galli-  
ce versa est, ut alia dixerit interpres, non solum  
aliter, & pleraque reliquit, quæ non intellexit,  
quædam assequi non potuit. His Nundinis  
proximis exhibet novum Volumen Epistolaruin  
fatis magnum: recognoscemus excusas &  
aditis aliis in justum Volumen redigemus. Scri-  
bam Tilmanno ut jubes, quum dabitur per  
quem id faciam, & dabitur propediem. De En-  
chiridio non satis intelligo quid velis: si tu ex-  
plicabis mihi, pergratum fuerit. Si a me vis ex-  
plicari, notes oportet, quæ videntur obscuriora.  
Si quid iſhic tribuitur Erasmo, tuo cando-  
ri potissimum debeo. Hic serio agunt de farci-  
enda Concordia, posteaquam effuderunt omne  
virus suum, sed tamen certum est animum Chri-  
stianum ubique præstare. Demiror istos Evan-  
gelicam puritatem profitentes, tamen non Evan-  
gelice debacchari in Fainam hominis, de his re-  
bus blaterantes, quas non intelligunt, & apud  
eos qui non intelligunt: quos oportebat non  
so-

solum esse ludibrio Pueris, verum etiam lapidari publicitus: vincet tamen Veritas, ne dubita. Re-saluta Simonem & Priorem Montanum, sed in primis Suavissimam Justinulam tuam, cui omnia læta feliciaque precor. Priorem sanctæ Agnetis nondum vidi, nec enim licuit, tot tricis involvorum. Bene vale, Lystri Doctissime. Lovanii, tertio Idus Septembres, Anno M. D. XVII.

ERASMUS HENRICO GUILEFORDO,  
Rei Equestris Regio Præfecto,

s.

**V**ides Ornatisime Guileforde, Virtute nihil amabilius, quæ sic omnium animos ad se pellicit, ut nulla incantatio possit efficacius. Siquidem fragrantia honestissimæ Famæ, quæ nusquam non divulget Aulam Britannicam, præter Regem omnibus absoluti Principis Dotibus egregie cumulatum, & huic simillimam Reginam, tot insuper integris, eruditis, gravibus, cordatisque Viris abundare, Principem Bergensem, Virum in primis prudentem, hoc est, a tergo pariter atque a fronte oculatum excitavit, ut Antonium natu minimum ex Liberis, quem Natura videtur genuisse Virtuti, non alteri Scholæ tradendum judicaret, unde rediret, non solum incorruptus ab his vitiis, quibus fere sunt obnoxiae Magnatum Aulæ, verum etiam iis Virtutibus instructus, quæ tam claris Stemmatiis, tantisque negotiorum molibus, ad quas

haud dubie vocabitur, dignæ sint. Nihil agam si tibi Juvenem commendem. Ea est indeoles, ea morum suavitas, is pudor ac probitas, ut optimum quenque protinus in sui amoremi rapturus sit. Atque hīc quoque sentio mihi Rhamnusiam infensam. Ante complures annos & Regis benignitas & Cardinalis Eboracensis humanitas me ad Aulæ consortium non semel invitavit, eodem provocavit Guilhelmi Montjoui fidele semper & amicum consilium. Sed mihi læva mens erat, furdo canebatur Fabula. Sciebam haud ullam usquam Aulam ista esse incorruptiorem, at quis divinare poterat Principis domum tale Musarum domicilium futurum? Nunc id consilium sequar oportet, quod dant ætas ac valetudo. Vobis interim gratulabor istam felicitatem, quando meam infelicitatem deplorare nihil attulerit fructus. Bene vale Vir Ornatissime. Lovanii, Natali sancti Lucæ, Anno M. D. XIX.

ERASM. ROTEROD. RICHARDO PACÆO,  
Decano apud divum Paulum Londini,

S. D.

**V**ideor mihi dimidiatus vivere, Coleto mortuo, quem Virum Britannia, quem Amicum ego perdidi? Tibi gratulor, qui in ejus Fortunam successeris. Aveo scire si quid allatum de Libris tuis novi. Cardinalem Campegium vidi Brugis, nam me miro studio accersiverat. Nihil unquam vidi humanitus aut sincerius. Rex mina-

minabatur responsum, & item Cardinalis Eboracensis, neque quicquam adhuc audio. Facio me certiorem, si quid est quod mea referat scire. Commigrat in Aulam vestram suavissimæ indolis Juvenis Antonius a Grimberga, Principis Bergani Filius, nec illiteratus, & ex animo Literarum ac Literatorum amans. Non cupio ut ames Adolescentem, tantum nosse velis rogo: cognitum amabis, i velis nolis, ea est morum & ingenii probitas. Pater, ut scis, apud nos valet suo merito plurimum. E re mea fuerit, si is intelligat, mihi isthic cum Filio suo Amicos esse communes, & tales Amicos, quorum convictu talis evadat Juvenis, qualem impensissime cupit Senex cordatissimus atque optimus. Nos haec tenus vix tutati sumus valetudinem, cœlo tam incommodo. Hybernis his mensibus reliquas Paraphrases absolvemus Adjutore Christo. Literas tuas jam pridem misere expecto. Bene vale. Lovanii, postridie Idus Octob. Anno M. D. XIX.

ERASMUS ROTER. THOMÆ LUPSETO  
S. D.

**T**riginta jam annis nullius mors mihi fuit acerbior, quam Coleti: Percipio Hominis memoriam Posteritati consecrare. Sed hoc negotii tu pro tua in illum pietate capesses, ut me instruas, præsertim si qua sunt, quæ puttes mihi non esse cognita. Longolio pene totum triduum dedi: placuit omnibus modis, hoc

uno dempto, quod nimium Gallus est, quum sit  
nostras. Commigrat isthuc Clarissimus Adoles-  
cents Antonius a Grimberga, Filius Cordatissimi  
Herois a Bergis, rara indole ac probitate, Lite-  
rarum ex animo studiosus, cui nec invisus est  
Erasmus. Valent h̄ic tui Hermannus Frisius,  
ac Nesenus cum Carino, ceterisque. Vesculus  
nunquam magis fuit in negotio, quam nunc:  
sed omnia fucate. Mi Lupsete, si vis me tibi  
immortali devincere beneficio, cura quavis ra-  
tione, ut Liber ille ad me perveniat. Exemplar est  
isthic apud tres aut quatuor, Amici agunt ut pre-  
matur, & interim hoc me l̄adunt, quod hic quo-  
tidie reddit instructiores suas Sycophantias. Ni-  
hil enim minus sperandum est, quam ut ille  
perpetuo premat. Hoc officii si mihi præstite-  
ris, reposce vicissim quicquid voles, nihil nega-  
bitur. Magnopere gratum feceris, si frequenter  
ad nos scripseris. Bene vale. Lovanii, postr. Id.  
Octobr. Anno M. D. XIX.

ERASMUS ROTER. INTEGERRIMO D.  
GUILH. DANCASTRO s. d.

**O** nos miseros, qui tales Præceptorem,  
talem Patronum, tales amiserimus Ami-  
cum! Ploratur lachrymis amissa pecunia veris,  
hanc ego jacturam omni lachrymarum genere  
deplorandam censeo. Sed quid conferunt sin-  
gultus? quid ejulatus? ille revocari non potest,  
nos illum brevi sequemur. Interim Coletō gratu-  
landum, qui jam securus suo fruitur Christo,  
quem

quem semper habebat in ore, semper in pectore.  
 Mandabo Literis Vitam Hominis, si tu tuique  
 similes, quædam me docueritis, mihi fortassis  
 incognita. Quod ut facias etiam atque etiam  
 rogo. Gerardum Oeconomum meis Verbis salu-  
 tato diligenter, erga quem adhuc ingratus esse  
 cogor, sic obruor undique. Cum Theologis  
 iustum fœdus, ipsi ulti flagitarunt, posteaquam  
 nihil ab illis non tentatum est in meam perni-  
 ciem, & vident conatus parum succedere. Si  
 Christus pro nobis, quis contra nos? Bene vale  
 mi Charissime Guilhelme, meque Christo Optimo  
 Maximo tuis precibus commendato. Lovanii,  
 postridie Idus Octob. Anno M. D. XIX.

ERASM. ROT. GUILHELM. MONTJOIO

S. D.

**E**ximie Mæcenas, vix mihi tempero quin in-  
 videam Aulæ vestræ, tot Eruditis differtæ,  
 cum nostra præter Midas fere nihil habeat,  
 etiamsi res ipsa cogit nostros Satrapas Literarum  
 habere rationem. Clarissimus Princeps Berga-  
 nus, ex multis cognita sinceritate vestræ Aulæ  
 ac Regis Reginæque Dotibus, non alio maluit  
 emandare Filium suum Antonium Dominum  
 Grimbergæ, Juvenem indole felicissima, ac mo-  
 ribus plane suo Genere dignis: cum primis au-  
 tem Literarum ex animo studiosum, & quod te-  
 cum habet commune, faventem Erasmo. Hunc  
 quid ego tibi commendem? quum & illum  
 norim iis rebus præditum, quas tu non potes

non amare. Dicit secum Præceptorem suum Adrianum Barlandum, Virum haud vulgariter eruditum. Quod non respondes meis literis, nihil aliud in causa suspicor quam solitam tuam hac in re pigritiam. Mors Coleti tam acerba mihi fuit, ut nullius his annis viginti fuerit acerbior. Sed quis usus querelarum, aut fletus? ille ad nos redibit nunquam, nos illum sequemur. Cum Theologis farta pax, quam illi ultro expetierunt: quam sic admisi, ut nec meo vito sim violatur, nec illis tamen unquam fissurus. Nunquam audita fuit ejusmodi Conspiratio ex unius hominis bili nata: cuius etiam opera farta est, quum videret & se imparem Tragœdiæ, & me recti conscientia fretum non cedere, imo tandem etiam dentes aliquot nudare, saevitum si porro perrexissent. Nos sat prospera valetudine sumus, nisi quod ætas semper aliquid decerpit hujus corpusculi nervis, sed non recusarim immori Literis Christi gloriam illustrantibus. Si tu solitum in nos animum non mutasti, fac tuis literis aliquoties Erasnum appelles tuum, ubi ubi terrarum est. Bene vale. Lovanii, postridie Idus Octobres, Anno M.D.XIX.

ERASM. ROTEROD. THOMÆ CARD.  
Eboracensi s. d.

**Q**uod proximas literas meas Tua Summa blimitas non solum boni consuluit, verum etiam alaci lætaque fronte perlegit, (nam id

id mihi Brugis narravit Cardinalis Campegius) gratiam habeo maximam, quod nondum respondit, negotiorum undis imputo. Mih<sup>o</sup> tamen maximi munieris instar fuerint Celsitudinis Tuæ literæ, si promerear. Ut autem eam rursus interpellarem in causa fuit hic Antonius Grimbergius, Clarissimi Cordatissimique Principis Bergani Filius, qui in Regiam Britannicam commigrat, videlicet hoc agente Patre, ut dignus evadat suo Genere. Est autem Adolescens ingenii pudoris plenus, nec illiteratus, & Literarum ac Literatorum amantissimus: in Summa, ea in-dole, ut suumam de se spem præbeat, si Naturæ felici par accesserit Institutio. Hunc Pater ob hoc etiam tenerius deamat, quod omnium Liberorum minimus, veluti Posteritatis sacra sit ancora. Scit Vir Prudentissimus quantopere referat, inter quos ætas ea versetur, sic in bivio virtutum ac vitiorum consistens, ut levi momento hic aut illuc impelli possit. Persuasum habet, non aliam Aulam esse incorruptiorem, quæ præter Regem hujus Ætatis facile integerum, ac Reginam omnis Probitatis exemplar, tot habeat Viros Doctrina præcellentes, Morum innocentia commendatos, Gravitate venerandos, Prudentia consilioque suspicendos. Nec ignorat quibus illecebris Aulæ nostræ ad perniciem lubricæ ætatis sint instructæ. Proinde Cordatissimus Senex istam Aulam ceu Scholam unicam delegit, quæ Juvenem non Literas solum, verum etiam Mores bono Principe di-

dignos doceat. Neque enim dubium est, quin Juvenis hic magnis rebus natus, ad longe majora sit evehendus, si vixerit. Nihil addubito quin ille sit vobis summorum Principum literis diligenter commendatus, ut plane supervacaneum sit, meam accedere commendationem. Tamen quando id verecunde significavit verius quam petiit, visum est Celsitudini Tuæ paucis illius imaginem adumbrare. Quanquam eum nemo commendaverit efficacius, quam ipsius mores & ingenium cum primis amabile iis, qui Probitatem diligunt cum Eruditione conjunctam, quorum tu citra controversiam Antistes es, ac Princeps: quem precor, ut propitius Deus rebus humanis quam diutissime servet incolunem. Lovanii, pridie Lucæ, Anno M. D. XIX.

## ERASMUS BUDÆO

Suo s. d.

**L**ongolius, Homo impense doctus, mihiique multis nominibus jucundus, pro literis ad me tuis expostulationem attulit, quod duabus tuis epistolis proximis, nihil adhuc responderim. Ex quo conjicio, postremas meas literas tibi non esse redditas, aut tuum certe redditas non fuisse. Literas ad Vivetem hodie ab illo accepi, sed nondum legi: nec enim licuit per Longolium. Johannes Coletus Vir optimus, mihiique certissimus Amicus Londini periit hydrope. Tu cura mi Budæe, ut quam rectissime valeas, nosque, ut soles, ames. Lovanii, Id. Octob. Anno M. D. XIX.

ERAS-

## ERASMUS NICOLAO BERALDO

S. D.

**L**ongolius ex Anglia reversu, tuas mihi reddidit literas. De Crabronibus nihil est quod metuas. Epistola illa tua felicissime cessit; Dorpius blandissime respondit. Theologi ultiro mecum egerunt de Pace, & sarta est hac lege, ut sit omnium superiorum Amnestia. Dorpius etiam edita Oratione testatus est se mutasse sententiam. Proinde de hujus constantia plane confido. Cum cæteris sic convenit, ut tamen observem quid agant. Dabo operam, ne mihi rupti Fœderis crimen possit impingi, sed excubabo, ne interoscitans opprimar. Scripsi ad te nuper per Augustinum Medicum Frisicum, per quem misi & Dorpii Orationem. Saluta Ruzæum, Deloinum, & Ruellium. Bene vale Doctissime Beralde. Lovanii, Idus Octob. Anno M. D. XIX.

## ERASMUS ALOISIO MARLIANO,

Episcopo Tudensi,

S. D.

**M**ajorem in modum gaudeo Reverende Pater, Amplitudinem Tuam nobis esse redditam, ne nullus mihi Patronus sit in Aula, posteaquam obiit Sylvagius, nec reddit Barbiriuss. Neque enim dubito, quin eum animum sis præstaturus Erasmo, quem hactenus semper præstitisti: quem ipsum non tam mihi præstabis, quam optimis Studiis, quibus, quoniam im-

pense

pense faveo, multos habeo qui mihi non favent. Mitto Apologiam qua respondeo iis, qui me traducebant apud populum, quod vertissem: in Principio erat Serino. Vel ex hac re licet illorum stoliditatem malitiosam agnoscere. Qui has perfert est Huttenus ille facundissimus Eques & Orator bellacissimus, Juvenis candidissimi pectoris, & tuo dignus amore: nisi plane fallor. Pro consilio tuo tum amico, tum prudenti, quod ex Barbirii literis accepi, gratiam habeo, & animus est sequi. Adissem ipse te. Sed adhuc tenella est valetudo, nam æstus superior, quem Phaëthon, opinor, rursus admotus solis currui nobis invexerat, me prope modum confecit. Bene vale. Anno M. D. XIX.

ERASMUS ROTERODAMUS MATHIÆ,  
Illustriss. Saxoniae Ducis Georgii a Decimis,

S. D.

**F**elicitatem istam tibi gratulor, Vir Ornatusime, qui tandem manumissus ab otiosis & odiosis Aulæ negotiis, decreveris in optimis Studiis consenescere. Alberti Ducis bellicæ rei peritia clari, quondam Adolescens nomen dunt taxat accepi in Hollandia. Pridem, quum apud Anglos agerein, Georgii Ducis mirificam quandam imaginem mihi depinxit illius Cancellerius. Atque cum hujus oratione mire consentiebant publicæ Famæ suffragia. Porro Friderici Ducis virtutes plus quam heroicas, non solum ex nostrorum Principum prædicatione, verum-  
etiam

etiam ex ipsis ad me literis ac xeniis nuper cognovi. Reddidit mihi Henricus Eppendorpius, rara indole Juvenis, & ipsa fronte Generis sui nobilitatem præ se ferens, tuo nomine tres argenti infecti massulas, ut e vestris venis sunt effossæ, quarum minima rubebat, maxima livebat, media pallebat. Majorem in modum me delectabat rei novitas, nunquam antea conspectæ. Tametsi, quod scribis me percupidum fuisse venarum vestiarum, scito mihi nunquam antehac in mentem venisse vestra metalla. In præsentia nihil est ad manum, quo tuam pensum Munificentiam, nisi quod tibi mitto Erasmus plumbeum, ipse plus quam luteus, aut si quid luto vilius. Porro cur mihi tuum nomen invideleris, admiror, quod in literis tuis nusquam adscriptum reperi. Hoc ubi natus ero, inter Amicos haud quaquam postremæ fortis adscribam. Bene vale. Lovanii, tertio Calendas Augusti, Anno M. D. XX.

ERASMUS ROTERODAMUS  
ALBERTO, Cardinali Maguntino.

**S**ubinde motis alis isthuc advolaturio, Reve rende Præful, ac Princeps longe Clarissime, sed semper aliquid oboritur quod hîc me alliget. Expectatur indies Carolus noster, adornatur sub Calendas Junias congressus duorum Regum, Galli & Angli, mirifico sane apparatu, admoneor, ne desim. Interim Umbram Erasmi mitto, nam Tuz Celsitudinis effigies apud me est.

est. Minimum igitur abfuerit, quin totum habeas Erasnum. Potiorem imaginem mei, si quid tamen mei probum est, habes in Libris expressam. Corporis effigiem insignis Artifex expressare fusili. Etiamsi quid adhuc superest Erasmi, id totum sibi suo jure vendicare poterit Tua Celsitudo, cui sum & semper futurus sum addicissimus, quæcunque corpusculum hoc habitura est Regio. Eandem florentissimam quam diutissime servet Christus Optimus Maximus. Lovanii, decimo octavo Calendas Junias, Anno M. D. XX.

ERASMUS ROTERODAMUS NICOLAO  
Præposito Edano s. d.

**V**ir Eximie, scribit ad me Bibliopola quidam Moguntinus sibi excudi nescio quid Libelli de Antiquitate Agri Moguntini, in quo prædicat visi molem quandam, quæ vocetur Drusiana: de ea si quid habes, aut in Commentariolis tuis, aut in memoria, majorem in modum te rogo, ut nobis impartiās. Bene vale. Lovanii, XIV. Calendas Januarias, Anno M. D. XIX.

## APPENDIX.

**A**udio vacare Ædes quasdam vicinas Scholæ, & in tua manu propemodum esse situm, cui debeant cedere. Neque nescit Tua Prudentia, quam incommodè habitat Nicolaus Busciducus, quantaque felicitatis portio sit, bene habitare, nec est necesse Hominem vobis

bis omnibus notissimum commendare. Rogo itaque, si citra tuum incommodum potes optimo Viro commodare, ut tui similis esse velis, eodem officio me quoque tibi devincturus. Rursum vale. Anno M. D. XIX.

## ERASMUS CUIDAM

ἀθυρογλώττως s. v.

**N**unquam tam male de te sensurus eram, nisi te ipsum adeo palam declarasses: toties tibi dixi id quod res est, rem in mea manu non fuisse, nec integra re te mihi loquutum de Professione. Sed finge quod non est: Executores totum negotium meæ fidei concredidisse, meque, te præterito, Goclenium ut magis idoneum prætulisse, quid erat, cur sic in me debacchareris, perinde quasi Avum tuum ferro necassem? Hæc me quidem leviter commovent, sed tui me miseret. Si quid fuisset spei, non defuisset officio: sciebam Executores nullo pacto propensos in te, etiamsi de tuo addidisses duodecim libras: hoc tibi nolebam indicare, quid enim erat necesse? Crede mihi, ista tua improbitate multorum animos abs te alienas, homines illici volunt, non cogi. Nimirum isti sunt mores, ob quos Abbas tam parce tecum agit. Non, ut opinor, antehac sum male de te meritus, si nihil benemeritus. Etiam nunc te admoneo, ut in posterum rectius sapias, & sapias tibi. Nam minimum est, in quo me possis lädere. Bene vale. Antverpiæ, pridie conceptæ Virginis Matris, Anno M. D. XVIII.

Y

ERAS.

## ERASMUS RICHARDO SBRULIO

Suo s. d.

Parum humanus videatur, qui succensat  
vel immodice amanti. Proinde non pos-  
sum non ignoscere tuis Carminibus, Eruditissi-  
me Sbruli, sane quam eleganter, sed nimis a-  
manter de me mentientibus. Neque dubito,  
quin Carminum horum candori, animi candor  
respondeat. Ingenii tui venam, non minus sin-  
ceram quam felicem, ac benignam, primum ex  
eo Carmine perspexi, quod sic ex tempore lu-  
sum Lovanii reliqueras. Jamque utriusque ani-  
mus utrique notus erat, quum neuter alteri de  
facie notus esset. Sed Familiaritas, quæ mihi te-  
cum intercessit Agrippinæ, non parum magnam  
accessionem adjunxit meæ de te existimationi,  
quum ea res fere soleat opinionis jacturam ali-  
quam adducere. Sed heus tu ! Optime Sbruli,  
ama tuum Erasimum quantum voles immodice,  
modo prædices parcus. Nostri vetus illud  
Jurisconsultorum Adagium. Nec omnia, nec  
passim, nec ab omnibus. Ut non est injucundum  
laudari a Viro laudato, ita non expedit apud  
quosvis prædicare, quæ tuus in nos amor sug-  
gerit animo tuo, ut ne dicam interim, quod  
quædam in me non competit. Minus nos  
gravat qui detrahit quod adest, quam qui tri-  
buit quod non habemus: tu vero quoties amo-  
ris œstro percitus bonis lateribus declamas, &  
omni genere armorum depugnas adversus eos,  
qui

qui minus Erasmo tribuunt, quam tua vellet  
in me Benevolentia, quæso quid aliud efficis,  
quain ut illos irrites ad pejus etiam de me præ-  
dicandum, & me degrades invidia, cuius non-  
nulla fortasse portio in te quoque derivetur?  
Ego jampridem ut obtrectationibus assuevi,  
ita laudum gloriæque sum satur, ingenue pro-  
fitens me nihil scire, quod possum, præsto: si  
non assequor quod conor, tamen in rebus hone-  
stis & arduis, vel conatus laudi dari solet: si  
quid labor, sic me consolor, homo sum, & hæc  
culpa cum nemine mihi non communis est: si  
quis me superat, gratulor publicæ Studiorum  
utilitati, neque mihi turpe duco, si cum ipse  
multos præcurrerim, existat aliquis qui me  
vicissim antevertat: nec ideo pilo futurus sum  
doctior, si me profitear omnia scire: nec ob-  
hoc sum indoctior, si cum Socrate fatear me  
nihil omnino scire. Quanquam omnino quota  
Cognitionis portio est omnis nostra Scientia?  
nam de mea nihil dicam. Ego meam Fabu-  
lam propemodum peregi. Supereft ut addam,  
valete & plaudite. Gaudeo passim exoriri, qui  
meum nomen, si quod tamen est meum no-  
men, sint obscuraturi. Omnibus his precor,  
ut res optime succedat, sed tibi cumprimis  
Sbruli Candidissime, quem utinam Cæsaris no-  
stri Benignitas inauret. Bene vale. Agrippinæ,  
Idibus Novebris, Anno M. D. XX.

ERASMUS ROTEROD. JOANNI ROBINO,

Decano Mechliniensi,

S. D.

**V**ir Eximie, vides humanæ vitæ Scenas.  
Quid facias? Non aliter constat hæc Fa-  
bula. Paulus gloriatur se vincatum esse Jesu  
Christi. Rutgerus gloriari potest se vincatum  
esse Collegii trilinguis. Dissimilarent quantum-  
libet, hoc Collegium illos pessime habet. Atque  
hæc auguria mihi portendunt, olim florentis-  
simum futurum. Sic natum est Romanum Im-  
perium. Sic crevit Hebræorum Gloria, sic or-  
ta, sic propagata, sic constabilita Christiana  
Religio. Nulla res egregia, nisi difficilibus ini-  
tiis nata est. Argumentum omne cognosces ex  
Barptolomæo, qui fuit non modo spectator, ve-  
rum etiam affinis periculo. Ut sunt res humanæ  
non usquequa puræ, etiamsi quid commis-  
sum esset, tamen Humanitatis vestræ fuerat ali-  
quousque favere Professori. Nunc & tali & in-  
nocentissimo, multo minus debetis deesse. Do-  
ctor an inveniri possit nescio, certe diligentio-  
rem, ac moribus puriorem, vix invenias. Utimur  
eadem mensa. Et inter pocula quidvis garri-  
mus. Ille tot modis fuit laceitus. Hunc enim  
studio expetunt, ne quid offendant magis ma-  
sculos. Nec unquam tamen audivi illum quic-  
quam impotentius loquentem. O pectus vere  
Christianum. Modo cum Paulo contuli Rutge-  
rum, qui hac certe parte vincit, quod qui Pau-  
lum

Ium affligebant, errabant: nimisrum alieni a Professione Evangelica. Hi Proceres Christianæ Doctrinæ prudentes de composito hæc designant: inhibuerunt & Nefenum, aggressum Geographiam Pomponii Melæ, qui, si domi suæ Lupanar aliquod instituisset, tolerandus erat. O sanctam Academiam, si cum aliis conferatur, sed dignam aliis, quorum arbitrio temperetur! Mihi multis modis videtur hoc mereri Rutgerus, ut illi Salarium, quod jam aliqua portione est auctum, augatur usque ad octodecim libras. De Professore Latino prospectum est, ni fallor, ex animi vestri sententia. De Hebræo non possum judicare, sed consulam eos, qui sine dubio possunt. Excellentiam Tuam incolumem servet Jesus Optimus Maximus. Lovanii, Calend. Decemb. Anno M. D. XIX.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Theologo cuidam s. d.

**E**ximie Vir, miratur Homerus Mortalibus nullam esse Belli satietatem, cum rerum cæterarum omnium sit saturitas. At ego magis demiror, nobis nullam esse tumultuandi satietatem. Audio denuo magno studio quosdam nescio quid moliri in me, & inquirere in Libros meos, quod nunquam ipsis venit in mentem, nisi cum irati cupiunt ulcisci. At sperabam Ateni mortuo, Studia fore tranquilliora, nec sperabam fore, ut hac in parte Helias ille suos haberet Helizeos. Tu fac eum præstes, quem es

pollicitus. In Epistolis, licet ante concordiam editis, nihil est, quod cujusquam lœdat famam, nisi se prodat. Bene vale, & tranquillitati Studiorum consule, quod magis in rem vestram est, quam meam.

ERASM. ROTEROD. JODOCO NOETIO,  
Consiliario Brabantiae,

S. D.

**O**rnatissime Jodoce. Si Clarissimus simul & Prudentissimus Cancellarius favebit in hac causa libertati Studiorum, maxime faciet ex sententia Regis nosiri, qui haud dubie cupit suam Academiam quam maxime florere honestis Disciplinis. Quod objiciunt de supplicando, merum commentium est, & hujus quosdam jam pudet, quanquam alioqui satis perficitæ frontis. Res per paucos conjuratos acta est, qui sua Doctrina contenti magis student augendæ rei, quam Literis, nec curant quantum proficiant Juvenes, modo ipsi Lovaniæ suo regnent arbitratu. Nusquam est Academia, quæ modestiores habeat Juvenes, minusque tumultuantes, quam hodie Lovanium. Horum bonitate jamdiu abutuntur isti, & ingenuos Juvenes habent pene pro emptitiis mancipiis. At ille Consul, Consul non erat, qui ipse non esset Senator. Si quid murmuris aut tumultus est, ab ipsis est, non a Juvenibus. Mihi hic nec seritur nec metitur, ipse nec lego cuiquam, nec audio quenquam. A nemine colligo quicquam, do nonnullis. Sed tamen mo-  
vet

vet me publica causa Studiorum. Nescius Hos-  
pes est, & linguæ nostratis imperitus, quo magis favendum est Viro alioqui docto, integro ac modesto. Mitto tibi dono Volumen Epistolarum: quo cum erit otium, fallas horas aliquot. Bene vale, meque Magnifico Cancellario commenda. Lovanii, postridie Epiphaniæ,  
Anno M. D. XIX.

ERASMUS ROTER. MARTINO  
BRUXELLANO

S. D.

**U**t ad utrumque tuum epistolium unico respondeam, miror te solum nihil audire de Erasmo, cuius nomen per omnes etiam Tabernas obambulat. Epistolarum Volumen dono tibi mitto. Leum tentasse, neque tua mi Martine, neque mea referebat. An tu putas Christianam Charitatem, quæ nihil non complectitur, finibus usque adeo angustis esse sepiendam, ut non possis Leo Amicus esse, ni mihi Amicus esse desinas? Hi tumultus plane fatales nihil ad te pertinent, quo mihi videre felicior. Proinde tu te Sacris Autoribus evolvendis oblecta. De recognitis Proverbiis non est quod labores. Pauca quædam loca modo castigavimus, quæ tu facile describes in tuum Volumen. Bene vale.  
Anno M. D. XVIII.

ERASM. ROTER. JACOBO VILINGERO,  
Romani & Hispan. Regis Thesaurario,  
s. d.

Quod de nomine duntaxat tibi notus ad te scribo, Vir Incomparabilis, non debes imputare meæ impudentiæ, sed tuæ ab omnibus prædicatæ Humanitati. Quod si me ab impudentiæ criminè non absolvis, certe levius damnabis, si cogitaris hanc improbitatem ab Humanitate profectam esse. Nam ut sic auderem, extorserunt a me hujus egregii Viri Joannis Fabri preces vel merita potius. In quo cum tot egregias Dotes perspexerim, raram Morum integritatem, Eruditionem haudquaquam vulgarem, Judicium acre, Fidem & Humanitatem incredibilem, existimabam me gratiam etiam initurum apud Tuam Celsitudinem, qui tibi Hominem efficerem notum, aut si jam notus est, efficerem notiorem, qui pro tua singulari Probitate proque Fide erga Principem, soles impense favere iis, quorum virtutibus intelligis ornari simul & fulciri Monarchias: inter hos vel me autore pones hunc Joannem Fabrum, si quid omnino judico, non vulgare Decus Ordinis scii, qui vel citra nostrum officium se tibi suis dotibus abunde commendabit, ubi propius Hominem inspexeris. De me ipso non video quid possim polliceri, animum certe ac studium fidemque policeor, si qua in re voles Erasmi in te observantiam explorare. Bene vale.

vale. Lovanii, quinto Nonas Octob. Anno  
M. D. XX.

ERASMUS ROTERODAMUS

Thomæ Moro suo

s. d.

**N**æ ad istius exemplum perversissimo iudicio  
videmus esse Patrum Vulgus. Corpori Li-  
berorum anxie prospiciunt, animi possessionibus  
neglectis, cum frustra, imo cum suo malo possi-  
deat opes, qui nesciat uti. De Puerò nec ago  
gratias, nec tu novi quicquam fecisti, cum nun-  
quam non sis tui similis. De Lodovici Vivis inge-  
nio gaudeo meum calculum cum tuo consentire.  
Is unus est de numero eorum, qui nomen Era-  
mi sint obscuraturi: nec alii tamen magis faveo,  
& te hoc nomine magis aino, quod huic tam  
candide faves. Est animo mire philosophico.  
Heram illam, cui sacrificant omnes, litant per-  
pauci, fortiter contemnit. Et tamen tali Ingenio,  
talibus Literis non potest deesse Fortuna. Non  
alius magis idoneus, qui profliget Sophistarum  
phalangas, in quorum castris diu meruerit. Adero  
Caleti si valetudo suppetet, ut Amicis omnibus  
extremum complectar, ac vale dicam. Bene  
vale, Amice incomparabilis. Anno M. D. XIX.

ERASMUS ROTEROD. PAULO RITIO

s. d.

**L**ibellus tuus, Eruditissime, Riti me paulo  
æquiorem reddidit negotio Cabalistico:

quanquam antehac non eram admodum infensus, siquidem ignoscendum arbitror, ut humandum vitium, si quisque faveat iis Studiis, in quibus & pluriuum insumpit temporis, & se præcipue valere confidit. Cæterum istos quis ferat, qui quicquid non intelligunt tam acerbis, tamque pertinacibus odiis persequuntur? Neque vero uno nomine mihi placuit Opus. Eruditio, quæ tibi perpetua est, hinc mihi non potuit esse nova. Sed imprimis arrisit candor ille & perspicuitas, quæ rem ita ponit ob oculos, ut cæco quoque possit esse conspicua. Arrisit animus iste Gratiis & Amicitiae natus, qui tanto studio tuetur Hominis Eruditissimi innocentiam, adversus impudentissimos Sycophantas. Arrisit denique te, hoc est absoluto veroque Philosopho, digna moderatio: qua sic fortiter patrocinaris Amico, ut a convitiis in Adversarium temperes, magis reputans quid te, quam quid illo dignum esset. Nam brevitatibus non perinde faveo, cum mihi licet occupatissimo perfectum opus famem sui reliquerit. Bene vale, Doctissime Riti. Agrippinæ, Anno M. D. XX.

ERASMUS ROTERODAMUS  
RICHARDO PACÆO

S. D.

**S**ero mihi redditum est tuum epistolium, jam te concidente equos. Cupiebam tecum colloqui, & fortassis adhuc dabitur. Ex animo gratulor tibi nova Dignitate aucto, cuius Meritis

ritis nunquam par Fortuna responderit. Si non  
dabitur colloqui, commendo tibi negotium non  
tam meum quam Literarum. Quod enim moli-  
tur Leus ὁ πατάριος, non ad me proprie perti-  
net, fortassis ad vestram Britanniam pertinet,  
cujus nonnihil refert, opinor, ut laudum sua-  
rum præconem habeat honestum. Scio perpu-  
fillum esse laudis, quod illi ex meis Lucubra-  
tionibus accessit, tamen hoc ipsum illi Leus in-  
videre videtur. Theologi novum μηχανημα  
commenti sunt adversus Collegium trilingue.  
Id cuiusmodi sit ex Mori literis cognosces.  
Bene vale, Patrone Singularis. Antverpiæ,  
M. D. XX.

ERASMUS ROTERODAMUS ALBERTO,  
Cardinali Moguntino,

S. D.

**G**estientem advolare isthuc in tuos com-  
plexus, hactenus aliquot negotiola deti-  
nuerunt, verum, si posthac cœlum dabitur com-  
modius, adero brevi Coloniæ. Epistolam,  
quam tuæ Celsitudini de Luthero scripseram,  
editam doleo. Ego certe bono animo scripse-  
ram, sed non in hoc scripseram, ut ederetur:  
neque cuiquam a me fuit exemplaris copia. In-  
cluseram eam literis ad Huttenum obsignatis,  
admonens, ut, si videretur expedire, redderet in  
tempore: sin minus premeret, aut aboleret.  
Quo magis admiror, quo consilio factum sit, ut  
& ederetur per Typographos, nec tibi redde-  
retur.

retur. Si hic casus fuit, fuit infelicissimus: si perfidia, plusquam Punica fuit. Utinam hic Johannes Faber, Ordinis Dominicani, Tuæ Celsitudini tam esset commendatus, quam merentur Hominis eximiæ Dotes, ingenium promptum & expeditum, judicium excussum, eruditio solida & abstracta, lingua felicissima, mores candidi facilesque. Video Tyrannidem quorundam nimium succedere. Nec aliud mihi succurrit, quam precari, ut res tota cedat in gloriam Christi, ut cunque cedet nobis. Bene vale, meum Decus. Lovani, postridie Nonas Octob. Anno M. D. XX.

ERASMUS ROTERODAMUS GO-  
THOFREDO RHODO STEGRI

S. D.

**U**t serius ad tua Scripta responderim, Rho-de Charissime, Turba me literis atque etiam libellis interpellantium fecit, ne quam inhumanitatis, aut fastidii suspicionem de me concipias. Ingeris mihi meos labores, qui utinam aut tam utiles essent Orbi, aut tam felices Autori, quam sunt numerosi. Sed quam mihi displicui in tuo speculo, tam tuum mihi placuit ingenium. Neque enim illic te minus vidi, quam meipsum, ac libentius tuam faciem contemplatus sum, quam meam. Placuit ingenium sanum ac felix, sobrium, nihil habens ineptiæ, placuit candor ac modestia, placuit phrasis, nec affectatione molesta, nec inanibus verbis redundans.

dans. Jam illud etiam vehementer sum admiratus, te in Carimine, quo vix aliud legibus adstrictius, tam commode, quod sentis, eloqui, præser-tim cum argumentum tractes & jejunum & in-ancenum. Et haud scio an hoc consilio sum-pferis sterilem & infelicem materiam, quo ma-jor esset ingenii tui gloria, qui potueris ele-phantum e musca facere. Nam illud mihi dis-plicuit, quod immeritis & immodicis laudi-bus, nihil aliud quam oneras Erasmus. Quan-quam hoc jam adeo solenne est Generi Poëtico, ut ceu Jure præscriptionis id recte facere videan-tur. Quod nisi Fortuna tam iniqua essem, ut ne-mo poslit a me illum sperare officium, fortassis existerent qui sua suspicione non minus te gra-varent, quam me: te qui me laudibus captas-ses, me qui laudibus hujusmodi delectarer. Quo magis miseret me tui, qui tantum laboris absque fructu susceperis, quandoquidem ne illud qui-dem gratiæ redditum est a me, quod invicem fibi præstant ac referunt juventa, mutuum sca-bentia. Ne tamen nihil omnino rependam of-ficii pro tam candido animi tui in me studio, consulto, ut posthac bonas horas in melioribus Libris colloces, nec unquam in manus sumere velis Erasmi nenia, nisi quum nihil est bonorum Voluminum: ad hæc si quando voles exercere stilum & exercere venam ingenii tui, deligas ar-gumentum felicius. Vale mi Rhode, tam habi-turus Erasmus faventein, quam tu de Bonis Li-teris bene mereberis. Lovanii, Anno M. D. XX.

ERAS.

## ERASMUS ROTERODAMUS

THOMÆ LINACRO

S. D.

**N**on sine magno animi dolore audio ex Amicis, valetudinem tibi factam incommodorem: Homini mehercle digno cum primis, quem nec Senectus attingat unquam, nec Morbus ullus. Sed quando hac lege nascimur omnes, nec sunt ullo pacto exorabiles Parcæ, enitendum est, ut, qua licet, etiam a Fatis ipsi nobis simus superstites. Porro ut æquioribus animis cedunt e rebus humanis Parentes, qui viderint Liberos suos ad aliquem vitæ statum evectos: ita nonnihil est editis Vigiliis nostris, interim ceu prægustare, quid Posteritas de nobis sit iudicatura. At tu si mihi permittis, ut libere tecum agam, sine fine premis tuas omnium eruditissimas Lucubrationes, ut periculum sit, ne præcauto modestoque crudelis habearis, qui Studia hujus Seculi tam lenta torqueas expectatione tuorum laborum, ac tam diu fraudes desideratissimo fructu tuorum Voluminum. Fortasse terret te nostrum exemplum, sed etiam atque etiam vide, dum studiosius vitas nostram culpam, in diversum deflectas. De me quicquid tibi audes polliceri, scito semper fore promptissimum. Bene vale Vir Optime, ideisque Doctissime. Brugis, Natali divi Bartholomæi,

**Anno M. D. XXI.**

ERAS.

ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ  
LUPSETO s. d.

Ut acerbus mihi fuit rumor de morbo tuo mi-  
Lupsete, ita vehementer gaudeo te no-  
bis reviviscere Coleti nostri Vitam epistola com-  
plexus sum: si parum graphice videbitur ex-  
pressus, tibi partim imputabitur, qui me parum  
ad plenum instruxeris Viri coloribus, quod qui-  
dem nemo te melius poterat. Porro quod ad  
ejus Viri formam velutique præscriptum vitam  
instituis, non possum non vehementer probare,  
modo delectum adhibeas. Probum quidem ex-  
emplar tibi proponis, sed in optimis præcipua  
sunt imitanda, nec ea tamen nisi accommoda-  
nec enim omnibus omnia congruunt. In illo  
præcipuum erat, quod sinceram Christi Philo-  
sophiam e purissimis Evangeliorum haustam  
fontibus gratis impartiit Populo, ut non absque  
Numine videatur illi contigisse Gentile cogno-  
men: siquidem Coheleth Hebræis dicitur Con-  
cionator, quem Græci vocant Ecclesiastes. Eam  
ad rem si te toto studio contuleris, aut ego pla-  
ne fallor, aut Coletus non inferior evades. Cæ-  
terum, quod illius exemplo tibi cœnis in totum  
interdicis, equidem non approbo, nec in illo  
probabam. Quodsi sentis corpori tuo pro vigo-  
re ætatis frenis opus esse, mea sententia felicius  
hoc præstabit moderatus usus cibi potusque,  
quam multa perpetuaque inedia. Bona Conti-  
nentiæ pars est, certo animo velle continere:  
huic

huic si accesserit vehementis & assiduum Studium  
Sacrarum Literarum, non erit opus carnificina  
jejuniorum, quæ fortasse premunt Luxuriem  
Juventutis, sed ita premunt, ut Senectuti tradant  
valetudinem invalidam, atque ita coërcent  
corporis calorem, ut lœdant animi vigorem.  
Optimæ Matri tuæ precor Mercurium dextrum  
ac propitium, quæ cum tot Monstris linguacis-  
simis sola depugnat sua lingua. Quodsi mihi hîc  
decem essent isti similes Propugnatrices, liceret  
in utramvis dormire aurem. Profecto unam ar-  
bitror dignam, quæ repubescat. Optimo Patri  
multam ex me salutem dico. Cura ut quam  
optime valeas, Charissime Lupfete. Saluta Guil-  
helmos duos pari candore præditos, Gonellum  
& Dancastrum. Præterea Gerardum quondam  
Coleti Oeconomum. Brugis, decimo Calend.  
Sept. Anno M. D. XX.

ERASMUS ROT. JOANNI SCHUDELINO,  
Literatori Meinmingensi,  
s. n.

**G**abriel Stendelinus, homo mihi multis no-  
minibus charus, facile effecit, ut boni con-  
sulereim quod ignotus me tuis literis interpellâ-  
ris. Plus ille potuit apud Erasmus, nimirum ut  
occupatissimus licet, si non rescriberet, certe re-  
salutaret eum, a quo sic esset ad Amicitiam pro-  
vocatus. Quod isthic, ut ais, tantum tribuitur  
meis Lucubrationibus, si vera prædictas, gau-  
deo meas Vigilias Bonis aliquot addere calcar  
ad

ad Studium Vitæ melioris, posteaquam adeo multos ad odium mei provocarunt. Tu fac mi Joannes, ut gnaviter incumbas in Provinciam, quam hactenus magna cum laude diceris obire. Neque perinde studio tibi sit digladiari cum veteris Inscitiae Hyperaspistis, atque ut rudi docilique ætati melioris Eruditionis ingenuæque Pietatis seminarium infundas. Si Principes non admittunt sana consilia, si Ecclesiæ Proceres auctoramenta Mundi præferunt Christi præmiis, si Theologi Monachique jam diu nimis adamatam Synagogam non possunt relinquere, si Populus a confuetis non potest avelli, superest tamen hæc una via, quæ spem bonam faciat fore, ut Mundus aliquando fese referat ad frugem meliorem, si vinum novum in utres novos indatur. Emerget olim hæc Seges, ac vel citra certamen opprimet hos non minus indoctos, quam indociles. Recte instituendis Pueris, & in lucem edendis Veterum Scriptis, paulatim evanescet istorum irreligiosa Religio, & illiteratæ Literæ. Hac igitur grassare, ac bene vale. Anderlaci, pridie Nonas Septembr. Anno M. D. XXI.

ERASMUS RÖTERODAMUS RICHARDO  
PACÆO s. d.

**D**e nostris Commentariis nihil audio ini Pacæe, quæ res gravius excruciat animum meum, quam quin in littore Dovariensi semel periret universa res pecuniaria. Cui de-

beam hanc imputare jacturam nescio, certe tuo  
animo nec libet imputare, nec possum. Librum,  
quem Regia Majestas conscripsit adversus Lu-  
therum, vidi tantum in manibus Marini Nun-  
tii Apostolici. Vehementer aveo legere. Nec  
enim dubito quin dignus sit illo longe felicissi-  
mo ingenio, quod mire valet, ubicunque sese  
intenderit. Olim prodigiosæ Pietatis habeba-  
tur, & Divorum dignum Catalogo, si Princeps  
copiis & armis depulisset Hostes a cervicibus  
Christianorum. At Henricus Octavus ingenio,  
calamoque, propugnat pro Christi Sponsa, satis  
declarans, quid præstaturus sit, si res arma fla-  
gitarit. At interim quod nunc præstat, ut mea  
sententia multo difficilius est, ita laudem soli-  
diorem imaginisque propriam illi pariet. Nam  
Bellicæ Rei laudem Fortuna partitur in multos,  
sæpenumero multo maximam partem sibi ven-  
dicens, hic quoniam res omnis animi præfidiis  
geritur, quicquid laudis est, uni proprie debe-  
tur Henrico. Quotquot colimus aut amamus  
Bonas Literas, ingratissimi simus, ni tale inge-  
nium veneremur atque exosculemur, quod mi-  
ris modis ornat commendatque Studia nostra.  
Porro confido fore, ut hoc pulcherrimum pla-  
neque rarissimum Exemplar multos Principes  
provocet ad æmulationem. An non pudebit  
posthac Sacerdotes, Monachos, Episcopos, nihi  
scire Rei Theologicæ, quum viderint Regem  
tantum, Juvenem tot negotiis distractum, eo  
progressum in cognitione Sacrarum Literarum,  
ut

ut Libris editis periclitanti Christianæ Religio-  
ni patrocinetur? Nec addubito quia id aliquan-  
to felicius illi successerit, quam nonnullis qui  
antehac in eodem Stadio vires suas periclitati  
sunt. Sed hac de re certiora scribam, ubi Li-  
brum devoraro, cujus legendi me mira quædam  
tenet aviditas. Nam Cardinalis Eboracensis  
pollicitus est, se facturum mihi copiam. Vehe-  
menter erat molestum, quod tu abesses ab hoc  
comitatu. Id tulissemoderatus, si vel epistola  
nos invisiſſes. Memento mi Pacæ, in cuius lo-  
cum successeris, & quid nobis promiseris. Ex-  
pecto enim ut efficias, ne Coletum magnopere  
defiderem. Tu majus etiam quiddam es polli-  
citus. Abunde satisfeceris & meis votis, & tuis  
promissis, si per te licebit recipere nugas, quas  
apud te deposuimus Ferrariæ. Bene vale, Vir Or-  
natissime. Brugis, decimo Calend. Septemb.  
Anno M. D. XXI. Marcus Laurinus Decanus  
apud sanctum Donatianum, Hospes meus, tui  
amantissimus, rogavit ut suis verbis tibi multam  
salutem adscriberem.

ERASMUS ROTERODAMUS HENRICO  
GRUINGIO, Decano Embricensi,

S. D.

**B**revis Epistola tua paucis me non paucis  
docuit. In primis Virum esse te melioris Li-  
teraturæ non vulgariter peritum; deinde singu-  
lari Modestia atque Humanitate præditum; po-  
stremo, benevolentem Erasmo, quem admoneas

tam amice, neque male de ipso sentientem, qui tam simpliciter admoneas: nimirum intelligens eum multum abesse ab ingenio vulgarium Hominum, quos offendere solet officium, quo vix aliud præstari potest amicius. Quare posthac nomen tuum mihi scribetur inter selectos Amicos. De loco mutato plane tue subscribo sententia, & primo quoque tempore sarcietur, non sine honorifica tui mentione. Res agebatur per tumultum. Nec vacabat in tam vasto Mari Historiarum executere singula. Debeo tibi, Vir Optime, plus etiam debiturus, si quod facis, facias frequenter. Bene vale. Lovanii, Nonis Martiis, Anno M. D. XX.

ERASM. ROT. CONRADO SCHUTERA-  
NI ET LAURENTIO ETHONIS  
Monasteriorum Abbatibus, Provinciæ  
Brisgaudiæ, s. d.

**Z**asius ille nihil facit novi, qui dum sic ubique prædicat Erasmus, ut ex Musca plusquam Elephantum faciat, non vobis solum, verum etiam aliis multis imponit, sed prius ipsi imposuit amor quidam immodicus. Quanquam hac in parte prorsus ignorat rerum mearum statum. Nullus est Mortalium, qui libentius abstinet ab Aulæ commercio, quam Erasmus. Et illic valere non potest, nisi qui subinde suo fultus Choro, Fabulæ partem agat. Ego nec Factiones ambire possum, nec ingerere memet, nec alium cubito protrudere. Nec ignorat Vesta Prudentia, qualis sit Aula Cæsaris: nimirum Bellua capitum innumerabilem,

lium, adeo ut si mihi incidat aliquid negotii, malim jactura rei Otio meo consulere, quam persequi. Adscitus quideam sum in Ordinem Consiliariorum, sed ita, ut ne vocatus quidem adsum, tantum abest, ut memet ingeram. Et tamen non gravabor Causam vestram pro viribus adjuvare, si se dederit occasio, quanquam citra meam operam non dubito quin sit successura, nimirum justissima, apud Principem Justissimum. Habet enim Carolus praeter alias egregias Dotes, illud vel præcipue dignum Imperio, quod æqui justique tenacissimus est, & falli quidem potest, corrumpi vero non potest. Id eo magis confido fore, quod ut scribitis, jam vos cœperit illius Clementia tueri adversus violentiam illius, qui vobis facescit negotium. Bene valete Patres ac Domini, cum primis colendi mihi atque observandi. Lovanii, Calend. Octob. Anno M. D. XIX.

ERASMUS ROTER. RICHARDO  
PACÆO s. d.

**E**x Officina Frobeniana scribunt Eruditi quidam Polydori Proverbia maiusculis formulis excudi, charta tam insigni, ut non aliud Opus dignatus sit Frobenius majore vel honore vel cura. Addet Opus de rerum Inventoribus, simili dignitate. Idque facit hortatu, imo impulsu meo. Nam ille plane remiserat Opus Antwerpianum per Hieronymum Filium, nec ullis rationibus adduci potuit, ut aggrederetur. Exibit utrumque proximo Mercatu Francfordiensi bonis

avibus. Eat nunc Polydorus, & credat Susurronibus, qui jactitant me invidere illius gloriæ. Intelligo Morum e Consiliario Regis factum esse Thesaurarium, quod Muaus cum honorificum est, tum Salarii non poenitendi. Ut video, tam feliciter illi succedit Aula, ut me illius misereat. Sed me recreat, quod iterum sui videndi spem aliquam facit in mensem Augustum. Verum illud mi Pacæ me male cruciat, quod de Commentariis Romæ relictis nihil audio. Quæso, ne quid te sumptus moveat, quo minus hic referantur: non fiet tuo dispendio, reddetur impendium vel ad assen. Si redeat modo secundus Liber Antijbarbarorum, cæterorum jacturam facile patiar. Bene vale. Ex Rure Anderlaco, 3. Id. Jun. Anno M. D. XXI.

**ERASMUS ROTEROD. ANDREÆ CNOPHÆ,** Sacerdoti Optimo,

S. D.

**E**x tribus epistolis, quas aīs te mihi scripsisse, duas dūntaxat accepi. Primum nemo dabatur, per quem responderem. Tandem Coloniæ offerebat se nescio quis: is cum semel atque iterum me frustra convenisset, non reversus est, desperans opinor: nec tamen id accidit mea culpa, sed nec otii dabatur tantum, nec solitudinis. Atque ut ingenue dicam, quoniam nihil videbam in tuis literis, quod magnopere flagitaret responsum, non eram rescripturus, nisi tu tot obtestationibus, tot obsecrationibus mecum ageres.

res. Menteſ tam piam, tamque avidum Christianæ Doctrinæ ſtudium, vehementer exofſeñor. Nam utrumque teſtatur epiftola tua. Quæ quidem res hoc plus laudis meretur in te, quod hæc facis inter eos, qui, ut ſcribis, magis agunt negotium ventris quam mentis: ad hæc vicinus Rutenis, quos intonſos & impexos appellas, ob Morum, opinor, Cultusque barbariem: ut enim recte dictum eſt, eum egregie probum eſſe oportet, qui Athenis pròbus eſſet: ita qui vicinus Hæreticis, non deflectit a Fide Catholica, qui permixtus Barbaris, gulæ ventrisque Mancipiis, totus vivit honestis Studiis, nec ullo malorum contagio corrumpitur, is insigniter bonus fit oportet. Porro ſi ex me quaeras conſilium, nihil audies, niſi ut quod facis, strenue pergas. Nam ipſiſſimam viam mihi videris ingreſſus, qua perveniatur ad veram Felicitatem: neque enim dubito, quin huc quoque pro virili contendas, ut quos poſſis ad tuos Mores adducas. Atque adeo demiror, cum multi ſint ubique Paſtores, neminem exoriri, qui clementiſſimi Paſtoris exemplū imitetur, quem non piguit ob unam ovem erraticam, tantum malorum perpeti. Decimas qui petant, video permultos, qui fitiant animarum ſalutem, prope nullos. Hic Monachorum plena ſunt omnia, ubi nihil eſt discriminis, & Meſſis ampla. Quin Rutenos magis adeunt, eosque ſua Doctrina, ſuaque Sanctimonia, revocant ad Caulas Eccleſiæ? Hic fulciunt Eccleſiam, cui magis oneri ſunt, quam

usui. At ubi res poscit ingenue germaneque Christianum, qui pro lucro Christi subeat capitales periculum, ibi nusquam apparent: ita dum suis quisque commodis studemus, negligitur Populus Christi. Ac, proh dolor! nostri Mores partim in causa sunt, quo minus multi se conferrant ad Factionem nostram. Legunt Evangelicam & Apostolicam Doctrinam, & vident ab hac vitam nostram longe lateque discrepare: non iam loquor de Vulgo, quod tale fere est, quales sunt ii qui præfunt, sed de Proceribus Ecclesiæ, de Sacerdotibus ac Monachis. Bona pars servimus quæstui, aut ventri, aut gloriæ, aut tyrannidi. Fidei nomen prætextus tantum est. Hoc illos alienat, quos oportebat mansuetudine, tolerantia & officiis allicere: sed tamen bona quædam spes habet animum meum, posteaquam video & isthic esse, qui sic flagrant amore Doctrinæ Evangelicæ. Paraphrases absolvimus in omnes Epistolas, præter eam, quæ fertur ad Hebræos. Addidimus Paraphrasim in Epistolas Petri duas, Judæ unam, & Jacobi unam, brevi daturi quod superest Epistolarum Apostolicarum: sic enim visum est Amicis Eruditis. Non displicuit Carmen tuum, quo mihi bene precastis: at ego tibi vicissim absque Carmine, sed sincerissimo pectore precor immortalitatem. Bene vale Vir Optime, inque tuis precibus Christo comienda. Lovanii, pridie Calend. Jan. Anno M. D. XX.

ERASMUS ROTEROD. JOANNI  
TURZONI, Episcopo Uratslavienſi,  
S. D.

**C**ur ita viſum eſt Superis, ut tanto inter-  
vallo diſjungant Montes & Flumina, quos  
tanta copulat Charitas animorum? Epifola tua  
poſt ſextum demum mensem mihi reddita eſt,  
una cum muſculis. Quorum nihil non fuſſet  
gratiſſimum, etiamſi minimi pretii fuſſet, vel  
hoc nomine, quod a tali Praefule, ſed multo  
magis quod a tali animo proſificeretur. Nunc  
& pretii magnitudine, & ipla novitate, & Auto-  
ris titulo commendabantur: ſed in hiſ tamen  
nihil mihi tam charum eſt viſum, quod Epifola  
tua non ſuperaret, quam iam alteram accepi, tuis  
iſtis articulis deſcriptam, tuo iſto ingenio con-  
ditam, quo magis etiam refert imaginem animi  
tui, Deum immortalem! qualis? Faxit Deus!  
ut iſtud pectus imitentur complures Epifopi,  
Proceresque, & imaginibus ſuis tam eximium De-  
eius adjungant, & Autoritatem ſuam Bonitatis ac  
Sapientiae cumulent accessione. Quam ardenteſ  
Virtutis amoreſ ſpirant illæ tuæ literæ, quan-  
tam ſitim Eruditioſis Christianæ? Ad hæc,  
quantum Candoris, quantum Modertiæ præ ſe  
ferunt? Quis credat hæc, a tanto Praefule, a  
tanto Princepe ſcribi? Nihilo enim minus mira-  
bilis eſt mihi tuus iſte animus, quod me præter  
meritum admiraris, ſiquidem hic error in per-  
ſona eſt, non in re. In hoc erras, quod Eras-

mum esse credis id, quod non est: sed non in  
hoc erras, quod ea veneraris, & expetis, quæ  
falso tibi persuades in nobis esse. Adnixi sumus  
Mundum nimis ad scholasticas argutias prola-  
pfsum, ad Veterum fontes revocare, ac plus satis  
fidentem Judaicis Ceremoniis, ad veræ Pietatis  
Studium accedere. Atque utinam hic meus co-  
natus tantum fructus attulerit aliis, quantum  
nobis attulit invidiæ. Meum incommodum  
multo levius ferrem, si cum multorum commo-  
do videreim coniunctum. Sed hoc viderit ipse  
Christus, qui, ni fallor, certe hunc animum pro-  
baturus est. Jam ut in tuis Munusculis etiam  
nonnihil philosopher, gratulor tuæ Ditioni, e  
cujus venis aurum tam elegans ac purum eruitur,  
sed tu beatior, qui e Divinorum Voluminum  
longe felicioribus venis, tam avide scruteris au-  
rum Evangelicæ Sapientiæ, quo locupletes Gre-  
gem tuæ fidei concreditum, velut opulentus quis-  
piam Paterfamilias e divite Thesauro proferens  
nova ac vetera, multum dissidens ab Episcopis  
plerisque, qui pulcherrimam Functionis suæ  
partem in fordidos quosdam relegant, nec pro-  
batos, nec exploratos, quiun ad id muneris ne-  
minem oporteat admitti, nisi quem Eruditio  
Christianæ, quem Morum integritas, quem re-  
rum Usus, ac Prudentia non vulgaris commen-  
det. Duobus Horologiis inscriptum erat: Festi-  
na lente: atque hanc quidem Inscriptionem au-  
dit pulvisculus ille per minutissimum foramen  
lente defluens, hæc me scribente: sed magna ce-  
leri-

Ieritate Vita nostra avolat & advolat, Mors nihil segnus, etiamsi non defluat harenula. In altero superne inscriptum erat: Festina lente; & inversum Horologium ostendebat Mortis imaginem: quæ utinam tibi mi Turzo lenta veniat, digno profecto qui sis immortalis, non tantum longævus, nisi hæc esset Fortunæ invidia, ut si quid extiterit in rebus humanis eximium, id quam ocissime tollat e medio. Quod omen aste velim quam longissime abesse, quem & ex tuis literis, & ex aliorum prædicatione, tam multis ac raris animi Dotibus præditum esse video, ut Generis Claritudo, ut Opes, ut Pontificia Dignitas minima portio sit tuorum Ornamentorum. Pileum non poterit mihi esse usui, nisi domi. Nam & magnificentius est, quam ut conveniat Homini tenui, (nisi forte & hic erras, ut putas Erasimum esse aliquid) & alienius a more hujus Regionis. Olim, juxta Proverbium, Bonos Viros decebant omnia, nunc non nisi Potentes omnia decent: tamen servabitur, & in hoc potissimum, ut Turzonis memoriam mihi refricet. Aureum Numisma multos exercuit, aliis conjectantibus esse tres Noë Filios ex Arca revertentes, & ex altera parte Columbam olivæ ramum deferentem: aliis, Duces duos, qui medium captum ducerent, & Aquilam Lauri ramum in Coronam deflexum gestantem. Subscriptionem nullus adhuc legere potuit, neque Græcus, neque Latinus, neque Hebræus. Video quain sim ingratus, qui pro tot Donariis, proque Epistola, tam eleganti, tam ami-

amica, præter frigidum Epistolium nihil repen-  
dam, sed alias dabitur occasio: interim cura ut  
recte valeas, Præsul Optime. Lovanii, pridie Cal.  
Septemb. Anno M. D. XX.

ERASMUS ROTERODAMUS LEONTIO  
Suo s. d.

**B**oni consulam audaciam tuam, qui ignotus  
ad ignotum scripseris, si tu vicissim boni  
consulueris, quod occupatissimus tam parce re-  
pondeam, ut prope nihil respondeam. Quod  
Musarum Cultor es, magnopere laudo: quod  
affidue depugnas cum Amusis, non probo. Ne-  
gligendi sunt, qui vinci non possunt: & ita  
sunt hæc Studia commendanda, ne tamen odio-  
se damnentur, quibus alii magis capiuntur. Cer-  
te non expedit irritare Crabrones. Cæterum  
quæ nos scripsimus, non in hoc scripsimus, ut  
invehantur Templis, sed ut domi legantur. Atque  
isto tuo studio immodico nihil aliud mihi quam  
invidiam paris. Ego nihil honoris istiusmodi  
promereor, alioqui ne promeritis quide[m] ape-  
riuntur Templa, nisi a rogo, ut ajunt. Ac mea  
quidem sententia, plus efficies, si quod operæ su-  
mis in rixando cum Adversariis fortasse deplo-  
ratis, id infumas erudiendæ Pubi, aut Juvenibus  
spei melioris. Felicius irrepent Bonæ Literæ,  
quam irruipent: ac facilius coalescent, si ci-  
viliter semet insinuent, ut Hospites, quam si ir-  
ruant ut Hostes. Nos quod possumus gratis ac  
libenter impartimus: si quis adferet meliora,

non

non gravate cedimus. Porro cum clamoris Rabulis certamen non nisi coacti suscipimus, imo ne coacti quidem. Porro Vita nostra nihil habet memorabile, nisi quod opinor Fortunam nulli constantius infensam fuisse. Proinde tu si me audies, aliud argumentum tibi quæres, imo quodvis aliud citius tibi sumes quam hoc. Bene vale. Bruxellæ, Anno M. D. XX.

ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ  
BEDELLO s. d.

**D**e Præfulis Optimi in me studio, ut rem mihi longe gratissimam, ita minime novam nuntias: sed quod toties objurgas me, qui nihil ab illo petam, facis inclementer mi Bedelle. Imo jampridem oro, ut ingens aliquod Sacerdotium conjiciat in caput meum. Non dubito quin ille sit huic corpusculo superstes futurus, sed tamen in rebus humanis certi nihil est. Verum ne nihil impudenter faciam, in præsentia cuperem mihi rursus numerari Anni venturi Pensionem, aut certe Syngrapham mitti, per quam hic, aut apud Italos recipiam. Adorno enim profectionem in proximam Quadragesimam, sed æstivaturus Basileæ, fortassis illinc repetiturus Italianam, nisi quid extiterit in hoc Principum Conventu, quod me remoretur. Paulus non nisi ferme lapidatus fuit, hic ego quotidie lapidor Dominicanorum & Carmelitarum convitiis, idque & nominatim, & in publicis Concionibus. Sed nihil

hil aliud efficiunt, nisi ut Populus etiam intel-  
ligat, illos agitari malis Furiis. Archiepisco-  
po, unico Mæcenati meo, multam ex me fa-  
lutem dicio, post hunc Doctori Welles, & Hu-  
manissimo Oeconomio. Bene vale, mi Pyla-  
des. Lovanii, pridie Circumcisionis, Anno  
M. D. XX.

ERASMUS ROTERODAMUS  
HENRICO GLAREANO

S. D.

**L**iteras tuas, Basilea huc allatas, reddidit  
mihi Hieronymus Frobenius. De amore  
in te meo nihil remisi, etiamsi de hujus corpo-  
sculi vigore quotidie aliquid decerpit, quin  
ætas, tum Studiorum semper increscens labor,  
sed multo maxime tedium, quod nobis adfe-  
runt isti Rabulæ adversus Bonas Literas, adver-  
sus sinceram Pietatem conjurati. Joannis Lasca-  
ris Consuetudinem tibi profecto gratulor, non  
est ille sui dissimilis, semper candidissime favit  
bonæ spei Ingeniis. Utinam eum Virum Deus  
juvandis optimis Studiis quam diutissime su-  
perstitem esse velit. Tu fac, ini Glareane, te mo-  
dis omnibus instruas, ut nobis mox lampadein  
tradituris, ita succedas, ut noinen Erasini pro-  
sus obscures. Bene vale. Saluta Cyprianum  
Taleum, Nicolaum Beraldum, Hermannum  
Phrysum, ac cæteros qui nobis isthic bene vo-  
lunt. Lovanii, M. D. XVIII.

ERAS-

ERASMUS ROTERODAMUS  
HERMANNO PHRYSIO

S. D.

Eruditissime Juvenis, ostendi Moro in literis tuis locum, qui ad illum attinebat: ille simulatque gustarat phrasim, totas perlegit, & amare cœpit ingenium tuum. Amo Brixii ingenium non vulgariter, phrasim admiror, sed utinam exerceret utrunque in arguento plausibiliore. Contemnit, ut scribis, ille Morum: atqui vereor, ne sero sentiat illum sibi non fuisse contennendum: illud curandum Brixio ita stilum temperet, ut non solum eruditus, verum etiam Vir bonus & æquus habeatur. Consulat Amicos suos graves & eruditos, Budæum, Deloinum, Ruseum, & Ruellium, potius quam juvenilem animi impetum. Brixius interpretatus est Dictum, nescio quod, ex meis ad Beraldum Scheditis, quasi ipsi priores tribuerim in Eruditionis laude: nec sum adeo indoctus, nec adeo Moro amicus, ut non perspiciam, quid inter eos interficit: imo volebam illum Musarum præfidiis certare, non convitiis. Et confido me hoc a Moro impetraturum, ut & ille premat, quæ jam adornavit dentatoria, quam ut vel a Moro, vel in Brixium scribi velim. Etiam atque etiam te rogo, hortare Brixium, ut in alio potius arguento suum ingenium exerceat, ita rectius consulat suæ Famæ. Bene vale. Saluta Beralduin meo nomine diligenter. Lovanii, M. D. XXI.

ERAS-

ERASMUS ROTERODAMUS  
 Clarissimo Juveni ANTONIO A  
 MARCA, Abbatii Belliloci,

S. D.

Persuaserat mihi ille, quem nosti, me initu-  
 rum haud mediocrem gratiam apud Tuam  
 Celsitudinem, si eam aliqua parte Studiorum  
 dicata provocassem, sed ut video res in diversum  
 exiit; hoc ipso videor alienasse, quo conabar  
 devincire. De ingenii tui candore, fide, con-  
 stantiaque non libet suspicari, nescio, utrum  
 idem ille gratiam officii mei corruperit, qui  
 ad officium instigarat, an Opus ipsum tuo ju-  
 dicio parum arrideat. De Promisso non gravo  
 pudorem tuum, volens atque ultro polliceba-  
 ris mihi nec postulanti, nec expectanti, ego vi-  
 cissim ultro volensque fidem tuam libero. Non  
 expostulabo quod res tentata non successerit ex  
 animi tui sententia, modo id præstes, quod  
 præstare tibi in manu est, ut Erasimum tui stu-  
 diosum redames. Nunc ipsa res me docet,  
 bonam Felicitatis partem esse, nihil magnopere  
 mirari: si anxie pependissem a tuis Promissis,  
 jam discruciarer frustratus, nunc ut leviter spe-  
 rabam, ita minimum sentio doloris adempta  
 spe. Rex ipse mihi longe majora detulerat,  
 quam tu audebas polliceri, tantum autem ab-  
 est, ut tibi succenseam, qui non præstiteris  
 quod receperas, ut gratiam etiam habeam,  
 quod optaris, quod conatus sis. Bene vale,  
 Vir

Vir Clarissime. Lovanii, 14. Calend. Martias,  
Anno M. D. XIX.

ERASMUS ROTERODAM. AUGUSTINO  
SCARPINELLO, Neapolitano

S. D.

**T**ale iter Hostibus eveniat, quale mihi contigit huc revolanti. Qui venti, qui nimbi, quæ inundatio? Parum absuit quin in ipsis montibus naufragium fecerimus, nam equis erat navigandum. Equus Famuli vix enatavit incolumis, nos enim alieno periculo maluimus sape-re. Arragoniæ Regina jam progressa Aquisgrano sesquimilliarium, coacta est in Urbem redire cum suis. Ego Vir fortis turpe dicens, si velut victus redirem unde veneram, Hospiti meo risui futurus, Homini Hominum qui vivunt Humanissimo: is est Leonardus Priccardus, qui nullis precibus quiverat impetrare, ut eum diem adhuc darem Amicis cupientissimis: pertendo quo cœperam. Quid enim convitiorum in me non dixisset ille, si quod tantus Amicus, nec solus, quod dies Dominicus, qui Ferias impetrat & ab Agricolis, non impetrasset, ventus & imber extorsissent. Totum ferme iter equitavimus soli, latronem nullum vidimus, etiam si multos terrebant sœvi Ruines. Tu vero quid isthic rerum geris? Jamne satis Germanice spiras? Quomodo te beant Æstuaria Germanica? O te felicem! qui in media Bruina fruaris Æstate. Sed quid tandem agit Amasius tuus Cicero? Quæ

A a

Spes

spes habet te, fore, ut ille totus aliquando reviviscat? Verum etiam atque etiam vide, ne sic adamus Marcum Tullium, ut cum Hieronymo flagris liventes scapulas referas. Rides somnium? at expertus ille somnium esse negat. Sed ego, mi Augustine, serio jam laudo studium tuum, qui totus in Cicerone verseris. Quod idem si fecissem, fortasse meliorem gratiam retulissent Inge-nia candidiora, quam nunc referunt quidam, quibus benefacere periculosissimum est. Brevi me reddam vestro Contubernio, interim saluta-bis meis verbis mitissimum Severum, Congerro-nem tuum, & insignem Heroa Aloysium Mar-lianum Tudensem Episcopum. Bene vale. Lova-nii, Idus Decemb. Anno M. D. XX.

DES. ERASMUS ROTEROD. BONIFACIO  
AMORBACHIO s. d.

**M**agna Felicitatis pars est, maxima Grati-tudinis, si quis agnoscat sua bona. Pro-inde etiam atque etiam gratulandum est nostro Seculo, gratulandum Superis, quorum benigni-tate præclara Studia tot jam Seculis pene sepul-ta, toto terrarum Orbe resflorescunt, ac felicissi-me propagantur. Ante annos plus minus octo-ginta, non hi modo erant infantes, atque elin-gues, qui eas profitebantur Artes, quas suo quoque Seculo, quo vel maxime floruit erudita Facun-dia, mutas appellat Vergilius: verum etiam ipsa Grammatica recte loquendi Magistra, & Rhe-torica copiose splendideque dicendi dux, fœde-mise.

misereque balbutiebant: & quæ quondam tot Linguis instructæ fuerant, tum unam Latinam pessime latine sonabant. Post hæc paulatim subolescentibus Literis melioribus, Italia sola linguam habebat, nec apud hanc ullæ Disciplinæ præter Oratorium. Nunc nulla est Natio sub Christiana Ditione, in qua non omne Disciplinarum genus (Musis bene fortunantibus) Eloquentiæ majestatem Eruditionis utilitati adjungit. Medicina loqui cœpit apud Italos, opera Nicolai Leoniceni, Senis immortalitate digni: apud Gallos, Gulielmi Copi Basileensis: apud Britannos, studio Thomæ Linacri sic nuper disertus cœpit esse Galenus, ut in sua lingua parum disertus videri possit. Ejusdem opera sic latine loquitur Aristoteles, ut licet Atticus, vix in suo sermone parem habeat gratiam, licet ante hunc, illud certe præstiterint apud Italos, Argyropylus, Trapezuntius, Theodorus Gaza, Marcellius, Picus: apud Gallos, Faber Stapulensis, ne Philosophia muta videri possit. Porro, Legibus Cæsareis pristinum elegantiæ nitorem, atque etiam geminæ Literaturæ gloriam feliciter restituit apud Gallos Gulielmus Budæus, apud Germanos, Vir omnibus modis incomparabilis, Udalricus Zafius, tanta Romani sermonis umerata scatens, ut Ulpianum quempiam loquiputes, non hujus Ætatis Jureconsultum. At nescio quo pacto nondum ea res perinde succedit Theologis, etiam si non desint, qui fari gestiant. Spero tamen brevi futurum, ut hæc

quoque Professio, situ deterso, pristinum suum  
nitorem afferat. Hactenus e Doctorum Centu-  
riis excludebantur, qui paulo politius loque-  
rentur: nec dignabantur quenquam suo Albo  
Professores, nisi qui cum ipsis turpiter balbu-  
tisset, neque quicquam omnino castioris Lite-  
raturæ attigisset. Atque illud protinus erat in  
promptu: Grammaticus est, non Philosophus:  
Rhetor est, non Jureconsultus: Orator est, non  
Theologus. Sed brevi, ni fallor, rebus in diver-  
sum commutatis, non recipientur in Ordinem,  
nisi qui priscos illos Disciplinarum Autores, ele-  
gantioribus etiam Literis referant: neque fas  
erit cuiquam sibi Sapientiam vendicare, nisi si-  
mul adfuerit pedissequa Eloquentia, quam di-  
vus Augustinus non vult usquam ab Hera sua di-  
gredi. Zasianas Annotationes percurri verius  
quam legi: nam adferebantur, me jam ad iter  
accincto. Mire placuit gustus, neque dubito,  
quin omnia magis sint placitura, si liceat affa-  
tim expleri talibus epulis. Extimulabis Homi-  
nem, mi Bonifaci, ne diutius nobis hanc glori-  
am, hunc fructum, hanc voluptatem invideat,  
nisi tu quoque nobis invides, cum contigerit ti-  
bi domestico Zasii Contubernio felicem esse. Be-  
ne vale. Basileæ, prid. Calend. Septemb. Anno  
M. D. XVIII.

ERASMUS ROTEROD. MARTINO BRU-  
XELLENSI s. d.

**S**imul atque Volumen allatum fuerit, ad te  
ve-

veniet. Nihilo secius quod misisti literis inclusum, in tuos usus erit incolume. Mitto Libellum Jacobi Latomi, sane quam eruditum & eleganteum, quem nonnulli suspicantur non ab ipso tantum, sed e communi Theologorum consilio conflatum, & in me vibratum: mihi ut Latomo dignus videri potest, ita videtur indignus, qui communi Theologorum suffragio scriptus videatur, neque me dignum arbitror, in quem talia scribantur. De cæteris coram: nam subito vocor Antverpiam, tamen mox redditurus. Bene vale, Martine Charissime. Lovanii, tertio Calend. Apriles, Anno M. D. XIX.

ERASMUS ROTEROD. MARTINO  
BRUXELLENSI

S. D.

**C**harissime Frater, acceptis tuis literis non respondi, protinus decreveram visere te: verum semper novis occasionibus sum prohibitus. Oro te, ne quid animum tuum discruciet hæc Tragœdia plane fatalis, tuus dolor mihi prodesse non potest, obesse potest certe tibi. Omisissi hujusmodi neaiis oblecta te sanctis Studiis, & Philosophia Christi, quæ gaudet bonis, & tolerat malos. Puto me habiturum Vetus Testamentum Hebraicum Antverpiæ. Si non mutasti sententiam, curabo ut ematur: si secus est animus, describe quid velis fieri. Bene vale in Domino, mi Martine Charissime. Anno M. D. XIX.

ERASMUS ROTERODAMUS MARTINO  
BRUXELLENSI s. d.

**V**ide num aptum munus miseris, Crumenulam non habenti pecuniam. Reperi in mea Bibliothecula Gregorium Nazianzenum, & ab Hieronymo laudatum, non minus pium, quam eruditum ac facundum. Eum ratus tibi placitum, ad te ire jussi, vel *αντιδωρον*, vel mei in te studii qualemque symbolon. Tu perge tuam ætatem florentem, atque indolem non vulgarem, utrumque Dei donum in sanctis Studiis exercere, sed ita ut simul hoc agatur quod legitur. Bene vale, Charissime mihi, ætate Fili, Presbyterio Frater, nosque precibus tuis Christo commenda. Anno M. D. XIX.

ERASMUS MARTINO

Suo s. d.

**V**ir Integerrime, mitto Libellum Epistolarum, inter quas una est, qua respondeo stultissimo Libello, quem ad me miseris. Eam invenies pagina q. q. quanquam postea pœnitudo me cepit, tantum operæ in rem tam nihili collocatum. Tuum nomen non expressi, ne quid turbæ tibi conciliarem: ne illius quidem, ne se proditum claimaret, qui tamen prodi cupit. Bene vale nostri memor, præsertim in precibus tuis. Anno M. D. XVIII.

ERASM. ROTERODAMUS MARTINO  
BRUXELLENSI s. d.

**N**on queror, quod mihi parvum tribuas, sed hoc nomine parvum tribuis, quod Leicis  
Anno-

Annotationibus meas præfers, quasi vero ille scriperit Annotationes. De Lutherò movent stultam ac perniciosa Tragœdiam. Id postea sentient, non quod Lutherò, sed quod Christianæ faveam Tranquillitati. Utcunque scripsit Lutherus, certe hic Tumultus nulli Cordato placet. Sortem tuam merito ferres graviter, nisi cuique Mortalium ubique satis esset, quod ferat. Commodo ferendo facillime lenies necessitatem, quæ vitari non potest. Nam servitutem mutare, fortasse duriore, non est consilii. Non desero vos, sed fatigatus Studiorum immodicis laboribus, obambulabo, verum non procul a Lovanio, ne me conficiat Quadragesima. Spero Regis adventum his pudendis Tumultibus finem impositurum. Roga nostrum Lutzenburgum, ut cras ad prandium veniat familiariter, & tu una cum illo, si possis: nam velle, sat scio. Bene vale, Charissime Martine. E Museo nostro, Anno M. D. XIX.

ERASMUS ROTERODAMUS  
MARTINO BRUXELLENSI

s. d.

**T**ot obruor laboribus Studiorum, ut si maxime cupiam, non vacet adire te. Joannes Hagius abjurat se esse Autorem famosi Libelli. Ego suspicor Leum Autorem esse, aut certe instigatorem, ni me mea fallit divinatio. Res leviter me movet mihi ipsi bene concium: sed si possum certum scire qui sit, fieri ut sit aliis exemplis.

emplo, quisquis est ille Satanæ organum. Tu fac te Sacris Literis oblectes absque contentione, quæ tuam Tranquillitatem turbat, & meis negotiis non multum adfert momenti. Cras eo Antverpiam empturus Hebraicum Volumen, nisi quid variat animi tui sententia. Bene vale Martine Charissime, ætate Fili, Sacerdotio Frater, & istos Homunculorum Tumultus magno animo despice, nixus cœlesti Christi præsidio. Anno M. D. XIX.

ERASMUS ROTERODAMUS  
TIELMANNO A FOSSA

S. D.

**D**extro Mercurio, pro tam neglecto breve que epistolio duas Epistolæ accepi, alteram justam, alteram quæ breve Volumen videri posset. Utraque mihi fuit gratissima multis quidem nominibus, sed præcipue ob sincerum pectoris in me tui candorem, imo non in me, sed in eas potius Dotes, quas in me credis esse, non meas. Quid enim est nostrum, sed si quid est, Dei est. Heliam optimum Senem nobis ereptum doleo, cœlis redditum gaudeo. Quid enim illo candidius aut integrius? Proximis suis ad me Literis subscríperat: Helias tuus, Barbarus, decrepitus, vivum cadaver: quasi præfagiens imminere mortem. Illud vivum cadaver mihi displicuit, eaque gratia novissimis Literis objurgavi Hominem, qui Templum Sancti Spiritus appellaret Cadaver, quin nulli magis vivant quam qui sic

sic moriuntur. Respondit ille non calamo, sed re. Gratum est quod mihi depinxisti tuæ Familiæ simulachruim, gratius quod Fortuna tuo respondebit animo, qui Liberos tuos cures sancte educandos, sed ita ut unum duntaxat dicaris Negotiationi. Quare cum octo Liberos habeas, eosque tam sancte instituas, frustra mihi offers tuas Fortunas communes: non enim sum tam impius, ut tam pie collocandis facultatibus quicquam detraham, animum totum amplector atque exoscular. Supereft ut hanc Amicitiam e ferreo Mūnusculo natam, adamantinis vinculis adstringamus. Dominus JesuS benefortunet res tuas cum tota Familia. Basileæ, sexto Calendas Septembr. Anno M. D. XXVII. Sobio ex me salutein plurimam.

ERASMUS ROTERODAMUS  
URBANO REGIO s. d.

**S**ic existimo Urbane Doctissime, me jāmnunc omnia debere, vel Illustrissimo Principi Hernesto, vel tibi, ob animum in me tam propensum. Proinde judicavi me nonnullam gratiæ partem hac ratione posse referre, si quando mihi cūpienti non est integrum, Hominem communistravero, qui quod a nobis expectabatis, longe cumulatius præstare possit. Est apud nos Henricus Glareanus, Cæsarea Laurea insignis, quod equidem Decus, inter tot Juvenis Ornamenta multo infirmum esse duco. In omnibus Disciplinis, quas Mathematicas vocant, eximie doctus,

neque vulgariter exercitatus. In omni quæ nunc in Scholis traditur Aristotelica Philosofia eo progressus, ut cum Summatibus etiam congregri possit. Magnam insuper Theologicæ Rei partem assecutus. In Geographia, in Historiis absolutus. Denique nullum est genus Literarum, in quo ille non sit felicissime versatus. Græce quoque doctus usque ad mediocritatem, & hic brevi absolvendus, quæ est Hominis tum industria tum dexteritas. Adde huc ætatem maxime tempestivam huic negotio. Ad trigesimum accedit annum, quæ ætas ut grandior est, quam ut contemptui sit obnoxia: ita laborum omnium longe est tolerantissima. Est autem Glareanus præter ætatem, peculiari quadam Naturæ dote, Literarii laboris, & appetens & patiens. Quod nescit, discit avide; quod scit, docet libenter & candide. Moribus alacribus ac festivis, ac prorsus omnium horarum Homo. Addam extre-  
mum calculum, quem ego vel in primis æsti-  
mandum arbitror: Ingenium integritati na-  
tum. Abhorret a Computationibus istis temu-  
lentis, abhorret ab alea, a turpiloquio, a scor-  
tis, ita ut harum rerum ne mentionem quidem  
ferre possit. Invitatur a multis, nec aspernans  
dis conditionibus, & jam addictum putabam.  
Verum inter confabulandum sensi Hominem  
istuc pellici posse, si modo offeratur, quod illius  
Virtutibus sit non indignum. Juvenis est, plus  
habet Eruditionis quam Opum aut Autoritatis,  
quamquam Autoritas jam non levis, indies ac-  
crescit

crescit Homini. Illustrabit hunc Principis splendor, & ille vicissim Principis Imagines ac Fortunam cohonestabit, quodque decoris mutuum acceperit ab illius Celsitudine, vel cum fœnore reponet aliquando. Arbitrabar me initurum gratiam apud vos, si haec literis meis indicassem. Et scio quem commendem. Novum Testamento editum est. Hieronymo supremus imponitur colophon. Bene vale. Basileæ, Nonis Martii, Anno M. D. XVI.

ERASMUS ROTERODAMUS  
EUSTACHIO ANDREÆ, Mona-  
cho Cluniacensi, s. d.

**F**rater in Christo Charissime. Singularis tuis in me affectus, quem non tam oratione quam fronte, quod ajunt, ipsa, quam oculis, quam toto vultu loquebaris, facit ut non possim te non redamare, nisi velim haberi omnium inhumanissimus. At vereor ne tibi usi venerit, quod de Ixione narrant Fabulæ, qui pro Junone nubem amplexus est. Supereft autem ut nostros labores, quibus tam impense faves, precibus tuis adjuves: te vero in Amicorum numerum perquam lubens recipio, non defuturus officio meo, si quid extiterit, in quo possim tibi gratum facere. Salutabis mihi duos Fratres Humanissimos Jureconsultos, quorum in colloquio nostro inciderat mentio, præterea Doctissimum juxta & Humanissimum Doctorem, qui mihi olim notus Mechliniæ, me salutavit Befontii. Nam præ-

ter

ter nomen, nihil illius excidit mihi. Tu fac sic  
invigiles honestis Studiis, ut Ordini tuo possis  
& ornamento esse & usui. Abbatis Dignitas non  
est quidem ambienda, sed ea tamen ultro seque-  
tur Virtutes tuas. Bene vale. Basileæ, pridie In-  
nocentium, Anno M. D. XXIV.

ERASMUS ROTERODAMUS  
CHRISTOPHORO, Episcopo  
Basilienſi, s. d.

**R**everende Præſul, dum ego decanto Mi-  
ſericordias Domini, corripuit me illius Mi-  
ſericordia; ſed morti non tradidit me, licet  
nunquam fuerim morti vicinior. Exemplar pri-  
mæ manūs ad te mitto. Id poteris aliquot die-  
bus apud te retinere, quo per otium perlegas.  
Dignaberis admonere nos, ſi quid addi aut mitti,  
ſi quid aliter tractari velis. Priuſquam enim Fro-  
benio committamus excludendum, Opus ſub in-  
cidem revocabimus, ac reddemus paulo expo-  
litius, fortassis etiam copioſius. Si videbitur,  
addeamus Præſatiunculam, quæ Sacelli abſ te in-  
ſtituti faciat mentionem. Porro quemadmodum  
tuæ ſanctiffimæ voluntati hac in re libenter fu-  
mus obsequuti: ita cupimus omnia fieri ex Ani-  
mi tui ſententia. Dominus Jesus honorabilem  
Seneclutem tuam foveat ſua Clementia. Basileæ,  
duodecimo Calend. Julias, Anno M. D. XXIV.

ERASMUS ROTERODAMUS  
TONESIO, Consiliario Cardi-  
nalis Eboracensis,

S. D.

**V**ir Ornatisime, non injuria me objurgat  
per literas Guilhelmus Burbancus, quod  
te tam candidum Amicum, tam fortem Patro-  
num, tam insigniter eruditum Hominem, num-  
quam hactenus salutarim Epistola. In causa est,  
quod dum & Amicis & Inimicis cogor respon-  
dere, quorum ingens est numerus, nullum tem-  
poris spatium mihi vacuum relinquitur. Cæ-  
terum eximias ingenii tui Dotes, ac singularem  
quendam in me Favorem, Thomas Morus Au-  
tor, ut scis, & gravis & facundus mihi non se-  
mnel prædicavit. Scio, mi Tonesi, agnosco & me-  
mini, agoque gratias, libentius, si queam, rela-  
turus. Ubi plus otii dabitur, pluribus tecum  
agam. Interim precor ut quam bellissime va-  
leas. Datum Basileæ, Nonas Septembr. Anno  
M. D. XXIV.

ERASMUS ROTERODAMUS JACOBO  
WIMPHELINGIO

S. D.

**S**i meus Wimphelingius recte valet, est quod  
vehementer gaudeam. Nos mediocri va-  
litudine sumus, & aliquanto prosperiore quam  
solemus. Vides me ex Musico Retiarium esse  
factum. Sic erat in Fatis meis. Tu, vir Optime,  
ne macera te hujus Seculi Tumultibus: fruere  
Con-

Conscientia benefactorum tuorum. Scito Erasmus ex animo tuum esse, cui si nihil scribes, non referet, modo ames vel redames potius, quod non dubito quin facias. Saluta Sapidum, qui cum suadeo ut veterem retineas Amicitiam, in qua si quid peccatum est, Humanitatis tuae fuerit hoc hujus Seculi Fatis imputare. Bene vale, mi Charissime Frater. Basileæ, Natali Catharinæ, Anno M. D. XXIV.

**ERASMUS ROTEROD. AUGUSTINO  
SCARPINELLO,** Ducis Mediola-  
nensis apud Anglos Oratori,

S. D.

**S**ic insculptus est animo meo Scarpinellus ille Candidissimus & Gratiarum Antistes, ut ipse mihi citius excidero, ne tu putas opus, ut ullis argumentis mihi refrices tui memoriam. Voluptati fuit quod Famulus meus nuntiavit te bene valere. Nam Wormatiense Consilium, ut memini, conciliarat tibi nonnihil adversæ Valetudinis, & video multos Principum Legationibus, dum nimium immorantur, immori. Sed quis te Genius adegit in Britanniam? Quomodo nos Fata distrahunt? Praesulem Theatinum attraxit Roma: Ego factus sum Elvetius, tu Britannus. Utinam ὀλόχευτον te remittat Britannia. Miseret me Mediolani, præter tot Bellorum calamitates, nunc sævissima Peste laborantis. Plura scripsisse, sed ut vos Mercurii subinde alio atque alio devolatis, verebar ne meæ litteræ te istic non essent reperturæ. Verum ubi- cunque

cunque futurus est meus Augustinus, precor illi  
Fortunam Eruditione non vulgari, Moribusque  
sanctissimis pariter & candidissimis dignam.  
Nos vicissim, quæcunque expectat Regio, Scar-  
pinellum intimis animi recessibus penitus infi-  
xum circumferemus. Bene vale. Basileæ, tertio  
Calend. Septemb. Anno M. D. XXIV.

ERASMUS ROTER. RICARDO BERO,  
Abbati Glasconiensi, s. d.

**O**lim persuasus a Ricardo Pacæo, qui mihi,  
quum ageremus Ferrariae, saepè prædica-  
bat tuam erga Literas Benignitatem, venabar &  
ipse notitiam Amplitudinis Tuæ. Verum ea Ve-  
natio mihi parum successit, fortassis ob hoc,  
quod uterer cæco duce, videlicet Bernardo illo  
Andrea, Gallo, quondam Arturi Principis opti-  
mi non optimo Præceptore. Itaque quoniam  
eram cæcus, quia non noveram Amplitudinem  
Tuam, & cæco duce sum usus, factum est ut am-  
bo in foveam deciderimus. Præterea Sacellanus  
tuus, qui prodierat ut nos salutaret, multa odio-  
se disputabat de Libro quem adferebam: pu-  
tabat enim esse argumenta Hieronymi, quæ tra-  
ctassem stilo politiore, quasi divus Hieronymus  
mihi non satis polite loquatur. Verteram e  
Græcis quæ nunc vides addita Novo Testamen-  
to græce, ut tuum erant. Mea Versio, posteaquam  
displicuit tibi, cœpit & mihi displicere. Alio-  
qui addidissem supremam manum, & nisi tu  
dissuassis, edidissem. Sed magis ipse mihi dis-  
pli-

plicui, qui præter ingenium ac morem meum  
captasse Amicitiam tanti Patris. Nihil enim  
improbius hoc Hominum genere, qui sordide  
captant Potentes, ut aliquid abradant vel ab  
invitis, nec hic animus ab ullo Mortalium ge-  
nere magis abhorret. Et fortasse Tua Amplitu-  
do suspicatur me e sordidorum istorum esse nu-  
mero. Ego tamen te nunquam amare desii,  
vel ob Ricardum Pacæum, dimidium animæ  
meæ, cuius Studia tua Liberalitas olim adju-  
vit, vel ob Zachariam Phrysium, Virum inte-  
gerrimum, mihiique multis nominibus charissi-  
mum, qui tuam erga se Humanitatem suis ad  
me literis nunquam definit prædicare. Quod in tales amicos collatum est, in me collatum  
arbitror. Precor ut Christus Amplitudinem  
Tuam diu servet in columem. Datum Basileæ,  
octava S. Augustini, sive 4. Sept. An. M. D. XXIV.

ERASMUS CUTBERTO TONSTALLO,  
Episcopo Londoniensi,

s.      d.

**V**ereor ne videar improbus & obstreperus,  
si toties agam gratias, quoties tu provo-  
cas, ut debeam. Jacta est alea. Exiit Libellus de  
Libero Arbitrio, moderatissime quidem ille scri-  
ptus, sed qui gravissimos Tumultus, si fallor, sit  
excitaturus. Jam aliquot Libelli provolarunt  
in caput meum. At tamen timent: oderint  
dum metuant. Retexui pleraque. Cuperem ut  
per otium perfecto Libello scriberes mihi sen-  
tentiam

tentiam tuam, ut soles, amice. Joannem Damascenum h̄ic nusquam potui nancisci. Non misi aurum, cuius ſcio tibi domi esse vim immensam, sed novitatem. Sic fluxit in terræ venis ut vides. Si quid mihi accideret humanitus, perifſet. Nunc in tuto posui. Dum iſthic ageret meus Famulus, ſic periclitatus fum calculo, ut plane ſperarem Malorum finem. Nunc vinum nactus novum, unum atque alterum, menſem meliuscule habeo. Rex Galliarum incredibili eſt in me affectu: expector. Thesauraria Turonensis parata eſt τὸ ἐλαχιστὸν quingentorum coronatorum. Præmisi Hilarium meum. Sed dum cogito Regem eſſe totum in Bellis, instare Hyemem, Valetudinem aliquanto commodiorem, ſed quæ quamlibet facili occaſione poſſet periclitari: poſtremo Dignitates ejusmodi mihi nihil aliud eſſe, quam Bovi clitellās, propemodum decrevi h̄ic hybernare. Accedit & illud ſi quo nunc migrarem, clamarent omnes Lutherani, me cefſiſſe metu. Præſtat in primo fremitu ad eſſe. Si cupis tuum Opus excudi, agam cum Frobenio. Nondum enim egi ferio. Bene vale, Præſulum Optimie. Datum Basileæ, pridie Nonas Septembris, Anno M. D. XXIV.

ERASMUS ROTEROD. REGI ANGLIÆ  
HENRICO OCTAVO s. d.

**I**nvictissime Rex, non ignorabam, quam eſſem ineptus harenæ gladiatoriæ, ſemper in amoenissimis Muſarum Hortis verſatus. Sed

B b

quid

quid non audeam Tuæ Felicissimæ Majestatis  
fretus auspicis? Jacta est alea, exiit in lucem Li-  
bellus de Libero Arbitrio, audax, mihi crede, faci-  
nus, ut nunc res habent Germaniæ. Expecto lapi-  
dationem, & jam nunc aliquot rabiosi Libelli,  
provolarunt in caput meum. Sed consolabor me-  
ipsum, exemplo Majestatis Tuæ, cui non parcit  
istorum immanitas. Decretum erat & alioqui fa-  
cere, ad quod per literas hortaris, & Religioni  
Christianæ juvandæ immori: sed tamen alacrior  
id faciam, posteaquam Tua Majestas, currenti,  
quod ajunt, calcar addere dignata est, cui precor  
felicitatem perpetuam. Datum Basileæ, postridie  
Nonas Septemb. Anno M. D. XXIV.

### THOMÆ CARDINALI EBORACENSI

Erasinus Roterodamus s. d.

**S**erenissimi Regis tuamque sequitus Autori-  
tatem, protinus & absolvi & edidi Libellum  
de Libero Arbitrio, facinus audax in Germania,  
ut nunc quidem res habent. Temperavimus a  
convitiis, ne merito possint irritari. Quodsi, ut  
solent, contumeliose responderint, seipso gra-  
vabunt, non me. Jam aliquot Libelli provola-  
runt in caput meum, sed spero hoc illis non  
semper impune fore. Opus hoc nemini volui di-  
care. Clamassent illico me conductum in gratiam  
Principum hæc scribere, itaque & magis illos  
provocasse, & Operi derogasse fidem: alioqui  
vel tibi dedicasse, vel Sumino Pontifici, qui  
missò Diplomate humanissimo, atque etiam  
ducen-

ducentis florenis aureis, egit gratias pro Inscriptione Actorum. Non arbitratus sum hanc occasionem dandam malis, qui vel sine occasione maledicunt. Livinum meum Tuæ Celsitudini placere gaudeo. Apud me sat feliciter processit in utraque Literatura. Cæterum amplas Fortunas illi dare non possum. Natus est ad Liberales Disciplinas, & quanquam mihi vehementer necessarius erat, tamen magis habui rationem Commodorum illius, quam meorum. Potest adjuvare Studia Cognati tui in Academia Lovaniensi. Amplitudini Tuæ faciliuum erit illum ditare, tantum id rogo, ut illi relaxes fatis otii ad Literas. Quo doctior evaserit, hoc futurus est utilior, tum tibi, tum tuis. Mitto Libellum de Libero Arbitrio Celsitudini Tuæ, alterum Regiæ Majestati, cui dignaberis me semper commendare. Quod in Livinum contuleris, in me collatum arbitrabor. Pro misso munere ago gratias. Datum Basileæ, postridie Calend. Septembris, Anno M. D. XXIV.

ERASM. ROT. JOACHIMO CAMERARIO  
s. d.

**O**di valetudinem hanc, non tam ob id quod me discruciat, quam quod per eam non licet erga Amicos Humanitatis obire munia: adeo durius est inhumanum fieri quam infelicem. Ac frequenter accedit, nescio quo Facto, ut complures simul inundent, ac propemodum obruant. Itaque sit non raro, ut eodem

tempore mihi sint literis onerandi, hic qui Romam, ille qui Galliam, alius qui Britanniam, alius qui Brabantiam, alius qui Germaniam adeat. Porro quum tu adesses, tam erat imbecilla valetudo, ut ægre ferrem laborem promendæ vocis, adeo ut non solum Comiti Polono ad convivium vocanti excusarem, verum etiam ambientem cœnare mecum repulerim. Proinde cogor hujus infelicitatis non modo pigere, sed pudere quoque. Quod autem malum in vita durius accidere potest, quam quod habet cruciatum cum pudore conjunctum? Et sunt quidam, qui nostram excusationem, multo quam vellem justiorem, non recipiunt. Tu vero, mi Joachime, quum te tam frigide acceptum tam candide interpreteris, nimirum probas mihi simplex tuum ac benignum ingenium. Jam vero quando non solum boni consulis, quod a me fuerat excusandum, verum etiam tam accurate gratias agis, pro brevi Colloquio, pro Salutatiuncula literis ad Melanchthonem scriptis adjecta, & hanc ceu non vulgarem quandam Humanitatem Ingenii tui, ut in te vehementer amo, ita doleo in tam paucis inveniri nunc ex eorum numero, qui Musarum Sacra colunt. Non enim oportet Gratias a Musis abesse. At quosdam his temporibus videre est, qui pro tribus Gratiis treis Furias addidere Musis. Tanta est Morum Barbaries, tanta Scriptorum amarulentia. Porro, quemadmodum in hac causa mihi declaras insignein Naturæ tuæ Boni-

Bonitatem, ita dum literarum evulgatarum suspicione abs te depellis, probas mihi quantum & Ingenii Felicitate & dicendi Facultate polleas. Nihil enim abs te prætermissum est, quod bonus Orator ad talem causam adferre debuerit. Itaque scito, mi Joachime, h̄ic te mihi nihil aliud persuasisse, quam te causam etiam non optimam optime posse tueri. Nam mihi quidem, priusquam tu verbum faceres, persuasum erat, hic nihil esse commissum tua culpa, nec illa suspicio culpæ, quam tu deprecaris *ḡdē nat̄ ḥvaḡ* unquam venit in mentem Erasmo. Et iam satis di vino, qui sint illi, quorum stultam sedulitatem tu notas. Nec eram questurus hac de re apud Melanchthonem, nisi causa, quam illic agebam, egisset, & hoc argumento. Siquidem edidere jampridem epistolam Lutheri ad Pellicanum, ediderunt judicium Melanchthonis, qua de re nemini verbo sum questus. Qui tuas reddidit, plane non eguit tua Commendatione: nimirum ipsa, quod ajunt, fronte præ se ferens ingenium imaginibus dignum, ac præterea propensam quandam in me Benevolentiam. Nesciun nobis præceptum doleo, sed gadeo te enatassem, nam ajunt in communi fuisse periculo. Bene vale. Basileæ, tertio Idus Decemb. Anno M. D. XXIV.

ERASM. ROTERODAMUS THEOBALDO  
FETTICHO s. d.

**Q**uo graviorem Bonis Literis calamitatem minitatur hoc Seculum longe tumultuosissimum,

simum, hoc impensius admittendum est iis, qui perspectum coemptumque habent, absque Linguarum ac politioris Literaturæ conditura, frigidas, mutas ac pene cæcas esse reliquas Disciplinas omnes, nec florere Respublicas, nec liberalem esse Vitam: breviter, vix Hominem Hominem esse. Accipio penes vos esse rarum veterum Codicum Thesaurum, quantopere vero vel tu, vel Ornatusissimus Vir Wolphgangus ab Affenstein faveatis Studiorum negotiis, jampridem & Famæ præconiis & Eruditorum Hominum literis cognovi, tum quam propensa sit utriusque erga Studiorum Cultores Humanitas. His rebus fretus & Hieronymus Frobenius non dubitavit isthuc proficiendi, nec ego veritus sum te meis literis appellare. Ac mihi quidem præsagit animus hanc vel audaciam, vel, si quis malit, fiduciam nobis feliciter esse cessuram. Nemini potest obscurum esse, quot jam annos Joannes Frobenius, quantis vigiliis, laboribus, impendiis ornarit eximios Autores, idque longe majore sua gloria quam lucro. Habet domi Virum utriusque Literaturæ Doctissimum, parique fide præditum, quod ego sane non in postremis numero. Mihi præterea vel immoribet huic negotio, tam utili, tamque pio. Proinde meo judicio non aliis dignior vestro Favore quam Frobenius, nec per aliam Officinam meius consultum fuerit Praeclaris Autoribus: denique, vix in alium æque gratum memoremque collocaveritis vestrum officium. Porro, si quid mea

mea Scripta valebunt, haec tenus cum Virgilio licuit dicere, utinam & illud adjicere liceat: Nulla dies unquam memori vos eximet Ævo. Certe dabitur opera pro viribus, ne Posteritas ignoret cui debeat hanc Literaturæ vetustioris accessiō nem. Bene vale cum Clarissimo Præfecto Wolph-gango ab Affenstein. Datum Basileæ, Nonis Decembris, Anno M. D. XXVI.

ERASMUS ROTERODAMUS GEORGIO  
Duci Saxoniæ s. d.

Serenissime Princeps, nec mihi vacabat scribere, (minus fortasse vacat Celsitudini Tuæ prolixas epistolas legere,) nec erat magnopere quod scriberem. Cæterum, quoniam hunc natus eram Franciscum Dilsum, Juvenem apud suos non solum claro & opulento, verum etiam honesto Genere prognatum, cuius Ingenium sincerum vereque generosum diutino Convictu cognitum ac perspectum habeo, visum est per eum saltem Illustrissimæ Celsitudini Tuæ salutem adscribere. Quem si dignaberis tuo Colloquio, poteris ex eo de rebus meis omnibus certior fieri, quas ille melius novit quam ego ipse, & est summa fidei, mini meque vanus. Meo malo sum expertus, quam non sit tutum omnia literis committere. Dominus servet felicem ac florentem Illustrissimam Dominationem Tuam, cui me totum offero. Datum Basileæ, Nonis Februarii, Anno M. D. XXVIII.

## ERASMUS ROTERODAMUS.

Bernardo, Episcopo Tridentino,

S. D.

**R**everende Praeful, ex superioribus Amplitudinis Tuæ erga me officiis perspexi singularem quandam Naturæ bonitatem: ex proximis vero literis, quibus me tam amanter consolaris, Pietatem etiam erga me tuam agnovi. Utinam & tuis Dotibus & meis Laboribus contigisset Seculum felicius. Non eram ausurus tuo nomini dicare Irenæum, quamvis probatum Autorem: nec enim hoc officium omnibus perinde gratum est, neque quicquam magis fugere soleo quam Capitatoris opinionem: nisi tantum apud me valeret Joannis Fabri, tum iudicium, tum Autoritas, per quem nunc mitto Librum, sed rudem. Recentior enim est, quam ut compingi possit. Si gratum est quod fecimus, erit quod mihi grataler: si minus, mihi certe levius succensebis, qui tam insignis Amici voluntati morem gesserim. Opto tibi felicitatem perpetuam, Ornatisseme Praeful. Hunc Laconismum me docent immensi Studiorum labores. Nunc enim quartum mihi retexuntur Annotationes in Novum Testamentum. Datum Basileæ, die Mercurii ante Michaëlis, sive 24. Sept. Anno M. D. XXVI.

ERASMUS ROTER. CLARISSIMO VIRO  
Christophoro a Schydlovietz, &c. Regni  
Poloniae Cancellario, S. D.

**L**entius inter nos commeant epistolæ, Vir  
Ornatisseme, quanquam tua satis mature  
per-

pervenit, scripta ad Cal. Martias reddita est ante Idus Majas. Nam suspicor vos novum Annum auspicari a Paschali die. Dominus in Evangelio beatos pronunciat pacificos, quo in negotio quoniam tu nunc Optimi Regis jussu versaris, precor ut, quod agis, succedat, multosque tua prudenter reddas beatos: hac de re scripsi nonnihil & inclyto Regi Poloniæ Sigismundo, jam semel atque iterum ornatissimi Juvenis Joannis a Lasco literis provocatus. Id enim tanto studio a me contendit, ut existinem eum non sine causa sic esse animatum. Hæc Ætas Principes habet fere Juvenes, quo magis oro, ut Deus Sigismundum nobis diu servet incolumem, cuius Pietas, animi Magnitudo, singularisque Prudentia, ac plurimus rerum Uſus, salubribus consiliis plurimum prædelle poterit: & Principum commodis, & Reipublicæ Tranquillitatı. Munera tua plane tuo digna sunt animo, sed tamen in ratione tuorum in me Meritorum, novissimam pene lineam occupant. Antoninum meum tibi charum esse gaudeo, nullum adhuc ingenium expertus sum illo candidius: nisi talis esset Joannes a Lasco Praepositus Gnesnensis, ut ne fingi quidem possit quicquam amabilius, cuius equidem Amicitiam in præcipua meæ Felicitatis parte duco. Habes epistolam mea manu, sed vereor ut legas. Languebam adhuc a vehementissima diarrheæa. Dominus te servet incolumem. Datum Basileæ, 10. Cal. Junias, Anno M. D. XXVII.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Tielmanno à Fossa s. d.

**F**erreis Xeniis ad Amicitiam provocatus, char-  
taceis respondeo, non quidem æreis aurea,  
sed tamen accepta pensans deterioribus. Adeo  
vero non aspernatus sum hoc qualemque mu-  
nusculum, ut hinc etiam collegerim te sinceris-  
fimo animo de meis Moribus quam optime sen-  
tire. Alioqui solent & qui pretiosa mittunt mul-  
tis verbis precari veniam, quod meritis inferiora  
mittant. Itaque munusculi tui vilitas mihi pre-  
tium ipsius auxit, & isti tam benevolo pectori  
me profiteor adstrictissimum esse, id quod hoc  
epistolio, veluti syngrapha legitima, singulis &  
universis contestatum esse volo. Opto tibi pro-  
speram valetudinem. Datum Basileæ, pridie  
Ascensionis, hoc est, 29. Maji, An. M. D. XXVII.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Andreas Critio, Episcopo Plocensi,

s. d.

**O**rnatissime Præful, Libellum tuum degu-  
stavi verius quam perlegi, nec dubito,  
quin totus sit placiturus, ubi totum perlegero.  
Video strenuum Propugnatorem Ecclesiæ, verum  
non arbitror tuam istam Prudentiam egere Mo-  
nitore: alioqui vel admonerem, vel rogarem, sic  
depugnaret adversus Hostes publicæ Tranquilli-  
tatis, ut victoriæ gloria non Hominibus cedat  
sed Christo. Nam quemadmodum in publico  
Civita-

Civitatis incendio, multi solent esse, qui prædæ intenti commune malum vertunt in privatum bonum: ita in hoc Orbis fatali tumultu, non dubito quin videas plurimos in hoc intentos, ut ad se rapiant Victoria, uni Christo debitam. Ex hoc tam violento Pharmaco, quod fortasse Deus corrigendis vitiis nostris imminisit, tantoque motu concussit totum Ecclesiæ corpus, optarim aliquid bonæ sanitatis proficisci. Nunc quis erit fructus, si qui præsunt Ecclesiæ, quorum non pauci sunt tales, ut ipso propemodum Mundo videantur mundaniores, eos habeamus aliquanto quam antehac fuerunt profaniores: si Principes, præsertim hosce minutos, ex præda rerum Ecclesiasticarum ad luxum & aleam instructiores: si Monachos, quorum Tyrannidem jam olim suspirat Orbis, posthac habeat ex Victoria ferociores? Non quod non arbitrer inter hos esse Viros pios, prudentes & eruditos, sed inter eosdem nimis multos videamus, qui Ventri suo serviunt, non Jesu Christo; & dum suo quisque Ordini valde favet, negligitur Ordo Christi. Accedit, ut video, tibi, quod & proverbio dici solet: Dedisti malum & accepisti, qui ἀλυρὸν γειτόνημα, nihilo commodiore permutasti. De libertate frustratibi blandiris. Seinel Aulæ frenum momordisti, Sessorem perferas oportet. Quanquam est istud e Republica, ut Homines eruditi ad publicam Autoritatem Functionemque pertrahantur. Dulce quidem est otium Studiorum, sed Homo non sibi nascitur tantum,

verum

verum etiam Patriæ. HABES a Lasco miserabile spectaculum, quod iis, qui Erasmo male volunt, nescius possit esse in deliciis quam tibi, nisi forte Pictor vestrus blanditus est affectibus. Nam istam imaginem inscio me suffuratus est. Utinam imago, quam Lucubrationibus meis expressi, probetur tibi tuique similium judicio. Hæc ad literas tuas, quas tu vento commiseras, quemadmodum scribis, vix aliæ celerius pervenere. Opto R. T. Amplitudini felicitatem in Domino perpetuam. Datum Basileæ, 16. Calend. Junias, Anno M. D. XXVII.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Antonino Medico s. d.

**V**t tu candore temet usque superas, qui sic exaggeras tantilla mea in te officia, tua longe majora dissimulans. Ursinus aliquam partem suæ Tragico-comœdiæ, seu potius Comico-tragœdiæ, pridem ad nos perscripsit, bonam partem rejiciens in Joannein Fabrum, qui cum hactenus mihi non contigit colloqui. Nec interea scire potui, quo se contulerit. Nam videbatur ancipitis esse consilii. Res Ungariæ tam esse turbulentas, vel tua causa doleo, cui cupio, sicuti mereris, fausta tranquillaque esse omnia. Quoniam meum requiris consilium, dum res Principum in ancipiti sunt, nulli me vehementer addicerem, certe neminein offendere. Scribunt huc Beddam cum Pseudo-monachis aliquot gnavoriter rem gerere. Quendam in ignem pertransitus

clurus erat, ni Senatus ac Rex intercessissent. Verterat is quædam Gallice ex meis Lucubrationibus, adeo putant actum de Majestate sua, si Erasmus loquatur lingua vulgari. Nunc apud Mulierculas, quas dementarunt, & apud Idiotas blaterant quæcunque lubet. Quodsi Vulgus legeret mea, perspiceret illorum insignem impudentiam. A Turzone, significas opinor Alexium, nihil accepi neque boni, neque mali, nisi quod arbitror Hominem meum studium boni consulere. Ab Henkello per hunc nullas accepi, ne in Nundinis quidem proximis. Quod Episcopen recusat, non dubito quin illi constet sui consilii ratio, tamen ut nunc res sunt Mortalium, præstat esse Subulcum quam Stuem. Rogo, quid erat seriæ rei, ut huc tanto itinere profectionem adornaretis? An ut Erasmus videretis morientem? Morior enim, mi Antonine, quotidie. In Galeno, etiamsi maxime possem quod cupis, non vacat. In harenam gladiatoriari retrahor. Hippocratem male versum non est quod imputes Calvo. Nam is nihil aliud est quam Typographus, alioqui indoctus. Martino Dobregasto precor omnia lœta, cui si quid a me præstari queat officii, non gravate fecero. Fucatis Amicis fidendum quidem non est, sed tamen abutendum censet Cicero, saltem ut parcus lœdant. Nec omnino vanum est quod scripsit Ovidius: Sæpe etiam vere cœpit simulator amare. Andreæ Critii, mutato nomine, nunc Plocensis Episcopi, Libellum accepi cum ipsius literis, tametsi brevibus. Optime

ptimæ Conjugi tuæ felicitatem opto plurimam.  
Pestis aliquot ex Medicis nostris absumpfit, &  
in his Sylverbergium. Vale. M. D. XXVII.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Andreas Zebridovio s. d.

**F**acit hoc tum Amicitia non vulgaris, quæ  
mihi jampridem cum Ornatissimo Præsule  
Andrea Critio, mutuis conglutinata literis, in-  
tercedit, tum eximia quædam & tali digna Avun-  
culo indoles tua, quam mihi suis literis ad-  
modum graphice depinxit Leonardus Coxus,  
Adolescentiæ tuæ Formator, ut te vel salutare  
sum ausus, vel ad optimorum Studiorum amo-  
rem incitare, licet id quidem currentem, ut  
ajunt, si modo vera scribit Coxus, cuius apud  
me fides est gravissima, Nil opus admisso subde-  
re calcar equo. Verum ut in isto pulcherrimo  
Stadio, Zebridovi Charissime, semper teipsum  
alacritate superes, habes permulta, quæ debeat  
aniuum tuum accendere. Primum enim ista  
tam felix indoles nihil de te non exinium pol-  
licetur: non nihil etiam expectationi addit Cox-  
us Institutior, hoc est probæ materiæ probus  
Artifex. Addo jam, quod Fortuna, quæ dum est  
iniqua, multorum generosos conatus retardare  
solet, tuo subservit ingenio, tum ampla, tum ob-  
via. Sed illud in primis non te patietur segne-  
scere, quod Exemplar habes domesticum tibi  
prælucens, in quo, velut in speculo, Virtutis &  
Eruditionis absolutissimam imaginem cernis  
expres-

expressam, Andreas Andreæ, Nepos Avunculo respondeas oportet. Exigit efflagitatque hoc abste Genus tuum, exposcit idem Patria. Macte igitur animi Zebridovi, fac indefatigabili Studio contendas ad hujus Laudis palmam. Aderit conanti Deus, qui in hoc ipsum te tautis Naturæ Fortunæque comodis ornavit, ut opulentæ Sorti dignam industria tua jungeres usuram. Memineris optimam ætatis portionem esse fugacissimam, nec unquam recurrere semel elapsam. In præsentia non licuit tecum pluribus. Bene vale. Datum Basileæ, duodecimo Calendas Junias, Anno M. D. XXVII.

### ERASMUS ROTERODAMUS

Francisco Hasseltenſi, Franciscano,

S. D.

**H**onorande in Christo Frater, Audio te frequenter in tuis Prælectionibus nomen meum perstringere. Quod si verum est, moneo ut memineris quid Ordine vestro dignum sit. Scis nec Pontifici, nec Cæsari probari tales infestationes, quod interque satis declaravit, etiam scripto. Scis inutiles esse hoc statu rerum, quo meum caput pro negotio Fidei tot expono periculis. Ego nullius Ordinis sum hostis, vestræ vero Congregationi, quoniam cæteris est incorruptior, semper unice favi. Si quid Scriptis admoneo, pro vobis facit, non contra vos, qui talia non probatis. Quod si cupitis pristinum Orbis favorem vobis instaurare, his rationibus id faciatis

faciat oportet, quibus eum primum peperistis:  
 peperistis autem vitae sinceritate, non conspira-  
 tionibus aut obtrectationibus. Quos tumultus  
 tui Sodales moverunt in Hispania? Quid pro-  
 fecerunt? Exacerbarunt omnium odium. Idem  
 accidit in Polonia & Hungaria. Ego nisi Chri-  
 stum haberem praे oculis, & si te fortassis non  
 possum lädere, possem Ordinem tuum lädere  
 magis quam credas. Ad quod tamen nunquam  
 provocabor. Quo minus decet vos ad hoc lacel-  
 fere. Jampridem clanculariis consiliis Libros  
 meos emovistis e Bibliothecis, in quibus locum  
 habent aliorum virulentæ calunniæ. Hoc dis-  
 simulavi, nec magnifico. Si Pietatis negotium  
 agitis sincere, Dominus prosperabit quod agi-  
 tis. Sin agitis technis & callidis conspirationi-  
 bus, omnia crede mihi resident in diversum.  
 Dominus tecum. Basileæ, 15. Calendas Junias,  
 Anno M. D. XXVII.

**ERASMUS ROTERODAMUS JOANNI**  
**BORSALO, Decano Zandenburghensi,**

s. d.

**A**moris in me tui, non extinti quidem,  
 sed tepidioris suspicionem conceperam  
 ex literis Martini Dorpii, & arbitror te scire, de  
 quo sentiam. Verum ea suspicio non descende-  
 rat alte in pectus meum, & homo quum sim,  
 istiusmodi humanis affectibus facile ignosco.  
 Certe voluptati est te convaluisse, vel revixisse  
 potius. Scripsi Maximiliano sicuti volebas, tam-  
 etsi

etsi parum certus, an is esset Filius Adolphi  
Principis Veriani. Opto te quam prosperrime  
valere. Datum Basileæ, nono Calend. Septemb.  
Anno M. D. XXVII.

## ERASMUS ROTERODAMUS GEORGIO

Duci Saxoniæ s. d.

**I**llustrissime Princeps, Accepi Literas Tuæ  
Celsitudinis, una cum his quæ mea causa  
vertenda curaveras, quorum nihil non fuit gra-  
tissimum: qua de re scribam alias per otium,  
nunc quod solum licuit, significare visum est  
Illustrissimæ Celsitudini Tuæ. Sub Calend. Ju-  
nias misi per Nuntium hujus Civitatis publi-  
cum, in hoc proprie conductum, epistolam ad  
Concilium Badense, in quo nuper fuit Dispu-  
tatio, causam ipsa, cuius exemplum ad te  
mitto, declarabit epistola. Inde reversus Nun-  
tius attulit epistolas & schedas modo dictas, sed  
præterea nihil. Quum nihil audiremus de Po-  
culo, quod Tua Benignitas nec promerenti,  
nec expectanti se misisse scribit, rogare cœpi-  
mus Nuntium, unde receperisset eas literas: ait  
a quodam, ut apparebat, Docto, qui venerat  
ad hoc Concilium, alioqui prorsus ignoto. Su-  
spicabamur venturum per Copergum. Is ante  
paucos dies misit huc Xenia quædam ex Polo-  
nia missa, nec ullam in literis facit Poculi men-  
tionem. Si quo casu Poculum apud te mansit,  
bene res habet. Ego enim jam ejus munieris  
fructum percepī, videlicet tuæ erga me Bene-  
volen-

volentiæ. Sin missum est, non committendum  
est, ut tibi simul & mihi pereat. Si hæc epistola  
reddetur in tempore, poteris ad Nundinas Fran-  
cofordienses significare cui commiseris. Hoc  
tantum in præsentia licuit scribere, ut valetudine  
& laboribus oppresso. Precor ut Dominus Il-  
lustrissimam Celsitudinem Tuam prosperet in  
omnibus. Datum Basileæ, III. Calend. August.  
Anno M. D. XXVI.

ERASMUS ROTERODAMUS  
BAPTISTÆ EGNATIO

S. D.

**S**alve plurimum, Vir Optime idemque Do-  
ctissime. Doleo tibi ob meas nugas exhi-  
bitum negotium. Non eram anxius de excu-  
dendis Adagiis, quum hic haberem Frobenium  
semper paratum. Franciscus per literas crebro  
questus fuerat, me nihil mittere Lucubratio-  
num mearum. Adagiorum Opus, quoniam  
apud Asulanum primum erat natum, misi ut  
inibi renasceretur, si modo ipsi commodum  
esset: si minus, per eundem, qui attulerat, re-  
mitteret Codicem. Hic nihil erat causæ, cur  
vel tria commutarentur verba. Remisi Caro-  
lum meum, ut adferat mihi Chrysostomi Com-  
mentarios in Acta Apostolorum. Dignaberis  
pro tua Humanitate dare operam, ne circum-  
veniamur: id fiet, si Doctus aliquis exploret  
an Codex sit plenus, & an emendate scriptus.  
Hic Joannes a Lasco Polonus, illustri loco na-  
tus

tus apud suos, breveque sumimus futurus, Moribus est plane niveis, nihil magis aureum aut gemmeum esse potest. Totus Hieronymus jam denuo excusus est, multa restitui, quæ prius suffugerant. Pauca quædam expugnare non potui. Quorum illud unum est in Præfatione, quam præposuit Ezechieli verso, de Phagolædoris & Seneciis. Si quid habes imperti. Poterit adjici in fine aut initio. Nam Opus non est exiturum nisi post menses aliquot. Scio te non morari gloriam, sed tamen meum fuerit curare, ne bene meritus sua laude fraudetur. Ambrosium Nolanum nobis ac Studiis erectum doleo, sed quandoquidem omnibus semel est moriendum, ille nec vixit incommodo multos annos, nec infeliciter mortuus est. Precor illi Deum propitium, & inter Piorum animas quietem perpetuam. Bene vale. Basileæ, quinto Nonas Octobr. Anno M. D. XXV.

ERASMUS ROT. HIEROSLAO a LASCO,  
Poloniæ Baroni, s.

**V**ir Clarissime, quod scribis de mittendo equo, ne si Cyllarum quidem miseris, aut Pegasum, posses e liuace facere equitem: ne verisimile quidem est te huc equi causa missurum famulum, posteaquam hinc avocatus est Frater. Itaque divino eas literas scriptas priusquam decreatum erat revocare Germanum. Ejus Convictus quoniam mihi tam fuit jucundus, ut vix aliud in vita jucundius, non potest non esse mo-

lestissimus illius abitus. Ejus suavissima Con-  
suetudine prope modum repubueram. Nec enim  
a Superis optare poteram quemquam meis Mo-  
ribus magis appositum: imo, ut melius dicam,  
ipsius Mores tales sunt, ut omnibus possint  
congruere. Mitigat hunc meum dolorem: pri-  
mum, quod non omnino præter expectationem  
accidit: semper enim divinavi futurum, ut hinc  
cito distraheretur. Deinde, quod non ignora-  
rem Fatorum iniquitatem. Si quid obtigit bo-  
nae Felicitatis, mox eripiunt. Si quid incidit  
mali, hæret tenacissime, nec excuti potest, nec  
avelli. Porro juges Studiorum occupationes ob-  
stiterunt, ne quid fructus ille vicissim ex meo  
Convictu reportaret. Minitabamur subinde, sed  
identidem e transverso obortum negotium in-  
terpellabat conatus nostros. Malebat & ipse diu-  
tius Musarum otio frui, sed Plato putat Sapi-  
entein vel invitum ad Reipublicæ commoda ra-  
piendum esse. Magis itaque libet vestræ Polo-  
niæ gratulari, quam meum privatum deplorare  
incommodum. Linguam meam non disipli-  
cuisse Clarissimo D. Cancellario vehementer gau-  
deo ac triumpho serio. Non miraberis autem,  
si posthac senseris Erasnum elinguem esse. Pro-  
pitius aliquis Deus feliciter explicit Tuam Cel-  
situdinem ex ipsis tricis, quibus te scribis invo-  
lutum. Novi quantus sis Hercules, sed plurimum  
exemplis declaratum est, quam non sit tutum,  
Hostem quamvis humilem contemnere. Bene  
vale. Basileæ, V. Non. Octob. Anno M. D. XXV.

ERAS-

ERASMUS ROTER. REGINALDO POLO  
Anglo s.

**T**homás Lupsetus suis literis te totum, Ornatissime Pole, sic depinxit, ut mihi notior esse non posset, si menses aliquot domesticam tecum egissem Consuetudinem. Corporis figuram effingit Pictor, & auribus nonnullam Hominis partem discimus: at intimæ Dotes animi, multo pretiosissimæ, nonnisi diutino Convictu deprehenduntur. Ea pars epistolæ mihi profecto magno fuit solatio. Gaudeo enim his deploratissimis Temporibus exoriri, qui Bonarum Literarum ac Pietatis causam, & tueri possint, & ornare. Non hic occinam laudes tuas, tantum gratulor tibi tam insignia benignissimi Dei dona, quæ dignabitur in te servare, semperque in maius ac melius provehere. Quam impense te amet Lupsetus, satis ipsa declarat oratio, quæ nihil aliud spirat quam incredibilem quandam Benevolentiam, adeo ut me quoque rapuerit in amorem tui. Miramur quum magnes chalybem ad se trahit: Quis autem tam ferreus est, quem iste tot Dotum in uno concentus non ad amorem pelliciat? Si Carolus meus redisset maturius, fortassis jam isthic adesseim. Non poterat optari comes itineris, vel dux commodior, quam obtigit hic Joannes a Lasco Baro Poloniæ: cuius quam haec tenus fui Convictu felix, tam nunc abitu discrucior. Amabis sat scio tui simillimum.

Clarissimæ Majorum imagines, Dignitates amplissimæ, Spes ampliores, Ingenii mira vena, Eruditio neutiquam vulgaris, ne tantulum quidem addunt illi superciliæ. Et adsunt isthic, quorum Consuetudine possim vel rejuvenescere, Richardus Pacæus Pyladeus Amicus, Thomas Lupsetus, quem semper Filii loco dilexi, nunc ut Patronum amo: Leonardus Casimbrotus, Homo moribus plane niveis, doctus, & olim inter claros futurus. Tu inprimis, mi Pole: Sed alligant hic me Fata mea. Quid enim aliud incussem? Quando coram frui non licet, dulcissimum esset diutius per literas tecum confabulari, ni mihi nunc eodem die onerandi fuissent tres Bajuli: quorum unus adit Galliam, alter Brabantiam, tertius hic est Carolus meus, quem sic accepistis, ut lubenter isthuc recurrat. Itaque boni consules literas sic ineptas & inconditas, quas ne relegeare quidem vacat. Bene vale. Basileæ, quarto Novembris Octob. Anno M. D. XXV.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Andreae Critio, Episcopo Plocensi,

S. D.

**I**llustris Baro, Hieroslaus a Lasco, quum hac iter faceret, exhibuit mihi Libellum quendam trium pedestri simul & equestri pugna cum Lutheranorum exercitu configentem. Rursus ejus Frater germanus, ac vere germanus, hoc est, simillimus, nuper exhibuit Epistolam, rei gestæ Historiam exponentem,

nentem, admixtis etiam Versibus aliquot, ex quibus intellexi, te simul & in Musarum Pratis, & in Rhetorum Palæstris, & in Theologorum Adytes non infeliciter versatum esse: denique tam candido præditum ingenio, ut nostras etiam Lucubrationes vere Batavas non deditus sis attingere. Hoc exemplum, quoniam hodie raru[m] est in Episcopis, misi dono Librum Cutberti Tonstalli Episcopi Londoniensis in Anglia, qui nuper Legatus ivit ad Cæsarem Carolum. Is Homo est vitæ inculpatissimæ, utriusque Literaturæ ad unguem doctus, nec ullius honestæ Disciplinæ rudis. Sciebam enim te gavisurum, quum perspiceres istud exemplum Episcoporum indies ad plures dimicare. Simulque hoc agebam, ut quemadmodum illum habeo mihi faventem, sic ut non alium Mortalem impensius, hac ansa qualicunque præbita, memet in tuorum etiam Clientum numerum insinuarem. Nam constantius diligar ab utroque, si vos quoque ambos mutua notitia, mutuaque Benevolentia, ex Morum & Studiorum similitudine conciliata, copularit. Hæc scripsimus sic ex tempore, dum Illustrissimus Joannes a Lasco parat equos descendere; qui multos Homines, & inter hos Erasmus, hic occidit, tantum sui desiderium reliquit abiens, cum quibuscumque habuit Consuetudinem. Bene valeat T. R. D. Basileæ, tertio Nonas Octobr. Anno M. D. XXV.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Jacobo Apocello s. d.

**V**ir Ornatus, si tibi videtur impudens,  
quod ignotus ad ignotum scribo, imputa-  
bis bonam hujus culpæ partem Justo Consobrino  
Tuo, qui sua facundia huc me perpulit, subor-  
natis etiam Deprecatoribus, ne detrectare possem  
quod rogabat. Quod si & illius improbitatem  
& meum obsequium boni consulis, gaudebo per  
hanc occasionem auctum esse Amicorum meorum  
catalogum. Consobrinus tuus mihi videtur na-  
tus rebus gerendis, promptæ nec impolitæ lin-  
guæ, pudore sic temperato, ut non offundat di-  
centi tenebras. Erit aliquando magnus, si tuus  
Favor illi fuerit perpetuus. Bene vale. Datum  
Basileæ, 7. Idus Octob. Anno M. D. XXV.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Paulo Bombasio s. d.

**S**alve Crœse, nisi mavis esse Midas. Extra  
jocum, mi Bombasi, gratulor tibi Fortunam  
auctam, sed magis gratulor prosperam valetudini-  
rem, quæ mihi longævam viridemque Sene-  
ctam Bombasii mei pollicetur. Carolo meo tam  
amanter datam operam gaudeo, simulque gau-  
deo hac occasione mihi compertum Card. Patro-  
ni tui, erga me non vulgarem Favorem: Nam  
antehac vix tibi credebam. Nunc nullum erat  
otium, itaque necesse est, ut mihi apud illum  
prolixæ epistolæ vicem commodes. Sub Autu-

innum

mnium rursus moliebar iter in Italiam; sed Nuntii serius redierant, & hyems ante tempus huc incubuit. Bene vale, Patrone magne. Basileæ, 7. Idus Octob. Anno M. D. XXV.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Friderico Nauseæ s.

**G**ratus fuit Libellus quem misisti, gravior epistola tam elaborata, non quod laudibus illicis delecter, quas tu prodige verius quam liberaliter in me effundis: ino ne legere quidem eas suslinuissem, ni mihi persuasum habereim eas ab ingenii tui singulari quodam candore, & immodico nostri studio proficisci. In posterum tamen, mi Nausea, te rogatum velim, ut exercendo stilo quæras aliud argumentum. Scripsi de tuo negotio Card. Campegio, sed paucis: nec enim opus fuit pluribus, nec mihi vacavit plura scribere. Huc si te contuleris, invenies malum illud agreste mitius ac sanabilius. Detractione sanguinis remisit se Febris. Cætera te coram, quod utinam fiat brevi. Interim bene vale, Charissime Nausea. Basileæ, 7. Id. Octob. Anno M. D. XXV.

## ERASMUS ROTERODAMVS

Friderico Nauseæ s. d.

**Q**ui decoixerant, re quidem opitulari non possunt, attamen consilio juvant alios, ne profusiores sint quam oportet: Et qui diu cum tenaci morbo colluctati sunt, optime commonstrant aliis, quomodo vel vitari malum, vel fa-

nari queat: & qui fregerunt navim, solventibus  
ostendunt vitanda pericula. Itidein ego, Nau-  
sea Charissime, non ignarus quam pericolosus sit  
morbus, scribendi cacoëthes, admoneo te, ut ali-  
quot annos des evolvendis ac revolvendis bonis  
Autoribus: ex his ubi jam maturuerit dictio, fe-  
licius expones teipsum nasuto fastidiosoque Mun-  
di Theatro. Neque quodvis argumentum erit  
arripiendum, sed diligendum aptum ingenio  
tuo, tuisque viribus: hoc pacto continget tibi  
gloria, fortasse serius aliquanto, sed solidior ac  
vivacior. Hoc consilium si tibi placet, olim &  
mihi gratias ages, qui dederim, & tibi gratula-  
beris, qui sis obsequutus. Si non placet, tamen  
hunc animum tuis commodis haud vulgari mo-  
re faventem non poteris non boni consulere.  
Magistratui Francfordiensi consulto non scripsi,  
quemadmodum volebas, vel quia mortuo Patre  
Cratonis nullus in eo mihi notus est, vel quia ne  
levis quidem erat causa cur te illi commenda-  
rem. Non expedit autem hoc officii genus in-  
utiliter profundere, sed in suum usum servare  
consultius est. Ubi tale quid inciderit, experie-  
ris Erasminum Nauseæ sui causa nihil recusare.  
Expecto per literas tuas, quid agat Romæ Card.  
Campegius. Florianus abiit Legatus ad Mo-  
schobitas. Bene vale. Basileæ, postridie Nonas  
Martias, M. D. XXVI.

ERASMUS ROTERODAMUS

Hilario Bertulpho s. d.

In-

**I**nvitavi te proximis literis, ut ad nos te consernas, quodsi a Gallicis lotis non potes avelli, faltem per literas instrue nos, quomodo gratulandum sit Francisco, Regum optimo, ad suos reduci: idque quamprimum. Facile disces ex Aulicis quæ scriptu digna sunt. Multis quidem duriores videntur coiti Fœderis leges, sed Deus omnia vertet in bonum exitum. Quæsto te, pollicitator, ubi sunt Calendæ Latinæ? Bene vale. Basileæ, 17. Calend. Junias, Anno M. D. XXVI.

**E R A S M U S R O T E R O D A M U S**

Antonio Puccio, Episcopo Pistoriensi,

S. D.

**R**everende Præsul. Quum penitus infixa sint animo meo tua in me neutiquam vulgaria officia, tamen hactenus ab officio literarum temperavi, quod officii potius esse ducereim Tuam Amplitudinem tot negotiis occupatam non interpellare supervacaneis epistolis. Sed quum oblato Nuntio rogarem Lodovicum Berum Præpositum, mihi singularem Patronum, ecquid vellet mandare Romam, orta mentione tui noiminis, obnixe rogavit, ut te tribus verbis salutarem: quem incolumem esse gaudeo vehementer, bonaque spe sumus, Fortunam, quæ cœpit evchere Dignitatem tuam, aliquando tuis Virtutibus responsum, quibus ex teipso maximus es, velit nolit Fortuna. Nobis hactenus cum calculo & oblatratoribus tantum res fuit: nunc

nunc incidit ea tempestas, ut superiorum malorum pene simus obliti. Quum volet Dominus, & quum promerebimus, hic rerum tumultus aliqua serenitate commutabitur. Affulsit enim aurula quædam Pacis inter Monarchas sarcendæ: Id si contingat, fortassis sub Autumnum isthuc adrepemus. Rogarem, nisi considerem te id sponte facere quod soles, ut Erasmo Clientulo tuo faveas. Berus, opinor, ad te scribet, tametsi pudet hactenus filiuſſe, & veretur Magnitudinem tuam. Certe ex animo te suspicit, amatque, si quis alius. Ei precor omnia fausta lætaque. Basileæ, Feria quarta post Pentecosten sive, 8. Junii, Anno M. D. XXV.

### ERASMUS ROTERODAMUS

Leonardo, Officiali Archiepiscopi  
Besontini, s. v.

**V**ir Egregie, levius odiſſem hanc valetudinem, si mihi tantum adferret cruciatum, non etiam Amicis gravem redderet ac molestum. Tolerabilior enim esset, si dolorem haberet absque pudore: nunc non tam pigebat morbi, quum apud vos essem, quam pudebat, quod vestro in me affectui longe humanissimo deesse coactus sum. Et haud scio, an sint non eadem Humanitate prædicti, qua vos estis, qui meam calumniantur calamitatem, & infelicem necessitatem interpretentur Inhumanitatem. Post abitum hic diu langui, magnaque Victus moderatione, sensim ac paulatim revixi. Ubi sum factus paulo firmior, aperuit se calculus, qui latuerat in insi-

insidiis. Eum ejeci, sed cum summa vitæ desperatione, post aliquanto commodius habere cœpi, reperta aqua ex adipso cocta, qua vinum diluio: quod si amarum est, dulcescit: si acidum, corrigitur: si austерum, mitescit: si acerbum, fit lenius: si ardens, refrigeratur. Nescio quid rumoris huc allatum est, Discessum isthinc nostrum sequuntam esse Famam, nos esse Lutheranos. Verum ad hos Tumultus iam occallui. Utinam utraque pars huc incumberet, ut Evangelica sinceritas vere floreret apud omnes: Non deesset stilus meus. De confirmanda Missa magna sedulitate tumultuatur Betricius: at mihi res cordi non est, & præstat hoc Seculo non dare ansam improbis tumultuandi. Habetis isthic in propinquuo novum Evangelistam Pharellum, quo nihil vidi unquam mendacius, virulentius aut seditiosius. Mihi videtur esse tempus, ut Episcopi cum Principibus serio conferant sua consilia, quo dissidium hoc, quod indies serpit latius, sic componatur, ne facile repullulascat. Nam vulgaribus remediis, hoc est, palinodiis, carceribus & fasciculis video nihil profici, nisi in pejus. Commendabis me diligenter D. Archidiacono & hujus Officiali: præterea Francisco Thesaurario, De-fiderato, cæterisque Dominis & Amicis meis. Bene vale. Basileæ, postridie Innocentium, Anno M. D. XXIV.

ERASMUS ROTERODAMUS  
Medico cuidam s.

Eum

**E**uin, qui tuas reddidit, nondum alloquutus sum. Quum huc veniret eram occupatus in Origene vertendo, cuius Fragmentum in Matthæum nacti sumus: Quum rediret, obortus erat intolerabilis dentium cruciatus, adeo ut nec loqui possem, nisi exasperato malo propter haustum aërem. Media æstate passi hic sumus hymem. Pro commonstrato remedio gratiam habeo maximam, etiamsi mihi non cum arenulis, sed cum saxis res erat, unde Medici λθωσιν appellant. Verum hoc malum in aliud est commutatum, quod perpetuum habet molestiam, sed dolore tolerabiliore. Id ni factum esset, jam ab his tumultibus liber esset Erasmus. Fuit apud nos Gervasius Theologus vere candidus, cuius colloquium mihi magno fuit solatio. Claudio Felici multam opto felicitatem. Quod me amantissime consolaris adversus Hominum invidiam, vel malitiam potius, scito me non tam mea causa dolere, quam Christianæ Religionis nomine, quæ tales habet & Doctores & Propugnatores. De me meisque studiis viderit Christus. Et utinam præter Beddam ac Sutorem nullus esset eadem infectus malitia. Reverendo Præfuli tuo meis verbis pluriham dices salutem. Bene vale. Decimo Cal. Junias, An. M. D. XXVII.

**ERASMUS ROTERODAMUS**  
Guilhelmo Waramo, Archiepiscopo  
Cantuariensi, s. d.

**V**nicum meum in Christo Decus ac Præsidium, partim ex literis tuis, partim ex his,  
quæ

quæ Famulo mihi narranda commiseras, diligide perspexi plusquam Paternam tuam erga me Pietatem. Idem utriusque votum est. Verum obstat præsens Temporum conditio. Nondum ab acie licet discedere. Sed brevi fortasse licebit, ut minore intervallo dirimamur. Interim jubeo te bono esse animo. Tumultus hi plane fatales sunt. Me non citius deficiet animus, quam vita. Is, quem nosti, totius hujus Tragœdiæ, & quæ mota est Lutetiæ, & quæ nunc fervet vel furit potius in Hispania, autor est: Homo natus ad hujusmodi Sycophantias, nec alia re celebris inter Mortales. Verum apud Hispanos præcipue mendicantes agunt hanc Fabulam, faventibus mihi Episcopis ac Doctis præcipuis, præter Aulæ Studia. Res habebit, ut spero, prosperum exitum. Pecunia pensionaria nondum pervenerat ad Petrum Ægidium circa finem Julii, nunc arbitror redditam. Amplitudinem Tuam incolunem servet Omnipotens. Datum Basileæ, 19. Cal. Sept. Anno M. D. XXVII.

ERASMUS. ROTERODAMUS

Matthiæ Laurino, Domino de

Watervliet, s. d.

**E**x Märci Laurini literis cognovî, quod mihi fuit longe gratissimum, te recte valere, veteremque tuam in me Benevolentiam, nec locorum, nec temporum intervalllo posuisse. Quorundam male auspicatorum Hominum improbitate labo- rant Bonæ Literæ, & qui his provokendis nava- runt

runt strenuam operam, lapidantur a Picis, Graecis & Corvis, ego cum primis. Quod ni essent boni ominis Aves, quæ funestis obstreperent, prohibeant Superi, quod isti videntur ausuri. Quare tibi, Vir Generose, non meo tantum, verum etiam Literarum ac publico Studiorum nomine gratias ago, quod adversus istos Blaterones optimam Causam & prudenter & feliciter tueris. Rursus apud Hispanos tantos excitarunt tumultus Mendici quidam, ut nec a Cæsare, nec ab Archiepiscopis compesci quiverint. Tantum valent clamoribus. Tota Spes illis est in maledica lingua. Nisi me revocaret Christiana Modestia, & ni vererer, nedum Improbis digna rependo, laedam Probus, sentirent qualem Artificem provocassent. Mirror autem istos nullum moliendi finem facere, quum toties male cesserit conatus. Quid enim aliud efficiunt, nisi quod exacerbant publicum in ipsos odium. Metui volunt, non amari, quo quid esse potest magis tyrannicum? Tyrannus qui timetur a multis, multos metuat oportet, & Mendici volunt & Regibus esse formidabiles, eo progressæ sunt res humanæ. Cura ut quam optime valeas. Basileæ, Anno M. D. XXV.

ERASMUS ROTERODAMUS  
LIVINO, Abbati Monasterii S. Bavonis  
Gandavi, s. d.

**Q**uæ præter meritum obtingunt, hoc plus solent habere pretii: & quæ præter expectationem obveniunt, solent esse gratiora. Non-

Nonnunquam & Autor magnificus pretium ad-  
dit suo muneri. Nihil autem tam per se vile est,  
quod non eximie charum reddatur, si prove-  
niat ab animo amico. Quot igitur nominibus  
mihi putas gratum fuisse munus tuum, Præful  
Egregie, quod per insignem Virum Cornelium,  
Advocatum a Fisco, misisti, adeo non expectanti,  
ut si de Cœlo delapsum fuisset, non potuisset  
magis inexpectatum accidere. Nam quod ultro  
mittitur, quod immerenti, quod nec per somni-  
um expectanti, non potest non ab amicissimo  
pectore profici sci. Et munus per se gratissimum  
verbis etiam commendas. Negas esse munus,  
sed animi symbolum. Ais non ditandi causa  
missum, sed salutandi gratia. A amplector igitur  
istum animum tuum, & agnosco quid debeam.  
Ut pariter te redarem, tamen hoc calculo vin-  
ces, quod me prior ad Amicitiam provocaris.  
Nam in ea Confuetudine, quæ mihi tecum fuit  
Gandavi, ac Dernemondæ, tam me gessi inci-  
viliter, ut non semel veritus sum, ne prorsus ani-  
mum tuum a nobis alienasseim. At qui sic pro-  
vocatus amare potest, dignum arbitror, qui  
toto pectore redaretur. Sed Marcus Laurinus,  
Decanus apud Collegium Sancti Donatiani,  
pollicitus est mihi vetusissimum Codicem ma-  
nu descriptum e vestra Bibliotheca, qui conti-  
neret Commentarios divi Hieronymi in Psal-  
mos. Qui si commode ad nos mitti non potest,  
saltem optarem ex eo describi unam aut alte-  
ram paginam, quo mihi collatione liceat expe-  
riri,

riri, num hi Commentarii, quos habemus excusos typis, adulterini, aut inutili sint, nec ne. Quodsi ne id quidem commodum est, arbitror, me ad Calendas Augustas Brugas repetiturum. Tum igitur vel obiter salutabo Tuam Amplitudinem. Bene vale, Pater omnibus modis Observande in Christo Jesu. Ex Anderlaco, XI. Cal. Julias, Anno M. D. XXI.

## ERASMUS ROTEROD. CAROLO HARST

S. D.

**B**is igitur tibi debedo, mi Carole, & quod nos volueris invisere, & quod abstinueris, ne Studia mea interpellares. Quod mihi Rus hoc gratularis, certe nihil jam multis mensibus a me factum est, quod cesserit felicius. Perieram, ni Urbium nidorem reliquissim. Jam mihi cum Medicis res esse cœperat: consulti diversi diversa præscripserant remedia. Ea quo minus sumpererim, nihil obstitit, nisi quod non vacabat ægrotare, subinde novis negotiis alio vocantibus. Quanquam hoc quoque penetrant ὅι πτωχοτύρευνοι. Quid enim istis est inacecessum? Et e propinquo quotidie audimus infusaſ Fabulas. De Carino quod mones, jandudum a me curatum est. Nefeno misi: cui tradideram, ait se reddidisse Capitoni nostro. Tu fac modis omnibus compiles Conradum Goclenium, omni genere Literarum opulentum, ac veluti gnarus & avidus Negotiator, honestissimis mercibus in Patriam tuam onustus red-  
eas.

eras. Sed in primis stilum acue, quo possis aliquando Rabulas istos, qui tam stolidi reclamant optimis Studiis suis depingere coloribus. Bene vale. Ex Rure Anderlaco, X. Calend. Julias, Anno M. D. XXI.

**ERASMUS ROTER. GULIELMO TALEO**  
Suo s. d.

**Q**uando desines queri, me tuum nomen e Gulielmorum catalogo submovisse? Quantumvis abest a catalogo Taleus, certe ab animo nunquam absfuit. Monumentum amoris in me tui, quoquo me conseruo, mecum circumfero. Et utinam aliquando contingat ad veterem illam redire vitæ Consuetudinem, & quam Ferrariæ primum sumus auspicati, mox apud Britannos renovavimus, feliciter consumimemus. Utinam casus aliquis, tuo quidem bono, in hanc nostram Brabantiam te propellat. Est Lovanii Cœlum, quod vel Italico quondam adamato præferas, non amœnum modo, verum etiam salubre. Nusquam studetur quietius. Nec alibi felicior ingeniiorum proventus. Nusquam Professorum major aut paratior copia. Hæc Commoda si te huc non pellicunt, certe tanti est Pestem Britannicam effugere, quæ, ut audio, isthic parcit nemini. Bene vale. Brugis, Idus Augusti, Anno M. D. XXI.

**ERASMUS ROTERODAMUS**  
Hieronymo Frobenio s. d.

D d 2

Mihi

**M**ihis gratias agis, mi Hieronyme, quod ex literis meis propensior in te factus sit Patris animus. Sed in te situm est, ut sit propensissimus. Id fiet, si te vere Filium esse declares, & ex animo rem Patris adjubes. Non mirum, si quando cessant operæ mercenariæ. At tunc dum Patrem adjuvas, tuum ipsius agis negotium. Nunc ætas est laborum omnium patiens; ea est rebus honestis exercenda. Quod datur vacui temporis, hoc impende honestis Studiis, & evolvendis bonis Autoribus. Fuge Consortia nepotum & otiosorum, abduc te a juvenilibus Voluptatibus, & veris Dotibus temet instrue. Quod si facies, non deerit tibi neque gloria, neque pecunia: sin secus, & ego te frustra commendavero Patri, & ipse tibi parum bene consulueris. Sed absit ut hoc eveniat. Confido, mi Hieronyme, te talem futurum, qualem optamus utriusque. Bene vale, & saluta Erasmolum Puerum, ut audio, spei optimæ. Brugis, pridie assumptæ Virginis, Anno M. D. XXI.

### ERASMUS ROTERODAMUS

Laurentio Bartholino Abbati

s. d.

**N**on semel ipse mihi displicui, Bartholome Optime, quod istam indolem tuam, Virtuti ac Bonis Literis natam, non fuerim magiore cum Humanitate complexus, cum apud nos esses una cum Longolio. Sed ad hujusmodi officia præstanda magis deest nobis otium quam

quam animus. Quis autem non admet istud ingenium tuum tam avidum Eruditionis, ut Italus Homo per tot Barbaras Regiones peregrinari volueris, non tam Ulysseæ cuiusdam Prudentiæ comparandæ gratia, qui Mores hominum novit & Urbes, quam ut cum Viris Doctrinæ opinione celebratis congredereris. Inter quos, nescio quis, tibi persuaserat esse numeratum Erasinum. Quanquam autem hac parte plane sciam te frustratum expectatione tua, tamen illud, opinor, profecisti, ne posthac tam facile credas, vel Laudatoribus istis, vel Obtrectatoribus. Sed interim exoscular Italiæ candorem, quæ favet Exterorum ingeniis, cum ipsi nobis invideamus. In digressu petieras a nobis, ut disjuncti mutuis epistolis colloqueremur. Prior itaque lacesto, tamenetsi in præsentia nec admodum vacabat scribere, nec erat argumentum aliquod serium. Fac recte valeas, & quid agas ut sciam. Lovanii, Anno M. D. XXI. Calend. Mart.

ERASMUS ROTERODAMUS  
Henrico Caduceatori a Staffenburgio

S. D.

**S**i Medicus essem, mihi primum essem, cui nunquam non res est cum immanissimo calculi Malo. Quin legamus multos eruditissimos Viros plane cæcos fuisse, demiror te levius incommodum tam impotenti animo ferre, quod non cernas nisi proprius admota; quod vitium, si verum est, comperi in plerisque, qui in-

Dd 3

genio

genio præcelluerunt, quanquam alii levius, alii magis obnoxii sunt. Alexander, Jacobi Scotorum Regis Filius, quem, opinor, nosse te ex Adagiis, adeo laboravit hoc Malo, ut ni naso contingenteret Librum, nihil cerneret. Proinde si Naturæ vitium est, noli pugnare Pharmacis, sed adhibe vitrea conspicilla in hoc attemperata, ut qui pene cæci sunt, cernant etiam procul diffita. Nec tamen omnia congruunt omnibus oculis. Eligenda sunt e multis, quæ convenient. Sin causus adduxit vitium, leniri potest variis remediis, quæ norunt & Chirurgi. Sed præcipuum est fuga eorum, quæ lædunt oculos, inter quæ est Studium à cœna, & ad lucernam. Proderit assuevisse, ut, quium licet, auribus studeas, potius quam oculis. Tantum nunc licuit ad tuas literas. Bene vale. Basileæ, postridie Pentecostes, sive 10. Junii, Anno M. D. XXVII.

## ERASMUS ROTERODAMUS Ludovico Vivi s. d.

**V**ideo te factum ζωον εἰμφύσιον, nisi mavis dici Mercurius superis Deorum gratus & imis. De silentio meo multas tu quidem causas recte conjectas: unam addere debueras, quod aliquoties data non redduntur. De Colloquiis demiror tanto Patrono vel in pessima causa esse rationes, nunc inter Pueros talia disputantur, & ὁ χωλὸς sua Pueris scripsisse videtur, tam scripti pueriliter, postremo grandescunt Pueri: itaque iam adultis magis seria conveniebant. Verum,

rum, ut ingenie dicam, perdidimus liberum arbitrium. Illic mihi aliud dictabat animus, aliud scribebat calamus. Tua mihi valde probantur, maxime quæ de Matrimonio. Sed affectas extemporalitatem, quæ tibi sane felicior est, quam multis exactissima cura. Si tamen eum impetum velles moderari, magisque servire judicio Lectoris, cui agitur Fabula, quædam essent molliora. In Matrimonio durior videbaris in Uxores, opinor in tuam te magis comem esse. Et de Scabie nimis multa. Quod tuorum libenter facis mentionem, habes cum Cicerone communne, & sane Pietatis est; sed invidum est Hominum ingenium, alienos laudari ferunt lubentius. Habes meum judicium, sed de quo tibi vicissim liberum est facere judicium; obsequium certe probes oportet qui juss eris. Per hunc rescribes quæ voles. Bene vale. Basileæ, pridie Ascensionis, die 29. Maji, Anno M. D. XXVII.

ERASMUS ROTERODAMUS  
SIMONI PISTORIO

s. d.

**M**iseram nuncium ære proprio conductum, quem arbitror apud vos fuisse, nondum enim rediit. Nunc scribendi occasionem dedit Christophorus Carlevitzius, quem antea timide commendaram illustrissimo Principi, semel atque iterum nonnihil pudefactus mea Commendatione. Sed posteaquam hunc domestico Convictu proprius inspexi, penitusque cognovi,

Dd 4

non

non dubitarium illum cuivis Principi meo periculo commendare. Latine exacte callet, Græce mediocriter doctus, in Juris quoque prudentia satis feliciter versatus: ad hæc judicii sobrii, moribus commodis, nihil habens neque fuci, neque supercilii: in Summa, Thrasonis illius dissimillimus est. Cogitur relictis Musis, quas unice adamat, ad Aulicam Vitam se conferre: plurimum fiduciæ posuit in suo Principe Georgio, nec ego parum habeo spei, si modo Tua Humanitas dignabitur Autoritate gratiaque sua nostram adjuvare Commendationem. Quod ut facias, te etiam atque etiam rogo. Crede mihi, penes Juvenem dignum, gratum ac memorem collocaris istuc officii. Datum Basileæ, prid. Id. Mart. An. M. D. XXIX.

ERASMUS BALTHASARI,  
Episcopo Hildeshemensi s.

**I**am diu est, Ornatisseme Præful, quod amo tuam civilem Benignitatem, non ignarus quantum illi pro singulari erga me Favore debeam. Sed hactenus non est oblata occasio, per quam tibi vicissim grati animi significationem darein. Nunc obtulit commodum fese Juvenis hic, Majorum quidem Imaginibus clarus, sed longe clarior eximiis animi Dotibus. Is desiderat tibi notus esse, quem, si non gravaberis cognoscere, incipies sat scio diligere. Ex hoc de statu rerum, tum publico, tum meo privatim, abunde cognosces, quando tutum non est quidvis literis committere. In me sic freunt quidam his novis Factionibus adicti,

dicti, tum ex diversa parte Bedda ac Sutor, Theologi simpliciter furiosi, postremo Pseudo-monachorum Phalanges nihil sanores, ut ni Principum favore sublever, non possim subsistere: nullorum enim improbitas tantum apud me valebit, ut ab Ecclesiæ confortio recedam. Utinam quemadmodum Serenissimi Regis adventus Bonos omnes in spem erexit, ita favente Christi Spiritu hanc rerum Tempestatem vertat in Tranquillitatem. Bene vale. Datum Basileæ, Idus Martias, Anno M. D. XXIX.

ERASMUS ROTERODAMUS

Joanni Valdesio s. v.

**V**t mihi permolestum fuit Valdesium meum tot molestiis ac periculis agitatum esse, ita magnam voluptatem attulit, quod ex tuis literis cognovi, te incoluim ex isto naufragio enatusse. Jam non mediocriter me discruciat, vestram Hispaniam tot affligi malis. Utinam aliquando Deus Monarcharum animos ad Pacis amorem convertat. Ne posthac sollicitus sis, quomodo mihi excuses Charissime Juvenis tuum silentium: illud inter nos pactum esto, quotiescunque scripsero Fratri tuo, tibi quoque scriptum esse: dein, quoties ille mihi responderit, a te quoque responsum esse: quandoquidem ego vos tam gemellos pro unico habeo, non pro duobus. Quod epistolium sic neglecte scriptum inter tua præcipua κειμήλια reponis, ego vicissimum istum tam candidum & amicum animum plu-

Dd 5

ris

ris facio, mi Joannes, quain ut inter gemmas  
aneas velim reponere, sed in pectoris mei scrinio-  
lo reconditum usque servabo. Evidem non  
possum non gaudere tam multos existere istic,  
qui nobis ex animo bene velint. Sed rursus mo-  
lestum est, Regionem istam alioqui felicissimam  
tot habere σφήνα Crabronibus improbissimis  
differta, qui non mihi solum, sed Amicis etiam  
omnibus tam odiosè facessant negotium, ut pro-  
pe magis mihi doleat vestrum incommodum  
quam meum. Tibi tuique similibus omnibus  
ex animo gratulor, qui Studia Conatusque ve-  
stros omnes in hoc confertis, ut cum elegantia  
Literarum Pietatis Christianæ sinceritatem co-  
puletis, quod apud Italos antehac a non ita mul-  
tis tentatum videmus. Quid enim est Eruditio  
si absit Pietas? Bene vale. Datum Basileæ, duo-  
decimo Calend. April. Anno M. D. XXIX.

ERASMUS ROTERODAMUS  
Leonardo Officiali Besontino s. d.

**Q**uum hæc scriberem, Auriga nunciavit Vi-  
num in propinquo esse, hodie, aut cras  
ad futurum. Ex epistola Stephani ad Hierony-  
mum Frobenium intellexi nihil Aurigæ nume-  
ratum iſhic, quod factum gaudeo, pactum ta-  
men fuisse vellem. Petit tres coronatos, eos lu-  
bens dabo. Si plus exegisset, dandum erat quan-  
tum illi libuiffet. Animis iste tuus, quem expri-  
mis epistola licet brevi, quovis Vino mihi suavior  
est, tametsi gratissimum est & illud. Opinor  
tibi

tibi communicatas literas, quas ante paucos dies  
scripsi per Famulum Comitis cuiusdam Germani.  
Eram antea tibi vehementer obligatus, Vir  
Humanissime, nunc habes Erasmus obligatissi-  
mum. Et si tu non porrexeris, tamen a me quæ-  
retur occasio referendæ aliqua saltem ex parte  
gratiæ, tam obviæ Benignitati tuæ. Gratissi-  
mum autem fuerit, si tu non gravaberis indicare,  
qua ratione possim hic ingrati Hominis notam  
effugere. Nunc mitto Senecam non illepidum  
Confabulonem, si quando dabitur otii nonnihil  
a tuis gravissimis occupationibus. Augustinus  
strenue decurrit ad metam, nondum tamen ab-  
solutus est. Bene vale. Basileæ, Calend. Aprilis,  
Anno M. D. XXIX.

ERASMUS ROTERODAMUS

Antonio Fuggero s. d.

**Q**uo minus extat meorum erga te Merito-  
rum, Vir Clarissime, hoc magis debo isti  
tam propenso in me animo, tamque obviæ &  
expositæ Benignitati, quam ego adeo non con-  
temno, ut libens fatear me non minus obstrictum  
tibi, quam si quicquid offers accepisse. Jam  
enim me ingenti lucro auctum esse duco, quod  
Antonium Fuggerum, Virum omnium ore cele-  
bratum, mihi tam ex animo Amicum esse  
intelligo. Satis ex multorum narratione com-  
pertum habebam, Augustam esse, quæ vix ulli  
Germaniæ Civitatum, splendore, opibus, huma-  
nitate cederet, & ante menses complures eodem

me

me vocarat Urbis vestræ Præful Vir, ut scis, Pi-  
tate juxta ac Doctrina cumprimis ornatus:  
quemadmodum inclytus rex Ferdinandus ante  
Viennam invitarat, pollicitus quotannis flore-  
nos aureos quingentos, neque quicquam a me  
requirens officii: Quem Principem, ut habeo  
meis commodis per omnia faventem, ita vehe-  
menter cuperem illi per omnia gratificari. Sed  
hoc corpusculum ægre tueor domi manens, ac  
medice, quod ajunt, proinde misere, vivens:  
adeo ut Veste aut Vino mutato statim pericliter:  
tantum abest ut mihi tutum arbitrer illud longo  
itineri committere, etiamsi nihil a Prædonibus  
esset discriminis. Huic nido jam multis annis  
assuevi, & vetulam arborem transplantare veta-  
mum etiam Græcorum Proverbio: itaque quan-  
do hic manere non est integrum, non quod  
quisquam exigat, sed quod qui mihi male vo-  
lunt, & quavis ex occasione struunt calumniam,  
si hic diutius hæream, interpretaturi fint, mihi  
probari quicquid hinc rerum geritur: quod si fa-  
cerem, possem hic gratus vivere his, penes  
quos nunc rerum Summa est: Cæterum id, in-  
quam, quoniam mihi nec per Deum, nec per Prin-  
cipes, quorum favore sublevor, tutum aut inte-  
grum est, decrevi Friburgum proximum conce-  
dere, quo jam quod erat in Supellecstile mea cha-  
rissimum præmisí, atque ibi Senatus Domum  
satis commodam, olim Maximiliano Cæsari cœ-  
ptam extrui, designavit, omnem præterea Fav-  
orem pollicens. Quin & ipse rex Ferdinandus  
literis

literis amantissime scriptis ei Senatui me commendavit. Ac iamdudum illic essein, nisi sceleta quædam pituita me fuisset remorata. Si hoc bene cesserit, audebimus fortassis longius provolare. Malum enim, quando Basilea relinqua est, longius ab illa abesse. Quod scribis istic fortissimi simul & prudentissimi Senatus vigilancia prospectum esse, ut omnibus libertas manserit in columnis, sane gratulor vestræ Reipublicæ, quam huc rumor attulerat isthic duas aut tres Ecclesiæ cessisse Lutheranis, totidem Zwinglianis, quinque relictas Orthodoxis, qui civitatis status non potest abesse a periculo. Sed non raro mentitur Fama. Verum, spero Domini Clemencia per Principum vigilantiam dabit aliquando fine in his Malis. Non dubito quin meam excusationem sis in bonam partem accepturus, quæ justior est quam vellemus utriusque. Utinam quemadmodum offers Viaticum, & annuam Pensionem, ita posses & firmiorem dare Valetudinem. Sed quod nunc non licet, fortassis aliquando dabit occasio. Interim si quid erit, in quo tibi queam gratum facere, reperies Erasmus ad omne obsequium tam promptum, quasi jam tua Benignitate fuisset usus. Est enim gratia animi, acceptum ferre, quicquid aliquis ex animo dare voluit. Opto te cum tuis omnibus quam prosperrime valere. Datum Basileæ, quinto die Aprilis, Anno M. D. XXIX.

ERASMUS ROT. ALPHONSO MANRICO,  
Archiepiscopo Hispalensi, s. d.

Omnatissime Præsul. Testis est mihi Dominus,

nus, quod magis sollicitus fuerim, ne quid tumultus Monachorum improbitas apud vos excitaret, quam de causa mea. Nam me quidem hæc Ecclesiæ dissidia sic discruciant, ut mihi propemodum optabilior mors sit quam vita. Si vere spectarent Christi gloriam, ac Pietatis negotium, nequaquam ad istum modum publicam Tranquillitatem inquietarent. At vereor ne complures istorum transversos agat gloriæ sitis, ac gulæ ventrisque negotium. Dolet minoris fieri quam solent aut vellent: dolet minus licere quam liberet: dolet plerosque resipiscere, quorum Simplicitas hactenus illis lucro fuit. Magis autem gaudere debebant de lucro Pietatis, deque gloria Christi. In hoc uno oportebat & gloriā, & opes, & autoritatem, & voluptatem omnem collocare, qui se Mundo mortuos profertur. Ago gratias Domino, qui per tuam Autoritatem inconditos istorum Tumultus mitigare dignatus est. Neque me clam est, quantum debeam absolutissimo Theologo Ludovico Coronello. Christus, qui per vos hæc operatur, rependet vobis præmium, nunquam auferendum. Ego patienter omnia tolerans, quæ Dominus immittit, seu læta, seu tristia, Bonas Literas, ac Pietatem pro mea virili provehere conabor, usque ad extrellum animæ. Erupit in vulgus Apologia nostra, quam ego magnopere premi cupiebam, non tantum eo quod suspicabar Amplitudinem Tuam id inalle, verum etiam quod mea referret hoc negotium non spargi latius; quæ res & Adversarios plus satis irritatos acrius exacerbaret,

baret, & mihi non mediocrem invidiam conflaret apud plurimos. Verum, hujus casus veniam deprecor in priore Præfatione, quam alteri præposui. Dominus Amplitudinem Tuam servet incolumem, Eximie Præful, qui per te tuique similes Ecclesiæ suæ Pacem ac Tranquillitatem restituere dignetur. Datum Basileæ, 12. Calend. Aprilis, Anno M. D. XXVIII.

**ERASMUS ROTERODAMUS**

Petro Decimario s. d.

**Q**uamdiu corpusculum hoc suffectorum sit laboribus, novit in cujus arbitrio sunt res Mortalium omnes. Qui jactant vires attritas, ut scribis, aliquanto clementius me tractant illis, qui me solent quotannis bis efferre. Nunc gratia Christi valetudo paulo prosperior est quam fuit Annis superioribus. Ventres ac mali ποιμένες nihil aliud lucrificant, quam odium ac ludibrium, nec satis mirari possum Hominum stoliditatem. Quum hanc tempestatem nobis immiserit Dei manus, vitiis Hominum exacerbat, culpam in alios rejicimus, & Canum more lapideum projectum mordemus, non attendentes ad eum qui projicit. Dominus est, qui nos omnes vocat ad Vitæ correctionem, nec audiuntus admonenter, sed frivolis causationibus ipsi nobis blandimur. Gulielmum Carmelium, & Stephanum Florimundum, meo nomine vicissim salutabis amanter. Cum Ventribus non est admodum verbis decertandum, modestia recteque factis eos ulcisci pulcherrimum est. Mittam tibi duos Libellos recens excusos: alterum De recta Pronuntiatione:

tiatione: alterum De Phrasí Ciceroniana, si modo Negotiator non gravabitur hoc oneris suscipere. Geminum Tetraastichon non gravabimur addere Copiæ, aut simili Libello. Proverbiis non item quadraret. Bene vale. Basileæ, quarto Calendas Aprilis, Anno M. D. XXVIII.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Joanni Cochleio s. d.

**S**ciebam errore factum de mutato Editionis ordine, & si studio factum esset, res levioris est momenti, quam ut ob id minus jucundus sis Amicus, tantum abest ut sim offensus. Thomam Morum tibi factum Amicum gaudeo. Decet enim, ut, si juxta Proverbium: Amicorum communia sunt omnia, sint Amicorum & ipsi communes Amici. Quod Peninsulam Cymbricam cogitas, precor ut bene vertat. Iter perlongum est, & Gens fera dicitur, & instat Hyems, præterea Cæsar molitur generale Concilium. Habeo Libellos, quibus continentur omnia Acta inter Cæfarem, Gallum, Venetos & Pontificem, excusa Compluti per Cancellarium Mercurinum. Verum si te urget res & allicit bona spes, mitius feram tui desiderium, quem tamen mallem abesse proprius. Si Episcopi pugnarent pro Regno Christi, non pro suo, alacrioribus animis capesseremus hanc Militiam. Et tamen interim compescenda est improborum seditiosa temeritas, donec Deus afflet Principum animos. Horum Tumultuum nullus unquam erit finis, nisi quædam mutentur: sed ea sunt ejusmodi, ut nulla spes sit

fit fore, ut recipiant. Quare tibi nihil in isto negotio possum consulere, nisi ut species non Hominum, sed Christi negotium, magisque sis intentus servandis Hominibus, quam puniendis. Plura literis committere nec vacat, nec tutum est. Bene vale, Frater & Commilito in Domino Charrissime. Datum Basileæ 8. Calendas Septemb. Anno M. D. XXVII. Optimo Nauseæ multam ex me salutem dicio.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Lazaro Bayfio s. v.

Onerare laudibus immodicis, si cui bene volunt, adeo Doctis solenne est, mi Bayfi, ut refellere, sit agnoscens. Itaque statui posthac quicquid est istiusmodi, silentio concoquere. Gratus tamen est mihi tuus candor, quem olim literis suis Hermannus Phrysius mihi depinxit. Quoniam recusas quod abs te peto, recuso vicissim quod a me petis, ut in Turbam eorum, qui Studiorum meorum æmuli sunt, recipiaris. Imo inter Amicos primarios primas tenebit Bayfius. Nos nostro Seculo Fabulæ partem egimus, nunc æquo animo cedimus felicioribus. Theologorum inconditos tumultus non queo satis admirari. Scripsi super hac re Senatui Parliamentari & sacratissimæ Facultati. Quod ajunt, apud me Christum damnare Vota, nil mirum, quum Bedda tot evidentissima mendacia mentitus sit in uno Libello. Si mavis isthic edi Libellum tuum de Vasculis culinariis, eo quod adsis &

Ee

frons,

frons occipitio sit prior, probo. Sin isti cessant, curabimus h̄ic excudi, modo mittas Exemplar abs te recognitum. De Vasculis amplector bonam voluntatem Reverendissimi Cardinalis. Ceterum Quæstor obliviscetur, accusabit Aurifices qui fecellerint. Hic certe solent σπεύδειν βέβαιος Principum Famuli. Ne pilus quidem Vasculorum acceptus est. Scribam ubi recepero. Michaël Bentinus præmissa Uxore, Uxoris Matre, & Hospite quodam, adhæc & Puerō, quum paucis diebus in solis Ædibus versaretur, eadem pestilentia sublatus est. Sequitus est illum protinus is, qui in castigandi vices successerat. Nos vero reliquit & Joannes Frobenius mœrore meo immadicabili, nam Uxor jam alteri nupsit. Gratulor tuis Studiis istum Mæcenatem, non minus benignum quam potentem; quem mihi tecum communem esse factum gaudeo. Tuum erit submonere, si quid erit, in quo possum illi gratum facere. Bene vale. Basileæ, Calendas Martias, Anno M. D. XXVIII.

ERASMUS ROTEROD. NICOLAO VARIO  
Marvillano s. d.

**N**egabas esse quod scriberes, imo multum est mihique gratissimum quod scribis isthic fausta feliciaque esse omnia, quodque summo consensi negotium Literarum gnaviter agitis. De dissidio nihil est, neque delationis, neque suspicionis, nisi quod ex vestris literis conceperam. Subvereor tamen nonnunquam, ne tua

tua libertas, quam tibi natura insitam esse video, præbeat aliquam offensionis ansam iis, quibus ad lædendum nihil deest præter occasionem, ut habet vetus Proverbium. Audio & Joannem Campestrem simili candore præditum. Hic eo sum timidior, quod toties expertus sum, quantum malorum animi mei simplicitas, linguæque libertas, mihi conflaverit. Cæterum, hanc meam sollicitudinem vanam esse gaudeo. Evangelicos istos, quum aliis multis, tum illo nomine præcipue odi, quod per eos ubique languent, frigent, jacent, intereunt Bonæ Literæ, sine quibus quid est Hominum Vita? Amant Viaticum & Uxorem, cætera pili non faciunt. Hos Fucos longissime arcedos censeo a vestro Contubernio. Satis jam diu audivimus Evangelium, Evangelium, Evangelium, Mores Evangelicos desideramus. Quam isthic Monachi muti sint, nescio. In Hispaniis vocales sunt plus satis, nec desunt alibi qui blaterent, præcipue nudipedes quidam, quid illos stimulet, nescio. Sed sibi suo jumento accer- sunt malum. Bene vale. Datum Basileæ, XIV. Calend. Aprilis, Anno M. D. XXVIII.

Saluta Mierbekanum, Rescium & Campensem, ipsum etiam Goclenium, si forte non vacabit scribere.

ERASM. HERMANNO COMITI A NOVA  
AQUILA s. d.

**Q**uam male timui ne te absorberet Hispania, tam vehementer gaudeo, quod nobis

bis redieris, non solum incolumis, verum etiam prosperiore valetudine: sic enim accipio, quanquam quod accedit juxta Caletium, si tamen accedit, per molestum est. Libellum tuum a me diligenter lectum, opinor, tibi redditum una cum literis meis. Nam tu quidem fueras ingressus iter, tamen Famulus tuus ajebat se celeriter sequiturum. Non dubito quin apud Hispanos acceperis Pseudo-monachorum Tragœdiam, de qua scire cupio, si quid habes. Per hunc poteris tuto scribere. Est enim a nobis proprie missus, ut eat Antverpiam & hoc recurrat. Absit sinistrum omen, sed tamen quæ videmus hic rerum præludia, nescio quid tempestatis minitantur. Nec video quo fugiam. Et Regis & Archiepiscopi literis amantissime scriptis invitor in Angliam: sed illic non video mihi Sedem commodam. Hoc vere fortassis vos invisam. Si fors aberis Colonia, cura ut illic tuas hic reperiatur literas: neque enim diu commorabitur in Brabantia. Rex Ferdinandus, ut fertur, evulgavit Edictum, non dicam injustum, sed certe severum. Opto quidem ut optimo Principi sit felicissimum. Sed opto magis quam spero. Bene vale, Vir Clarissime. Sobrium exoculatum valde doleo. Basileæ, III. Novenas Januarias, Anno M. D. XXVIII.

### ERASMUS ROTERODAMUS Cuidam s. d.

**Q**uemadmodum Natura nullum creavit venenum, quin apposuerit remedium, Vir Clা-

Clarissime : ita Deus improborum conatibus semper objicit aliquem, per quem non statim liceat illis, quicquid libet. Sunt enim aliquot eo ingenio, ut non in aliud natos dicas, quam ut Bonis faciant male. Ex Amici nostri literis intellexi quam amanter quamque prudenter adfueris meo negotio; quod officium si mihi tantum præstares, ingratissimus essem, ni tuam istam Humanitatem & amplecterer & prædicarem. Nunc quum hoc operæ non tam mihi, quam Studiis publicæque Tranquillitati tribuas, etiam Pietatem tuam exoscular. Atque utinam contingat aliquando cum opportunitate facultas, ut tuis in me Meritis aliqua ex parte respondeam. Bene vale. Datum Basileæ, quarto Calend. Martias, Anno M. D. XXVIII.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Maximiliano a Burgundia

S. D.

**C**larissimum Principem Patrem tuum, Maximiliane Charissime, admôdum Puerum & novi jam olim & amavi, eo quod præ se ferret indolem eximiae mansuetudinis, minime que ferocis, ac vicissim illum semper expertus sum animo in me propenso. Ea Benevolentia mutua una cum annis accrebit in utroque nostrum. Proinde mihi gratissimum erat, Paterni erga me Favoris memoriam tuis amantissimis literis refricari. Sed vehementius etiam gaudeo, quod intelligo te Patri etiamnum superstili

Ee 3

in

in hunc affectum successisse. Siquidem epistola tua, nequitam impolita, spirat non solum Benevolentiam erga me minime vulgarem, verum etiam Pietatem quandam, qualem vel Filius debet Patri, vel Discipulus Præceptoris. Hanc opinor ex utriusque Parentis affectu traditam: nam & Aviæ fui charissimus, auxit Joannes Borsalus, Vir juxta Morum integritate ac Literatura commendabilis. Quo certe nomine mihi videre felicior etiam Regibus nonnullis. Habes enim domi, unde duo quædam præcipua Bona consequi possis: Pietatem erga Deum, quæ vel sola beatum reddit Hominem, ac liberalem Eruditionem in omnem usque vitam magno tum usui, tum ornamento futuram, non tibi modo, verum etiam Genti tuæ licet imaginibus clarissimæ, totique Patriæ. Non parum decoris addes Generi tuo, si huc contenderis, ut Pietate, Bonisque Literis nobilior sis, quam Majorum Stemmati. Lucubrationes meas, quibus oblectari te scribis, optarim esse tales, ut harum lectio tibi tantum adferat utilitatis, quantum ista tua meretur indoles. Certe hoc conatus sum, an assequiutus nescio, ut rudem ætatem non minus ad Pietatem allicerem, quam ad Eruditionem. Sed quod meis Lucubrationibus defest, hoc facile exæquabit sarcietque Doctissimi Præceptoris industria. Precor autem Christum Opt. Max. ut istam generosam indolem tuam, jam nunc velut in herba nihil mediocre pollicentem, omnibus Dotibus Christiano Principe dignis

dignis instruat ac locupletet. Hoc interim habe  
mei in te amoris Chirographum, quo me conve-  
nire possis, si quid fecellero. Ubi scribes Patri,  
quæso ut illi meo nomine salutem adscribas, &  
diligenter & amanter. Datum Basileæ, decimo  
Calend. Septemb. Anno M. D. XXVII.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Maximiliano a Burgundia s. d.

**C**larissimum Virum Principem Verensem  
Patrem tuum, Maximiliane Charissime,  
dum adhuc inter Nutricum sinus reperet, &  
nosse cœpi & amare. Jam tum enim in illo re-  
luebat generosa quædam indoles, ac placidum  
minimeque ferox ingenium. Atque ille vicissim  
non obscuram benevolentis in me animi signifi-  
cationem dabat. Is affectus inter nos cum æta-  
te semper accrevit. Non esse vanum quod narro,  
satis, opinor, declarabit epistola Puerō scripta,  
quæ tot jam annis in Hominum manibus verfa-  
tur; nec dubito quin eam studiose legeris, nec  
legeris modo, verum etiam igniculos quosdam  
ad Bonas Literas ac Pietatem ex ea conceperis.  
Quo mihi jucundius fuit ex optimi Viri Joannis  
Borsali, tuæ Pueritiae Formatoris, epistola co-  
gnoscere, te sic affectum tum erga Literas hone-  
stissimas, tum erga me measque Lucubrationes,  
ut videare non minus in Paterni erga me ani-  
mi, quam in Paternæ Ditionis hæreditatem Suc-  
cessor esse paratus. Hoc certe nomine gratulor  
optimo Principi, gratulor tibi, gratulor opti-

mis Studiis, quæ claris Ingeniis cordi esse cœperint, vicissim & vestras imagines illustraturæ, & illarum ornamenti illustrandæ. Nunc enim licebit eam sperare Felicitatem, quam Plato solet optare, quum Principum Filii prius educantur Philosophiæ quam Imperio. Precor ut Christus Opt. Max. istam egregiam tuam indolem servet illibatam, semperque provehat ad felicia. Scripferam ante complures menses: eæ literæ sinitro casu interciderunt nescio quorum perfidia. Quam jaeturam audio te perimoleste ferre. Accessit hoc infelicitatis, quod hic periit Archetypum. Occupatissimus itaque vix hæc ex tempore scripsi, superioris argumentum ex memoria retexens, brevi daturus copiosiorem epistolam, si hanc velut arrhabonem boni consulueris. Vide ne Aulicæ deliciæ tibi Studiorum & Integritatis amorem excutiant. Bene vale. Basileæ, pridie nonas Januar. Anno M. D. XXVIII.

### ERASMUS ROTERODAMUS

Ricardo Pacæo s. d.

**V**ix me capio præ gaudio, Vir Ornatusissime, quod audio te ex turbulentissimis illis negotiorum undis, Patriæ dulcissimæ, Musisque Patria dulcioribus esse redditum. Gratulor autem pristinis tuis Studiis & Hebraicas accessisse Literas. Nunc te non morabor pluribus. Hunc Quirinum meum, quo nemo alias mihi servivit amantius, ob certa negotia emandavi in Angliam, quorum duo præcipua sunt: Alterum, ut sce-

sceleratissimi Impostoris rapinis aliquando finem imponam: Alterum, ut, quoniam Archiepiscopus Cantuariensis simulque Regia Majestas literis amantissime scriptis me invitant in Angliam, despiciat cum Amicis, an id commode fieri possit: nam hinc fortassis migrandum erit, velim, nolim. Utrunque cognoscere poteris ex hujus Juvenis narratione, quem tibi commendo, mi Pacæ, non ut Famulum, sed ut Filium mihi charissimum, si qua forte in re fuerit opus officio tuo. Opto tibi perpetuam Felicitatem. Datum Basileæ, decimo Calend. Mart. An. M. D. XXVIII.

E R A S M U S R O T E R O D A M U S  
Joanni a Lasco, Præposito Gnesnensi,

S. D.

**A**mo tuam istam Prudentiam, Vir Ornatussi-  
me. Non mediocris est malis Ingeniis bene-  
uti, & ex noxiis animantibus utilitatem capere.  
Habeo quosdam, qui vehementer amant, inter-  
dui meo magno malo. Malim qui prudenter  
amant. De Regia epistola gaudeo, tuum con-  
silium mihi fuisse felix, uberior gavisurus, si  
felix fuerit & Reipublicæ. Animus iste tuus  
mihi tam addictus non potest mihi non esse  
gratissimus, haud tamen desinam te monere,  
videas, ne quam tibi studium mei vehementius  
conciliet invidiam. Glareanum exhilaravi com-  
monstrata literarum tuarum parte. Satagit, ut

E e 5.

nun-

nunquam alias æque, proinde munus hoc non male collocavit Tua Benignitas. De Beato ne sis sollicitus: est quod dicitur, quanquam amoris erga te tui μνημόσυνον non aspernabitur. Libellum isthic excusum vix credit, adeo misere cupit quod scribis esse verum. Hieroslai Fortitudinem objurgarem, nisi iam serum esset. Congeminavit sollicitudinem meam tua quoque valetudo non satis prospera. Nec hanc positurus sum, donec tuis literis cognovero lætiora. Quemadmodum mihi gratissimus futurus est tuus conspectus, ita nonnihil sum sollicitus, quomodo te tractatura sit Hispania: non paucos enim absorbet. Nec mirum videri debet, si tam pretiosæ, tam charæ, tam raræ possessioni anxie metuo. Nolle cum Rege improbius agi de Munere, ne cui videar hoc venatus. Nam hoc intelligo quibusdam esse cordi. De ducentis florenis facies quod tibi cominodum judicabis. Ad me nihil dum perlatum est. Literas & isthic refrigerescere doleo, quum apud Brabantos & apud Hispanos felicissime floreant. Bellorum nullum video finem, adeo crudescunt Principum iræ. De Roma rursus capta crudelis ad nos adfertur rumor. Opto vanum esse. Hic Pestilentia rursus aliquot abripuit, mitior tamen quam Autumno proximo. Joannem Frobenium Amicum incomparabilem Paralyssis nobis ademit. Primum dextri pedis gravissimo cruciatu diu torquebatur sic, ut nulla mors crudelior: eo per Medicum audacem magis quam eruditum consopito verius quam profligato, cœpit esse fero-

feroculus, & Amicis admonentibus, ut domi se contineret, vitaret frigus, arrisit, non obtemperavit. Ita ex alto, nescio quid, tollere parantem morbus obortus in humum dejecit. Casus ipse ad mortem satis erat, post biduum ægre alterum oculum sustulit, jam agens animam. Hujus Viri decessus me non vulgariter affecit, præsertim cum Augustinus totus ferveat sub prælis non paucis. Hosio lubens bene faxim, si quid queam. Nunc tamen non erat scribendi otium. Opinor cæteros Amicos ad te scripturos. Quæ misi proximis Nundinis, videntur ad te nondum perlata. Item quæ scripsi per Severinum Olpejum, qui se prædicabat istuc proficisci. Dicavi tuo Patruo Ambrosium. An hic mihi mens læva fuerit, ex te scire cupio. Nam diu fluctuabam anceps animi. Quam Tragediam mihi quidam, quavis vipera nocentior, orsus sit in Hispania, cui prælufuit Bedda, & nunc cupit catastrophen addere, disces ex Epistolis & Libello, quein addo. Harum rerum nihil sparcat tua Prudentia ante tempus. Suaferam huic Nuncio Georgio ut hic maneret, verum, maluit isthuc recurrere, quam hic otiosus terere tempus. Bene vale. Basileæ, Anno M. D. XXVII.

E R A S M U S R O T E R O D A M U S

Christophoro a Schydlovietz, Palatino, &

Capitaneo Cracoviensi, Regni Poloniæ

Cancellario, s. d.

**N**on caret quidem egregia Virtus vel laude, vel præmio suo, etiamsi præclaris conatibus

natibus non responderit eventus, qui soli Deo est in manu; nos tamen eramus feliciores futuri, nisi plus valueret regnandi dulcedo, quam æqua rectaque consilia. Prorsus experimur esse verissimum, quod ante tot annorum millia scripsit Homerus: Cibi, potus, cantionum, chorearum, & omnium rerum quamvis natura dulcium, Homini satietatem oboriri; solius Belli, rei omnium tristissimæ, nullam esse satietatem. Quid hoc aliud esse dicam, Vir Eximie, nisi Deum a nobis aversum, Principum quorundam animis insedabilem ardorem pugnandi immittere? Quid autem Malorum abest huic Seculo? Quæ Mundi Regio non ait patitur Bellum, aut parat? Ubi non sævit Pestilentia? Ubi non laboratur inopia? Nec tamen tot afflitti modis agnoscimus Deum, flagellis ad resipiscientiam provocantem; sed perinde quasi rebus integris, epulamur, jungimus matrimonio, digladiamur, & de proferendis Regni pomœriis contendimus: spero tamen opera tua, ac tui similium, optimique Regis Sigismundi dexteritate res humanas in tranquilliorum statum aliquando reponendas. Quod scribis, epistolam meam, tum ipsi Regi, tum Regiis Proceribus omnibus magnopere placuisse, gaudeo sane, nec Joannis a Lasco consilium, nec meum obsequium successu caruisse. De Munere non est quod satagat Tua Benignitas. Jam dum teneo quod captabam, si placuit, si Pacis studium commendavit. Pro tuo erga Antoninum meum studio gratiam habeo maximam. Sic enim  
auditoris is

is Vir me suis Virtutibus sibi devinxit, ut quod officii Tua Sublimitas in illum contulerit, lube-  
bens passurus sim imputari mihi. Dominus te servet in columem, Vir modis omnibus Clarissime.  
Datum Basileæ, prid. Id. Dec. An. M. D. XXVII.

**E R A S M U S   R O T E R O D A M U S**  
Petro Tomitio, Episcopo Cracoviensi,

s. d.

**N**ec otium, nec argumentum ad te scriben-  
di suppetebat, Amplissime Præful, pudor  
etiam dehortabatur: Sed tuus Antoninus tam  
graphicè tantoque affectu mihi depinxit effigiem  
pectoris morumque tuorum, ut si dicam te mihi  
ignotum esse, plane mentiar: sim autem ab omni  
Pietatis & Humanitatis affectu alienissimus, si  
talem Præfulem non venerer, suspiciam, & amem  
ex animo. Cæterum Antonino meo non minus  
gratulor, quod Patronum nauctus est, cuius au-  
spiciis possit in his rerum humanarum undis &  
honestam & tranquillam vitam degere. Sic enim  
amo pectus Hominis longe candidissimi, ut ima-  
gis hilarescam si quid illi bona rei obtigerit,  
quam si mihi obtigisset. Leve est, si jam gratu-  
ller tibi Dignitatem istam, quam Fortunæ tuæ  
non debes, sed præclaris animi tui Dotibus; nec  
te dicam hoc nomine felicem, quod Serenissimo  
Regi sis inter primos, & gratus & charus, quan-  
doquidem hoc ille judicio facit potius quam af-  
fectu. Seculo nostro Reique publicæ Christianæ  
gratulor, cui si tui similes multi contingent

Episco-

Episcopi, citius hæc rerum Tempestas in serenitatem verteretur. Habet Tua Celsitudo epistolam plusquam Laconicam, quam tamen fatereris esse prolixam, si nosse, quibus distingar laboribus. Precor Amplitudini Tuæ R. prospera faunaque omnia. Datum Basileæ, prid. Id. Decemb. Anno M. D. XXVII.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Thomæ Moro s. d.

In tot molestiis, quibus undique circumvallor, plurimum attulit solatii Serenissimi Regis epistola humanissime scripta, qua me invitavit in Angliam, omnia pollicens Benignissimo digna Principe. Admonet quod olim scripsrim, in Anglia Senectuti meæ Sedem delegisse. Nunc vero, mi More, res in eo sunt statu, ut mihi sepulchri locus sit circumspiciendus, ubi vel mortuo liceat quietum esse, quando, ut video, non continget hoc unquam vivo. Omnes divinant magnos rerum Motus imminere. Anabaptistarum Hæresis meditatur erumpere, quæ latius sparsa est quam quisquam credat. Tragœdias meas cognosces ex hoc Quirino meo, Juvene mihi perspectæ fidei, quem, quoniam novit omnia mea, in Angliam præmittendum arbitratus sum, ut per eum dispiciam cum Amicis quid fieri possit, aut quid expeditat. Egisset gratias Regiæ Benignitati, sed quoniam tot laboribus pene exanimato nihil erat otii, malui ad tantum Principem nihil scribere quam neglegent.

genter. Si videbitur, tu melius illi declarabis animum meum, nec ignarum, nec immemorem tam eximiae Benignitatis, quam mihi toties offert, nihil promerito. Opto te cum tibi charissimis quam bellissime valere. Datum Basileæ, pridie Calendas Martias, Anno M. D. XXVIII.

ERASMUS ROTERODAMUS  
Henrico Botteo, LL. Doctori, Officiali  
Burgensi, s. d.

**V**ir in Domino Charissime, quemadmodum de tam singulari vestro in me amore gaudeo, ita vos inani mœrore contrastatos doleo. Toties efforor, toties mihi supersum, interim paratus ad utrumque, quum Domino visum fuerit. Joannes Frobenius, Vir ornandis Studiis natus, nos reliquit, non sine dolore meo: sed tamen dum Morbi genus, (erat enim Paralyfis) dum hoc Seculum turbulentissimum cogito, magis gratali libet erepto, quam deflere abreptum. Orsus erat ingenti sumptu totum Augustinum, nec optabat longiorem vitam, quam donec absolvisset. Sed Deus illi, ut spero, melius aliquid providit quam optabat. Officinæ tamen molem Hieronymus Filius & ego sustineimus. Non excidit Liber de Ratione concionandi, sed semper aliquid transversum incidit, quod alio propellat animum. Et vix credi potest, quantum negotii nobis facebat Augustinus. Jam non solum cum Hispanicis Phalangibus mihi res est, verum multo capitalius Bellum cum aliis, Bedda nullum

non

non moveat lapidem, ne videatur Vir bonus. At tamen admoneri me gaudeo. Te cum omnibus, qui mihi bene volunt, in Christo quam optime valere cupio. Datum Basileæ, postridie Thomæ Apostoli, sive 22. Decemb. Anno M.D. XXVII.

### ERASMUS ROTERODAMUS

Hadriano Barlando s. d.

**D**orpium Studiis ereptum acerbissime ferrein, si nostro dolore possit hic revocari. Nunc nos ad illum properamus, ille ad nos redibit nunquam. Mortuus est omnibus rebus bonis florens, & optimum putant esse tum mori, quum dulcissimum est vivere. Erat futurus magnus, si vixisset. Verum nunc felicius magnus est apud Christum, uti spero. Solus propemodum erat æquus politioribus Literis, quas quidam miro studio conantur opprimere, mea sententia non satis recte consulentes suis etiam Studiis, quæ sola florere cupiunt. Siquidem, ut res ipsa docebit illos, obrutis mansuetioribus Literis, etiam illa collabentur, quibus sedulo magis, quam prudenter prospiciunt. Res felicius succederet, si veterum Studiorum Proceres Bonas Literas, veluti postliminio fæse recipientes in pristinum locum, comiter in hospitii Contubernium reciperent: adferrent Hospites aliquid bonæ rei, quid ab Hostibus futurum sit, nescio: ac vicissim Bonæ Literæ fæse civiliter in Contubernium Disciplinarum, quæ jam occuparunt Scholas, insinuarent. Nunc quorundam improbitas facit,

ut

ut utrisque suus pereat fructus. Per universam Germaniam simul cum Bonis Literis omnia ferre Studia collapsa sunt. Nulla Theologorum Autoritas. Monachi & Sacerdotes publico laborant odio. Faciunt enim Mali, ut Bonis etiam sit male. Video res humanas ad Turcicam quādam Barbariem tendere. Et fortasse sunt Principes, quibus hic Status non displiceret. Agitur hic per Rusticos cruenta Fabula, quæ sit futura Catastrophe, nescio. Hanc Epistolam extorsit Adrianus a Rivo, tui studiosus. Ex eo cognosces Germaniæ res omnes. Bene vale, Barlande Chariſſime. Saluta Joanneum Borsalum, si adest. Basileæ, postridie Calend. Julias, Anno M. D. XXV.

ERASMUS ROTERODAMUS LODO.  
VICO BERQUINO

S. D.

**A**rbitror te bono animo facere quod facis, Berquine Eruditissime, sed interim me plus satis degravatum oneras magna invidia, Libellos meos vertens in linguam vulgarim, & eos ad Theologorum cognitionem referens, inter quos scio multos esse integros & candidos, sed paucorum Morositas sæpenumero viñcit multorum Modestiani. Equidem quum natura abhorream a Contentionibus, nunc obætatem ac valetudinem magis desidero Quietem, in eum diem me parans, qui jam longius abesse non potest. Video fatales Orbis Tumultus, video rem Theologorum & his adver-

Ff

san-

santium in manifestam rabiem exisse. Proinde quando perspicio me nihil profectum, quietus meum ipsius negotium ago, Christo commen-dans suam Ecclesiam, qui solus novit, & potest Hominum inconsulta Consilia in bonos exitus vertere. Fortasse tu rectius consulueris rebus tuis, mi Berquine, si Concertationem semel so-pitam non instaures. Papilio noster nos reli-quit, & ante hunc Deloinus. Hic agitur san-guinaria Fabula, quem exitum habitura, nescio. Nos hic hæremus inclusi, quam tuto, Deus no-vit. Arbitror Sororem Regiam jam in Hispa-nias profectam. Volitant Rumores aureum Se-culum pollicentes. At ego nondum video sa-tis idonea Procœmia, nec ausim scribere quod mihi præfigit animus. Nihil igitur expecta-bis eorum, de quibus Epistola bene longa me-cum egeras, posteaquam Scena rerum inversa est. Hunc Juvenem meo ære conduxi, qui mea perficeret, vestra huc referret. Si quid est, quod mea referat scire, scribe ac bene vale, Vir Optime. Basileæ, postridie Bartholomæi, Anno M. D. XXV.

ERASMUS ROTERODAMUS DANIELI  
BENEDICTO Mediolanensi s.

**A**mantem non redamare, Daniel Optime, vix Ferarum est. Amas Erasmus ex Libris cognitum, ego redamo Danielem ex hu-manissimis modestissimisque literis non ignotum. Di-

Dictus est Daniel Vir desideriorum, quid itaque mirum si Desiderius Desiderium desideras? Sed quid narras? Cæteri Quietis desiderio relinquunt Principum Aulas, & tu velut e fluctibus temet in Aulam velut in Portum tranquillum contulisti? Nausea sui similis est, tantum me faciens ubique suis laudibus, quantum esse me immodece amanti persuasit Amor. Montini lepidissimis literis nescio an vacet nunc respondere. Jocatur ille in Crisim sanguinis, verum ea Crisis Orco dedit Agricolarum, plus minus, centum millia. Nunc remisit se Paroxysmus, & Nausea si venerit, reperiet Malum aliquanto medicabilius. Bene vale, & noster esto, debes autem, si Nauseam sic diligis. Datum Basileæ, sexto Idus Oct. Anno M. D. XXV.

ERASMUS ROTEROD. FRANCISCO,  
Archiepiscopo Ebrodunensi,

s. d.

**A**nte dies non multos scripsi per Conradum Bibliopolam Germanum, qui Domum habet Lutetiae, & tibi, & Budæo, & Brixio, & Beraldo. Omnes sibi vindicant laudem impetrati Diplomatis Regii, quod mihi certe fuit gratissimum, gratius tamen futurum, si Rex suapte manu subscriptisset. Sed ajunt me, ne sic quidem, satis tuto istuc posse commigrare, quod dicant Improbos, si quis forsitan in illorum manus incidat, nihil commoveri Diplomatibus ullis, apud Probos mihi non fore opus. Sed mul-

ta sunt quæ me h̄ic adhuc remorantur: primum  
Valetudo, quæ me Constantiæ mire afflixit. Nam  
eo me contuleram, Romam profecturus si lieuis-  
set, multis affirmantibus in rem meam futurum,  
si me novo Pontifici exhibuissem: deinde isthinc  
adferebantur sævi Rumores, omnia Bellis ac Pe-  
ste conflagrare undique: tum nullum iter esse  
tutum. Post noctus vinum e Burgundia cœpi  
melius habere, ut intelligas Galliam Fato quo-  
dam esse mihi salutiferam. Interim expecta-  
mus aurulam aliquam Pacis ex hoc Pontifice, sta-  
timque post Brumam toti cum totis sarcinis com-  
migrabimus in Galliam. De Pensione Cæfaris,  
quæ jam tota hujus Anni debetur, excusant,  
nec ulli sua Pensio solvit, adeo totos nos ad  
oscula usque deglubunt Satrapæ, Belli quāam Pa-  
cis amantiores. De Diplomate putabam me  
tantum debere Budæo & tibi, nunc Beraldus &  
Brixius bonam hujus gratiæ portionem sibi vin-  
dican. Postremo video me Cardinali quoque  
Lotharingo debere, cui certe debeo libenter,  
sed maxime Regi, qui gaudio gestiens, dixerit  
Budæo, brevi in Gallia futurum Erasmum. Spe-  
ro futurum, ut aliquando declarem vicissum &  
meum animum erga tam benignum Principem.  
Amplitudinis Tuæ studium erga hunc Homin-  
cionem lubens amplector. Conabor pro mea  
virili, Hominis ingratæ crimen effugere. Red-  
dita simul est & Dionysii Coronii Epistola Tuæ  
Benignitatis Alumni, per quam arguta sane &  
accurata, sic ut Budæi Simium possis agno-  
scere

scere. Ei non vacabat in præsentia responderem, variis laboribus occupato. Celsitudini Tuæ precor omnina læta, Præful Ornatisſime. Basileæ, pridie Martini, Anno M. D. XXII.

ERASM. ROTEROD. CHRISTOPHORO  
TRUCHSES, Baroni in Walpurg,

S. D.

**C**larissime Juvenis, nihil mihi Carolus meus secum attulit ex Italia gratius, quam quod præter expectationem attulit. Attulit enim imaginem tui, quam iſthic e vivo desumptam, sic mihi repræsentavit orationis velut penicillo, ut me quoque, perinde quasi te coram intuitus essem, in Virtutum tuarum amorem simul & admirationem rapuerit. Ut enim optimo jure Sapientum calculo damnantur, qui Fortunæ beneficio divites Animum habent omnium rerum inopem, qui corporis forma conspicui sunt, quum mentem habeant nullis virtutibus exornatam: & qui Natalium Stemmatis ſeſe venditant, quum alioqui nihil habeant Nobilitatis præter Imagines, multo justius autem damnantur qui Vefteſ ac Domos habent opulenter ſplendidias, quum Animus ignavia acediaque ſqualeat: qui pulchro Corpore, Mente circumferunt vitiis ſedam: qui Majorum Imaginibus Morum culpa, labem ac tenebras offundunt: ita merito laudantur hi, qui ſeſe veris, bonis ac perpetuis Ornamen-

Ff 3

tis

tis sic locupletarunt, expolierunt, & illustrarunt, ut ea minima sit in ipsis pars Nobilitatis, quam Vulgus totam esse Nobilitatem existimat. Precor ut is, cui decet acceptum ferri, quicquid veri boni nobis obtigit, istum animum tibi servet, semperque in iugis provehat. Magna hodie invidia laborant Bonæ Literæ, nuper etiam Nobilitas cœpit hujus Excretæ malum sentire. Verum omnis hæc invidia vertetur in favorem, si multi tui similes extiterint. Mediocris enim Felicitas livori obnoxia est: cæterum Juventus pudica, Divitiæ sine luxu, Nobilitas sine supercilie, Morum integritas cum Eruditione non vulgari conjuncta, superat omnem invidiam. Videmus quot egregiis Viris ceu Stellis luceat Britannia, quot exoriantur indies, qui Majorum gloriam obscuratur videantur, nisi quod hoc est illustrare verius quam obscurare. Germaniæ, nondum fortassis habemus, quod magnopere gratulemur, sed tamen exorti Flosculi quidam insignes, mirificam quandam pulcherrimi proventus spem pollicentur. Istam mentem, mi Christophore, tibi proprie gratularer, nisi multos viderem Germanicæ Nobilitatis Juvenes pari cursu tecum ad istam laudem contendere, ut jam merito toti Germaniæ gratulari debeamus, & exemplum indies ad plures dimanatum confidimus. Erit profecto tum vere clara, generosa, illustris, ac suspicienda Nobilitas, quum pro Chartis & Alea tractabit optimos Veterum Libros, pro Scortis amplectetur Virgines

nes Camœnas, pro Bellis ac Latrociniis, sanctissimæ Leges ac Philosophiæ Decreta cordi erunt. Virtute nihil amabilius, sed nescio quid illi decoris & gratiæ accedit, si Fortunæ quoque Bonis Multitudini commendetur. Libebat quidem pluribus extimulare currentem licet, sed vix hoc etiam vacavit scribere per Studiorum occupations. Tu dabis operam, ut indies minus egeas cuiusquam exhortationibus, nosque qui tuæ Virtuti applaudimus, justiorem habeamus causam tibi gratulandi. Bene vale. Basileæ, Anno M.D. XXIV.

ERASMUS ROTERODAMUS  
OTHONI BRUNSFELDIO

s.

**N**æ! tu prodigiosum somnium animo concepisti. Petrus Sutor, quondam Theologus Sorbonicus, nunc Monachus Cartusianus, in Campania Galliæ scripsit in me Volumen rabiosissimum, vociferans omnes Translationes novas esse hæreticas & blasphemas, Linguas ac Bonas Literas esse fontem omnium Malorum. Ei respondi, sed sic ut præter unum illum neminem lædam; ne responsurus quidem, ni Liber dicatus esset Sodalitati Sorbonicæ, & excusus ex Autoritate Theologorum Lutetiæ. In te vero adeo nihil meditamus, ut Eruditum quendam ac facundum Hominem, quem Amici scribunt tuo in me Libello respondere, crebris jam literis per omnia Sacra sim obtestatus, ut si

non orsus esset, ne ordiretur: si esset, aboleret in  
gratiam meam, si me vellet Amicum. Utinam  
hujusmodi Contentiones aniles, ut vocas, dispi-  
cuissent tibi, priusquam Libellum tuum ederes,  
ac potius in consilium adhibuisses Prudentiam,  
quam quosdam, qui ex alienis incommodis sua  
venantur commoda. Atque utinam Hutte-  
nus magis auscultasset meis literis, quas non  
unas amanter ad illum scripseram, ne tali Libel-  
lo edito, & utriusque nostrum Opinionem la-  
deret, & stolidis quibusdam Literarum Hostibus  
Spectaculum ederet gratissimum. Quod mihi con-  
donas omnia, quæ habes adversum me, non video  
quid tibi debeam, isto sane nomine. Nam a me  
nunquam fueras læsus, & longe alium esse judi-  
cabam, priusquam Libello proderes animum  
tuum. Consulueris rei tuæ, si istam animi Fe-  
rociam vertas ad Moderationem ac Mansuetu-  
dinem Christianam. Nam hæc ipsa tua conci-  
liatrix Epistola quantum habet minarum, ne  
convitiis quidem vacans, tantum concepta va-  
na suspicione ex nomine Sutoris & Cartusiani.  
Erat hoc vel mediocris Prudentia, rem certius  
cognoscere, priusquam ad minas aut convitia  
descenderes. Ego nullius Amicitiam sum un-  
quam aspernatus, neque quisquam a me lacestis-  
tus est ad Inimicitiam. Cæterum difficile est  
Amicitiam tueri cum tam ferocibus & irritabili-  
bus Ingeniis. Christianum animum, quem pol-  
liceris, tibi gratulabimur, si præsriteris. Officia  
tua nec ambio, nec aspernor. Satis Amicum puta-  
bo,

bo, si tibi ipsi præstiteris Amicum. Satis officiorum fuerit, si non lædas Famam alienam, quod solum potes, & facillimum est, hoc præsertim tempore. Bene vale. Basileæ, Anno M.D. XXV.

ERASMUS ROTERODAMUS CORNELIO  
BERGENSI s.

**A**amicorum Sincerissime, quas fugas, quas lattebras, quos Labyrinthos tu mihi narras? Obruor quotidie literis honorificentissime scriptis, a Pontifice, a Cardinalibus, ab Episcopis, a Legato Campegio, a Cæsare, a Ferdinando, a Rege Angliæ, a Ducibus, a Baronibus. Invitor amplissimis Conditionibus, offeruntur Dignitates & Episcopatus, plane Rex essem, si Juvenis essem. An tu credis istis execrabilibus Fucis, qui nihil aliud possunt quam maledicere? Et tam impudenter mentiuntur, ut a cordatis Viris pro insanis habeantur. Mihi tuum Epistolium fuit longe gratissimum, vel hoc nomine, quod me docuerit, meum Cornelium vetustissimum pariter ac sincerissimum Amicum & Congerronem adhuc incoludem esse. Si rediero hoc Vere, id quod futurum arbitror, hilariter compotabimus favente Christo. Interim mandavi Petro Ægidio, ut aliquid Libellorum ad te mittat. Servet te Dominus benevolentem, mi Cornelii Suavissime, cum tuis omnibus. Quid noster Jodocus? num adhuc tractat vetus corium? Sed coram ridebimus affatim. Basileæ, postridie Annunciationis, Anno M.D. XXV.

## ERASM. ROTER. GUILHELMO COPO

Medico s. d.

Magno affectu desideravi tuam præsentiam, Medicorum Dissertissime Cope, in hac affectissima valetudine. Ex quo cœperam diluere vinum aqua ex glycyrrhizo decocta, mitius me tractavit calculus, & jam mihi gratulabantur Amici tanquam libero. Verum hoc Julio proximo subito obortus est fluxus quidam vehemens Urinæ, non sine laceratione viarum, primum absque magno dolore; post unum aut alterum diem sequutus est cruciatus, quasi calculus hæreret in vesica, qui non posset expelli. Effluebat interim mira vis urinæ gypsa-  
ceæ, veluti pus quoddam. Territus consului Medicos, quos hic habemus dignos hoc Populo, qui non admodum vivit medice, nec bibit modice. Nihil adferebant spei. Alius suadebat Thermas Badenses, alias divinabat aliud. Itaque Medicos dimisi, committens me Domino. Et cruciatus quidem ille mitior est, materiae quoque vis aliquanto minor. Apparet tamen exulcerationem aut scabiem esse Organorum urinalium. Ajunt Thomam Linacrum hoc Malo mortuum esse. Quando per Valetudinem & Bellorum minas mihi non licet te vifere, majorem in modum te rogo, ut scripto mihi digneris succurrere. Monachi ac Monachorum similes Theologi quidam devotis animis conspirasse videntur, ut Libros Erasmi excutiant e manibus Hominum,

ut

ut posthac legamus libros Beddæ, Sutoris, & similium. Leus, ut suspicantur, apud vos & Hispanos παρεπεσθεύων, his Furiis perstrenuam navat operam, nec cessat tuus Aleander, nisi mentiuntur multi. Quis sit horum Tumultuum futurus exitus, nescio. Solus cum tot Monstris pugnare non possum, ni Principes interponant Autoritatem suam. Pontifex imposuerat silentium Lovaniensibus Blateronibus. Impetrarunt clam a Datario veniam exequendi suum officium, me tamen non læso. Interposuerat severissimum Edictum Cæsar, eo exhibito, accurrerunt Mechliniam, & impetrarunt ab Aula Edicti interpretationem, quæ prorsus irritabat, quod Cæsar scripserat. Papilio & Molinius periit. Berquinus in carcere disputat cum Theologis. Rex fatagit rerum suarum, precor ut Deus omnia vertat in lætos exitus. Qui has perfert, omnino voluit tibi commendari. Quid sit negotii, melius ex ipso cognosces, est enim Mercurialis, καὶ φλυαρεὺς μέγας, audies quidem, ἀλλὰ μὴ πιστεύσεις. Gratum erit si miseris remedium, & si quid erit in Aula, quod mea refert scire. Bene vale cum Conjuge & Liberis. Basileæ, sexto Calend. Septemb. Anno M. D. XXVI.

ERASMUS ROTERODAMUS  
MARGARETÆ Reginæ Navarræ  
S. D.

**O**btundor quorundam objurgationibus verius quam exhortationibus, Regina,  
Pie-

Pietate Morum quam Generis Stemmatibus,  
ac Diademate Clrior, quod Homo plusquam  
obrutus negotiis, non appellem meis literis Ma-  
jestatem Tuam, præsertim, quum nulla scriben-  
di detur occasio, nec arbitror tibi per occupa-  
tiones dari otium, ut legas supervacaneas Epi-  
stolas. Nam ad Epistolam, quam eorundem  
impulsi pridem misi, præter unam Salutatio-  
nem nullum omnino Responsum accepi. Nar-  
rant te nuper scripsisse per quendam Polonum,  
quem in itinere Mors intercepit. Quod, an ve-  
rum sit, nescio. Optarim rerum Prosperitatem  
quorundam Pietati respondere: sed novit ille,  
qui moderatur omnia in bonum eorum quos  
diligit, quid expediatur nobis, & quum illi vi-  
sum fuerit, omnia repente vertet in lætum exi-  
tum: quumque maxime desperabit humanum  
consilium, tum maxime sese aperiet inscruta-  
bilis Dei Sapientia. In quo qui fixerit ex ani-  
mo Spei suæ ancoram, huic nihil accidere po-  
test, quod non sit vere prosperum. Hæc igitur  
Deo committamus oportet. Tibi vero magis  
convenit, gratias agere, quam exhortationis  
admoveare stimulos, ut quod facis, Bonas Lite-  
ras, ac Viros sincere Christum amantes, adver-  
sus quorundam malitiosam Improbitateim tue-  
ri pergas, qui jam nunc profecto plurimum  
debent & vere Christianissimo Regi Fratri tuo,  
& Religiosissimæ pariter & Prudentissimæ Do-  
minæ hujus Matri. Quibus omnibus precor  
multam a Domino Jesu Felicitatem. Si quid erit  
quod

quod per me fieri voles, equidem nullum defugiam laborem. Datum Basileæ, Idus Augusti, Anno M. D.XXVII.

ERASMUS ROTERODAMUS JOANNI  
BIBLIOPEGO DANO

S. D.

**V**ides Homérum esse Vatem minime vanum. Si Fluctus & Matrimonium sunt tibi prospera, est quod vehementer gaudeam. Vix credas quantum tuo Dilfo débēas, adeo sincero affectu, primum missis literis, mox præsens re, honoris tui rationem habuit. Quo magis debes illi benevolentia fideque respondere. Agit apud nos, cum Musis agitans Consuetudinem. Placavit propeinodium omnes, apud quos tui desiderium reliqueras; haud dubie placaturis omnes, si tam præsto fuisset facultas, quam adest voluntas. Exhaustus huc venit, adeo ut ipsi propriodium opus sit benigno Creditore, tantum abest, ut illi possim aliquid detrahere. Proinde tuas literas expecto & nevæs, sed te meque dignas, quæ simul & Bibliopégum, & Dilsum, & Roterodamum omni sollicitudine liberent. Id eo facies copiosius, si perscriperis Vitæ Fabulam, idque quamprimum. A Christierno δωρον δωρεάν expectavi, immo nihil expectabam. Hic Dominicanus quidam palam duxit Uxor, instigante, ut ajunt Decretales, Diabolo, adeo vetulam, ut Hecubæ Soror esse possit. Quin & Suffraganeus ille Augustinensis cascam

cascam ambit, procus septuagenarius. Ni te hinc propere abripusses, erat & de me non nihil spei, te quidem Conciliatore. Verum alias plura nubagimur. Vale & scribe. Datum Basileæ, Nonis Octob. Anno M. D. XXVII.

JACOBUS SADOLETUS, EPISCOPUS  
Carpentoracti, Erasmo Roterodamo

S. D.

**L**egi tuas literas libenter. Scriptæ enim simpliciter & candide sunt, plenæ erga Deum Pietatis, in hunc vere Summum & Optimum Pontificem Observantia: cuius admodum est propensa tuis cominodis omnibus Voluntas. Habeoque gratiam Bonifacio, mire probo & eruditio Juveni, qui tibi occasionem dederit ad me scribendi, & mihi respondendi tibi. Quanquam enim intus mihi in animo inclusus residebat tui amor, debitus ille quidem præstantibus Virtutibus tuis, non erupisset tamen etiamdum is in actum, si non Bonifacius suis amicissimis officiis hanc Salutationem literariam inter nos conciliasset. Pontificis in te uberior fuisset Liberalitas, ni his difficillimis Temporibus, ipse quoque ad angustias redactus esset. Tanta est rerum omnium perturbatio, & quotidianorum sumptuum, impendiorumque effusio, ut sustinere ægre possit. Sed erit locus aliquando & ornandi & augendi tui. Librum tuum adhuc non legi: nam neque dum habui ejus potestatem, & eram maximis occupationibus impeditus: certus sum attainen similem meum esse reliquo-

rum

rum tuorum, quæ mihi plurima & lecta & probata sunt. Tibique ego in eo magnopere gratulor, quod ingenio tuo præstanti & singulari otium suppeditatum est, quo facile posses tuæ Doctrinæ præclara Monumenta in Posteritatem propagare, ex quibus tuum Nomen perpetuum futurum sit. Quamobrem quod te solus jam Deus beare poslit, ut tu ipse scribis, hic jam deficientem. Agnosco Pietatem tuam, & suminopere laudo: illud non accipio, te ut deficiente debetas appellare, cuius Virtus memoria omnium Seculorum celebrabitur sempiterna: qui fructus eti posterior est longe Cœlestibus præmiis, tamen a te neutquam est contemnendus. Ego, quod meum est, si quid obtineo Autoritatis & Gratiae, quod quidem perquam pusillum est, tibi tamen totum ita polliceor & defero, ut si erit agendum tua causa quippiam, nihil tibi meo studio & opera futurum fit paratus. Vale. ex Urbe, 8. Idus Novembris, Anno M. D. XXIV.

ERASMUS ROTERODAMUS MARTINO  
HUNNO Medico

S. D.

**E**x literis Humanissimi Viri Stromeri cognovi, quanto studio, non sine gravi sumptu pertuleris literas meas. Scio & memini quantum Humanitati tuæ debeam. Misissimum Munusculum aliquod per hunc Ceratinum, Virm utriusque Literaturæ doctissimum, successu-

rum

rum in vicem Mosellani, sed prorsus erat incertum an istac iter esset facturus. Si viderit vos, & si dignabimini illum cognoscere, reperietis exacte doctum, Moribus omnis fuci nesciis, nec alio nævo deformatum, nisi quod immodice modestus est. Scriberem aliquando Eobano, sed Annus est antequam perferantur literæ, si tamen perferruntur. Interim aperiuntur ac resignantur omnia. Huc profecit Fides Evangelica. Expectamus Eobani Lucubrationes. Beatus Rhenanus hodie tandem rediit Sletstadio, vosque jubet salvare plurimum. Vale, mi Hunne Charissime. Basileæ, V. Idus April. Anno M. D. XXV.

ERASMUS ROTERODAMUS  
GEORGIO Duci Saxonie

s. d.

**I**llustrissime Princeps, quod Tua Celsitudo mihi mandarat de Professore, aliquanto felicius successit, quam audebam optare. Venit huc meis literis evocatus Jacobus Ceratinus, de quo scripseram, Græcanicæ Literaturæ tam exacte callens, ut vix unum aut alterum habeat Italia, qui cum dubitem hunc committere, nec in Latinis sui dissimilis est. Ad hæc Philosophiæ non ignarus. Postremo ea ætate atque ingenio, ut si Deus illi vitam addiderit, certissima spes sit eum honestissimis Studiis omnibus summam utilitatem pariter & ornamentum allatum esse. Proinde quando Tua Celsitudo singulari Benignitate est usa in fovendo pro-  
vehen-

vehendoque Petro Mosellano, erga Ceratinum par est, ut in tantum vincat seipsum, quanto hic Mosellano superior est, præfertim in his Litteris, quas istic profitebitur. Magnæ Doctrinæ fuit Mosellanus, spei majoris, & amabam unice Hominis ingenium; nec falso dicunt odiosas esse comparationes, sed hoc ipsa causa me compellit dicere, longe alia res est. Decreveram in Commendationibus esse cautior, semel turpissime deceptus ab eo quem nosti, sed in tradendo Ceratino nihil me movet hic scrupulus, cuius Mores candidos ex intima Familiaritate perspectos habeo, cuius exactam Eruditionem, cuius felicissimum ingenium, judicium acre, non solum ex familiaribus Colloquiis, sed & Scriptis plurimis compertissimum habeo. Quo magis gratulor Celsitudini Tuæ, cui contigit Homo dignus, in quem genuinam illam suam Humanitatem ac Benignitatem bene collocet. Gratulor autem & Academiæ Lipsiensi, cuius Studia, quæ ob Mosellani Mortem, jam, ut audio, mire refrixerunt, Musis bene fortunantibus sic instaurabit Ceratinus noster, ut nihil addubitem, quin aliarum Academiarum vel invidiam sint excitatura, vel quod malim, æmulandi studium. Hujus vel gloriæ vel utilitatis Summa, Tuæ illustrissimæ Celsitudini feretur accepta. Verum enim vero, ne quid dissimulem, habet unum hoc vitium Ceratinus noster, immodice modestus est, sic verecundus, ut pene putidulus sit: quamobrem & illi gratulor,

G g

qui

qui in eum inciderit Principem, cuius Prudentia domi certissimum habet Judicium, cuiusque Benignitas non expectat flagitatem, sed ulro Benevolentia provocat, si quem perspexerit Favore dignum. Hactenus de Ceratino. Ad proximas literas Celsitudinis Tuæ respondi tribus verbis, inclusis ad Pistorium & ad Emserum literis, quo tutius perferantur. Nunc hoc tantum addam: sit posthac inter nos omnium querimoniarum ac suspicionum finis, quemadmodum civilissime scribit Tua Celsitudo, cui me totum trado dedicoque. Bene vale. Datum Basileæ, sexto Idus Aprilis, Anno M. D. XXV.

ERASMUS ROTERODAMUS  
FELICI, Episcopo Theatino,  
s. d.

**R**everende Præful, Humanitatem & Indolem tuam jam pridem amavi, nunc gaudeo Pontificis Favore Fortunam tuis Virtutibus respondere, simulque gratulor Hovio meo, cui contingit in tali Familia locus. Apud me non poterat crescere, nisi fortassis in Literis. Et spero illum suis obsequiis promeritum, ut tuo Favore dignus videatur. Certe ad hoc non desinam Hominem adhortari. Qui sit hic rerum status, malo te ex hoc Tabellario cognoscere, quem ob negotiola quædam istuc emandavi meo sumptu: nam inter Famulos nullum habeo fideliorem, cui te rogo ut faveas, si quid erit opus: intricatus est enim Labyrintho cuiusdam,

dam, Vir alioqui Fortuna tranquillissima dignissimus. Dignaberis & Erasmus in tuorum Clientum catalogum adscribere, certe fide studioque non facile cuiquam cessurum. Precor tibi omnia felicia, quo videlicet modis omnibus sis, quod diceris. Datum Basileæ, 3. Id. Majas, Anno M. D. XXV.

ERASMUS ROTERODAMUS  
CONRADO HERESBACHIO

s.

**N**æ tu minimum abes a Beatitudine, Doctissime Conrade, qui tantula re beari possis. Scribis enim te fore protinus beatum, si contingat Erasmus Hospes. Mira vero Felicitas, quam invideas Constantiæ cæterisque Oppidulis, quæ dignatus sum, ut scribis, mea præsentia. Imo ipse meam ipsius Infelicitatem deploro, qui tot malis onussum sum, ut quoquo locorum me conferam, non solum ipse mihi molestus sum, ob Morbi inclem tam ac Valetudinis incommoditatem, verum iis etiam molestus esse cogor, quibus cuperem esse jucundissimus. Constantiæ nihil aliud quam ægrotavi apud Hospitem Joannem Botzeum, Hominem præter Eruditionis & Integritatis Dotes adeo Festivum, ut vel mortuum possit exhilarare. Episcopus ipse Constantiensis, Vir profecto imitis, probus & integer, nihil Humanitatis in me prætermisit. Pari Comitate complexus est me Ennius Episcopus Verulanus, Nuntius Apostolicus. Accur-

rit & Hymelbergius, Homo Moribus mire candidis, aliquique permulti. Et si nihil horum fuissest, comitem habebam multo omnium lepidissimum, meoque animo charissimum, Beatum Rhenanum. Quando non ridet Beatus? cuius ingenio, dispeream, si quid adhuc vidi civilius aut argutius. His omnibus nihil aliud, quam molestiam attuli, quo sane nomine mihi Morbus etiam erat molestior, quanquam per se molestissimus. Utinam tam bene mihi conveniret cum Hypocaustis ac Vinis, quam convenit cum Cœlo & Ingeniis. Tandem præter omnem spem, Vimum nactus Burgundiacum, re ipsa comperi, quicquid hactenus mali fuit, ex hujus Regionis Villis esse natum. Proinde nisi Burgundia huc mittet Vinum, certum est adire Burgundiam. Arnoldus Comes vere talis, qualem tu depinxisti, semel dignatus est cœnare nobiscum. Nec te rogabo ut Erasmiolum nobis sic instituas, ut & optimis Parentibus & te Præceptore dignus evadat, neque viam præscribam, qua id facere oporteat, ne vel de tua Fide vel de Prudentia tua parum magnifice sentire videar. Tantum illud dicam, te isto officio non minorem gratiam initurum apud me, quam apud ipsos Parentes, quibus tamen, ut par est, unice charus est Puer, ac præter affectum, quem in te gerit uterque, nosti quam neuter sit sordidus aut illiberalis. Non abhorret aniinus a visendo Friburgo ante Brumam, sed deterrent Hypocausta & Vina. Jam demigravi in alteras Ædes, & novus Paterfamilias esse  
cœpi.

cœpi. Henricus Glareanus, quod illi felix fau-  
stumque sit, habet Uxorem ex animi sui senten-  
tia. Brevi saltabitur & canetur Hymenæus,  
habes quod homini gratuleris. Certe Vir est,  
mea sententia, quo vix alium reperias sincerio-  
rem, planeque dignus, cui non solum hoc Con-  
jugium, sed omnia prorsus felicissime cedant.  
Bene vale, Literarum optimarum Optime Pro-  
fessor. Salutabis meis Verbis omnes, qui istic be-  
ne volunt Erasmo. Basileæ, Natali divi Lucae,  
Anno M. D. XXII.

ERASMUS ROTERODAMUS  
FRANCISCO MOLINO,  
Episcopo Condoniensi,

S. D.

**U**tinam saxum esseim, quemadmodum scri-  
bis, vel advolverer istuc, si non ob aliud,  
certe fruiturus tuis istic longe candidissimis Mo-  
ribus, nunc totus sum vitreus, aut si quid vitro  
fragilius. Nihil moror Episcopas, quas promit-  
tit Regia Majestas: exhaustirent me præsente  
pecunia, quæ satis exigua est: onerarent me ære  
alieno, involverent curis, eriperent hanc Liber-  
tatem, fine qua non viverem triduum. Et The-  
sauraria Episcopatus est. Novi hoc corpusculum,  
novi hunc animum. Jam unum atque al-  
terum mensem non sensi cruciatum calculi. Id  
Vino deboeo, quod nuper sum nactus. Rex to-  
tus est in Rebus Bellicis, quem tu quoque cō-  
geris sequi, & instat Hyems. Sunt & aliæ cau-  
Gg 3

ſa,

ſæ, quæ mihi propemodum persuadent, ut ex-  
pectemus Hirundinem. Interea per literas con-  
fabulabimur. Hyems, uti spero, sedabit iſtos  
Bellorum æſtus, tum iſthic nidulabimur Alcyo-  
nes. Regi Christianissimo non desines me com-  
mendare, cui Cœlibatum accessisse doleo, quaſi  
parum haberet Malorum tanta Bellorum tempe-  
ſtas. Virtus ejus promerebatur Fortunam ſecun-  
diorem. Bene vale. Datum Baſileæ, poſtridie  
Calend. Septembr. Anno M. D. XXIV.

ERASM. ROT. FRANCISCO MOLINO,

Episcopo Condoniensi,

S. O. D.

**H**æres, ut ſcribis, meus Hilarius, utinam  
haberet tantum mentis quantum habet  
bonæ mentis. Mandaram etiam scripto, ut an-  
te Septembrem iſthic pararet mihi nidulum, ni-  
hil meminit, ebrius opinor voluptate repetitæ  
Gallia, quam unice adamat. Rurſum ſcripsi me  
non venturum ante proximum Ver. Interea, fi  
iſpi eſſet felix Gallia, frueretur: ſin minus, re-  
curreret huc, mihi futurus uſui, ſibi fortaffe  
nulli incommodo. Venit cum aliquot extor-  
tis ac supervacaneis epiftolis, mox in Galliam  
revolaturus. Si Tua Benignitas vult illi bene-  
facere, & fi videbitur dignus, ne committat il-  
lius manibus multum pecuniæ, ſed proſpiciat  
de Sacerdotio, quod non poſſit prodigere. Novi  
Hominis ingenium, non odi. Narrat Tuam Ex-  
cellentiam decreviſſe huc advolare. Id tametſi  
ſu-

suspicio abs te joco dictum, tamen quando sic asseverat Hilarius, non video causam, cur tantum suscipias iter. Fortassis in Septembri commissurus eram hoc corpusculum itineri. In Hyeme non faciam, nisi decrevero mori: ne in Ver quidem possum aliquid certi promittere. Bellum incrudescit: qualis sit futura valetudo, incertum. Multa alia possunt exoriri, quæ consilium si non mutent, certe impedian. Hæc non ideo scribo, quod tuus conspectus non sit mihi futurus multo jucundissimus, sed quod nolim tantum Amicum frustra & sumptu & itinere fatigari. Quod scribis de Hirundine in niveis quæsita, Deus averat omen. Bene vale. Basileæ, pridie Idū Decemb. Anno M. D. XXIV.

E R A S M U S   R O T E R O D A M U S  
F R I D E R I C O   N A U S E Æ   F R A N C O N I ,  
Card. Campegio a Consiliis,  
S. D.

**R**edditus est tuus Libellus, qui vel hoc nomine fuit gratissimus, quod a Nausea veniret, Homine mihi longe charissimo: vellem tamen istud operæ tibi in argumento feliciore sumptum fuisse, etiamsi consilium ut erat conceptum processisset. Quo magis nunc friget tuus labor, postquam abrogatum est quod tractas. Qui parum feliciter navigarunt, solent aliis non infeliciter cavere, ne veniant in periculum. Ad parandam Fainam plurimum habebit momenti, si

deligas argumentum fœcundum & plausibile,  
quod utcunque tractatum, suis ipsius Dotibus  
commendari possit Lectori. Scripsit ad me Coch-  
lejus epistolam singularis cuiusdam in te studii  
plenam. Nunc non vacat pluribus tecum. Sed  
brevi efficiam, ut Posteritas etiam norit Erasmo  
cum Nausea non vulgarem Amicitiam intercessisse.  
Interim cura ut quain rectissime valeas. Col-  
legæ tuo, meis verbis salutem annuntiato. Datum  
Basileæ, Id. Martii, Anno M.D.XXV.

## ERASMUS ROTEROD. ANTONINO Medico s. d.

**P**ost epistolium, quod e Francfordia miseras,  
nihil isthinc venit literarum. Librum, quem  
tuo jussu dicaram Thesaurario, per Carolum  
meum misi Oenipontem. Illinc scio transmissum  
Budam una cum literis meis. Huc aura Rumoris  
ingrata pertulit, & istuc pervaluisse fatales hosce  
Tumultus, non absque gravi periculo damnoque  
Thesaurarii. Quod si verum est, multis nomini-  
bus doleo, & quod ille Vir optimus sit indigna  
passus, & quod tui Patroni calamitas ad te quo-  
que pertineat, & quod mea Dedicatio fortasse  
nihilo plus habitura sit gratiæ, quam in luctu Mu-  
fica: sed Belli multa inania. Tuæ literæ, ut spe-  
ro, nuntium adferent lætius. Posthac mutum ha-  
bebitis Erasnum, posteaquam Linguam emisit.  
Spero tibi res isthic esse prosperiores, quam ut  
huc te debeam revocare. Et si essent minus  
prosperæ, vix ausim ob Tumultus, qui nobis  
dira

dira minantur. Erit gratum cognoscere, quid valeas agasque. Basileæ, quinto Calend. Septemb. Anno M. D. XXV.

ERASM. ROTEROD. FRANCISCO CALVO,  
Bibliopolæ Romano, s. d.

**A**go tibi gratias publico Studiorum nomine, quod Officina tua jam aliquot elegantes Libellos nobis dedit, expectamus avidi reliqua Promissa. Qui has perfert Vir bonus est, & aliquan- diu meruit apud Frobenium, eum tibi volui no- tum esse, si forte ejus opera possit tibi usui esse. R. P. Sadoleti Libellum in deliciis habeo, verum, illius aureum Dictionis flumen considerans, vi- deo quain meus rivus sit & turbidus & exilis. Posthac ad hoc exemplar meum quoque stilum conabor attemperare. Precor ut ista molienti tibi propitius ac benevolus sit Mercurius. Bene vale. Basileæ, prid. Calend. Septemb. An. M. D. XXV.

ERASM. ROTEROD. PETRO BARBIRIO  
s. d.

**V**ideris in Amicitia refrigerescere, qui non respondeas. Quod ad me pertinet, nostra Amicitia nunquam intermorietur. Soles polli- ceri Montes aureos, saltem illud praesta ne me spolies mea Pensione, quod mihi videris medi- tari, nec obsit mihi, quod uni tibi toto pectore confisus sim. De Fide tua nihil addubito, sed tamen vereor ne candore pecces, quo soles nimium frequenter delinquere. Aleandrum tuum

amo, tum suspicio, sed quidam illum instigant in me suggestentes falsas suspiciones. Et absens alius est quam præsens. Tuæ igitur Prudentiae fuerit cavere, ne quid apud illum effutias, quod & Amicitia nostra sit indignum, & illius Inimicitiam in me exasperet. Corpusculum hoc indies collabitur, exarescit ac deficit: Auguror haud procul abesse diem, quo Syphar hoc abjeciam, & exiliam nova Cicada, Christi laudes feliciter cantatura, posteaquam in aërem puriore ac liberiorem evolarit. Tum Pensio Curtracensis tua esto. Nunc inclemensissimum fuerit Erasmus Clientem tuum enecare fame. Gallus, qui has reddit, vixit aliquamdiu apud Frobenium, mihi videtur Vir probus. Romæ factus est Hypodiaconus, nec ultra datum est progredi, quod Titulo careat. Cupit vel absolviri, vel admitti ad ulteriora. Non onero te Cominendatione, si quid tamen officii collocaris in eum, videris in Virum bonum collocaturus. Bene vale, Patrone Magne. Reliqua cognosces ex meis ad Hovium literis. Datum Basileæ, pridie Calend. Septembris, Anno M.D. XXV.

### ERASMUS ROTERODAMUS POLYDORO VERGILIO

S. D.

**O**rnatissime Polydore, Opera tua sunt eleganter ac feliciter excusa. De Pacti Conditionibus ideo cupiebat nosse Frobenius, quod nihil expectet ab N. nisi meras Technas. Ille artifex

tifex auferet lucrum, Frobenio dabuntur verba.  
Nec mea magnopere refert, nisi quod bene volo  
Viro, omnium, quos unquam viderim, optimo:  
& meo suasu suscepit negotium: postremo cu-  
perem illum sic tractari, ut ad alias Lucubratio-  
nes tuas reddatur alacrior. Me certe semper ha-  
bebis pro tuis in me Meritis tuæ Gloriæ faven-  
tem. De Moro quod scribis, arbitror nihil esse.  
Si quid offensus fuit, ob nescio quas causas, levis  
erit offensio, & ille ne gravium quidem injuria-  
rum solet ineminiſſe: scripsi tamen Homini  
diligenter, non tam ut vos reconciliem, quam  
ut mutuam Amicitiam confirmem. Æquum est  
enim & vehementer cupio, ut, quoniam me jam  
olim in Amicorum tuorum numerum dignatus  
es recipere, communis sit inter nos etiam Ami-  
corum possessio. Si continget certus aliquis, per  
eum scribam copiosius. Hic agitur crudelis &  
cruenta Fabula, Agricolæ ruunt in mortem.  
Quotidie fiunt Conflictus atroces inter Proceres  
& Rusticos, adeo in propinquuo, ut Tormento-  
rum & Armorum crepitus ac prope cadentium  
gemitus exaudiamus. Nos h̄c quam simus in  
tuto, tu conjectato. Fatale Malum est, mira cele-  
ritate pervagans omnes Mundi Plagas. Cardinalis  
Campegius metu Tumultus cessit ex Hunga-  
ria. Archiepiscopus profligatus est. Cardinalis Sals-  
burgensis jampridem obsidetur. Legatus Epi-  
scopus Verulanus cessit metu ex Elvetiis. Co-  
loniæ fuere Motus nonnulli. In Brabantia Ma-  
lum incruduit. Principes tantum agunt vulga-  
ribus

ribus remediis. Metuo ne magis exasperent malum, sed Christus insignis Artifex solus potest hanc fatalem Tempestatem vertere in lætos exitus. Sunt qui non sinunt Simultatem, quæ mihi cum Leo fuit, consenescere, sed antiqui Vulneris cicatricem refricant. Dabit operam Humanitas Tua, ut hîc quoque utamur, fruamur, quemadmodum scribis, Amicis communibus. Bene vale. Datum Basileæ, Nonis Septembris, Anno M. D. XXV.

ERASMUS ROTERODAMUS  
GULIELMO BUDÆO

S. D.

**O**rnatissime Budæe, næ tu Homo es crudelis, qui calamitoso insultes etiam, tantum abest, ut Consolatione lenias Ægritudinem. Exprobras Cunctionem, Tergiversationem, Comperendinationes. Levius miser est, qui non sua culpa, sed Fatorum iniuitate miser est. Tibi certe gratulor istud beatissimum Otium, quod precor ut aliquando plenum contingat, quo iam ex asse felix sis. Hic Petrus Tossanus Juvenis est honesto loco natus, inde felici, & ingenio perquam liberali, summaque spei. Ardet amore Græcanicarum Literarum. Basileæ solus profitetur Glareanus, sed Egestas obstat, quo minus possit vel animo suo, vel hujusmodi Auditoribus satisfacere. Scio tibi Juvenis ingenium oppido placitum, & si novi tuam Humanitatem, vel nullo rogante facturus es, quod di-

dignum est tanto Literarum Antistite. Cæ-  
tera cognosces ex Tossano nostro. Bene vale. Da-  
tum Basileæ, Anno M. D. XXV. sexto Nonas  
Octobr.

**ERASMUS ROTERODAM. MERCURINO  
GATTINARIO, Cæsaris Cancellario**  
summo, s. d.

**V**ir Clarissime, nos licet summo in periculo  
versantes, onusti calculo vesicæ, quo du-  
dum perit Fericus Archidiaconus Besontinus,  
Frater R. D. Archiepiscopi Panormitanæ, tamen  
ad huc spe Pacis trahimus animam, scientes quod  
corda Regum in manu Dei sunt, qui subito po-  
test ea flectere quocunque visum est. Hic Fran-  
ciscus Dilfus Juvenis est honesto apud suos loco  
natus, & indole singulari, planeque, mea quidem  
sententia, digna, quæ in Aula Cæsaris, Studiis  
optimis exerceatur, Moribusque generosis for-  
metur. Nam diutino Convictu domésticoque  
mihi cognitus est. Candidum & felix ingenii-  
um, sed indignum quod in otio & compotatio-  
nibus conteratur. Quodsi Tua Prudentia non  
improbat meum judicium, quod spero futurum,  
vehementer optarim, ut illi locum in Aula ape-  
rias, quod tua Autoritas facillime poterit, & ali-  
quid Muneris committatur, in quo istam ætatem  
exerceat. Spero ipsum Juvenem suis Moribus  
abs te impetraturum. Scio quot Examina co-  
nentur irrumpere in Aulam Cæsaream. Sed hic  
Genere, Forma, Eruditione, Probitate talis est, ut  
non debeat ex Vulgi censeri Moribus. Me certe  
isto officio tibi multo reddideris adstrictiorem,  
tametsi

tametsi multis nominibus jam olim obstrictissimum. Opto Clarissimam Celsitudinem Tuam quam optime valere. Datum Basileæ, 6. Cal. Augusti, Anno M. D. XXVIII.

In dies mitescit febris Lutherana, adeo ut ipse Lutherus de singulis propemodum scribat palinodias, ac cæteris habeatur ob hoc ipsum hæreticus ac delirus. Sed vereor ne quorundam Monachorum stolidæ improbitas excitet nobis aliam tragœdiam. Rursum vale.

### ERASMUS ROTEROD. GULIELMO BUDÆO s. d.

**V**ide quam magnifice de tua Æquitate sentiam, Eruditissime Budæe, qui non aliun mihi Patronum delegerim in hac causa, quam eum cui reus existimor, & cuius injuriam videntur isti ulcisci. Epistolam ad te mitto, nam Libellus adhuc versabatur in manibus Typographorum, quanquam in eo præterea nihil est, quod ad hoc attinet negotium. Animus meus in te adeo nihil habuit livoris aut malevolentia, ut quum acciperem prodire Lucubrationum tuarum fœtus, toto pectore gratulatus sim, & publice Studiis & privatim mihi, neque non tibi, quo Principe & Antesignano tam feliciter efflorescunt apud Gallos Romanæ simul & Græcae Literæ. Atque hoc magis Tua Prudentia dabit operam, ne qua Lues dissidiorum exorta, Felicitatem istam contaminet. Quod autem exemplum est, obsecro, ob rem adeo nihili, spargere famosos Versiculos, quasi non possimus &

& nos Versiculis ludere, si liberet similiter fūrere? Neque quicquam addubito quin ista tibi displiceant, non ignorō verissime dictum a Priscis, "Ακαιρος ευνοια ουδεν εχθρας διαφέρει. Febris hæc primum orta Rōmæ, per quosdam, qui non ferebant, neque Gallum, neque Germanum, quenquam laudari, quo processerit, vides. Arbitror te posuisse suspicionem, quam de me concepisse videbaris, sed, mihi crede, falsissimam, videlicet me studio nomen Gallorum impetere. Quanquam ista tua destomachatio mihi non mediocrem conflavit apud Gallos invidiam, tamen quoniam eam magis ab immodico quodam Patriæ studio, quam ab odio mei profectam scio, moderatius fero, quod accidit. In Epistola, quam scripsi Lodovico Berquino, ut nihil sciens mentitus sum, ita nihil arbitror esse, quod tuam lædat Existimationem, nihilque minus metuebam, quam ne illa a duorum manibus aberaret: per me certe non edetur. Aliter scribendum est Amicis, aliter Populo. Confido futurum, ut si Tua Prudentia non existimet hoc Amicitiæ nostræ deberi, quod peto, certe tribuat publicæ Studiorum Tranquillitati. Sed quæ tua est Humanitas, curabis ut utroque nomine tibi debeam. Bene vale. Basileæ, Anno M. D. XXVIII.

ERASMUS ROTERODAMUS JOANNI  
Card. Lotharingiæ s. d.

C<sup>L</sup>arissime Princeps, quum ex Amico-  
ruin literis intellexissem, Amplitudi-  
nem Tuam impense favere Studiis Literarum  
opti-

optimis, & harum gratia Erasmo, ut aliquod  
grati animi Specimen darem, hortantibus eo-  
dem Amicis, dicavi tuo Nomi Libellum, non  
pro tua Dignitate, sed qualis tum forte erat  
paratus, & abunde magnum officii mei fru-  
ctum mihi percepisse videbar, si nostrum stu-  
dium boni consuluisses. Nunc quum non mi-  
nus præter expectationem meam quam præter  
meritum, tua singularis Benignitas detulit mu-  
nus, tam supra meam Dignitatem, quam ille  
Libellus erat infra Dignitatem tuam, multo  
gratius erat ornari tanti Præsulis testimonio,  
quam ditari munere. Ac sane, quod attinet ad  
animum meum, abunde fruor tua Benignitate,  
datum existimans, quicquid datum esse volebat  
illa: cæterum apud alios, quod exhibeam te-  
stimonium, non habeo: quid in mora sit, ne-  
scio. Quæstori tuo scribebas datum negotiūn,  
atque ejus Ordinis Homines fere putant non o-  
ptime collocatum, quod datur Studiis. Et hîc  
certe habent multam causandi materiam: ex-  
ciderat, non vacabat aliis occupato, verba dede-  
runt Aurifices, non contigit per quem mitte-  
rem. Utcunque res habet, hactenus de Vasculis  
ne Rumor quidem huc advolavit: quid inciderit  
nescio. Fortassis est aliquis, qui credit abunde  
penſatum officium, quod objecta spe tam diu-  
tinam voluptatem accepi: qua si me voles esse  
contentum, facile fecero, quum ante promissum  
mihi felix viſus fuerim, quod Amplitudo Tua  
studium meum boni consuluisset. Nihil enim  
dubito, quin tua Benignitas ex animo promiserit  
quod

quod obtulit, nec appellata, nec expectanti. Sed de his frivolis plis satis ad tantum Principem. Habeo gratiam quod hactenus apud omnes me tuo Favore sublevaris, quod ut facere pergas, te etiam atque etiam rogo. Dominus prospexit res omnes Tuæ Celsitudinis, cui Mancipium hoc opto esse commendatum. Datum Basileæ, postridie Idus Julii, Anno M. D. XXVIII.

ERASMUS ROTER. PETRO MORNYEO,  
Abbati S. Sulpitii,

s. d.

**Q**ui pigri sunt ad scribendum, semper epistolæ brevitatem excusant per Tabellarium: qui si parum certus obtigit, negant illi committendas prolixiores literas, ne vel multum operæ periret, si non perferrentur, vel ad plures dimanaret, quod uni notum esse oportuit, si Latoris perfidia resignarentur. Si contigit exploratæ fidei per quem scribant, negant opus prolixis literis, quum melius coram omnia relaturus sit Tabellio, quam literis mandari possint. Hac excusatione vere poterant uti, quandoquidem ad te proficiscitur Albanus utrique nostrum non modo notus, verum etiam charissimus. Ex eo cognosces, quicquid hic vel publice vel privatim geritur. Geruntur autem nova permulta, quæ precor ut Deus verrat in bonum exitum. Ego calculo vesicæ gravidus, pascor Victima nil miserantis Orci, ut ait Flaccus. Tuum silentium tam diutinum

H h

num

nun duobus nominibus mihi met excuso, vel quia non dantur per quos scribas, vel quia totus es in Sacris Voluminibus, nec potes a semel gustato Melle divelli. Erit tamen pergratum, si cognovero te prospera esse valetudine, nostrique meminisse. Nihil opus, ut tibi Albanum commendem, cuius res optarim aliquanto esse secundiores. Si quando incidet in Fratres Alardetos, quæso ne graveris illis meo nomine salutem dicere. Bene vale. Datum Basileæ, quarto Idus Januarii, Anno M. D. XXIX.

ERASMUS ROTERODAM. BERNARDO,  
Episcopo Tridentino,

s.

**R**everende Præful, ut intelligas tuum Genium Irenæo fuisse felicem, nunc rursus excuditur, efflagitantibus Bibliopolis. Utinam isti Juvenes, qui quidvis quibuslibet dicant, nihil inscribant magnis Ecclesiæ Præfulibus, nisi quod illorum Dignitati respondeat. Iftius honorem Muneris non tam tibi gratulor quam ipsi Fernando, cui hoc magis opus est talibus Consiliariis, quo majorem sustinet Ditionis molem: quanquam hac etiam longe major imminere videtur, quod ut tum illi tum Orbi Christiano felix faustumque sit precor. Manum Tuæ Celsitudinis in literis Regiis & agnovi libenter, & reverenter exosculatus sum. Dominus res vestras bene fortunet. Basileæ, Anno M. D. XXVIII.

ERAS-

ERASMUS ROTEROD. PETRO  
Episcopo Cracoviensi

S.

Ornatissime Præful, accipies vicissim a me,  
non perinde magnis splendidisque, sed ta-  
men gravissimis negotiis obruto verius quam oc-  
cupato, epistolam λακωνικωτέραν. Audaciam,  
qua sustinui Celsitudinem Tuam meis Scriptis la-  
cessere, Antonini magis obsecundans hortatibus,  
quam meo ductus ingenio, feliciter cessisse ma-  
jorem in modum gaudeo. Nam brevis licet  
epistola tua, & ut vocas Laconica, prolixam  
quandam in me Benevolentiam spirat, qua me  
cumprimis felicem putarem, si quid agnoscerem  
in me Meritorum, quod tam Pii, tam Eruditii,  
tam eximii Præfulis, tam propenso in me studio  
responderet. Certe adnitar efficere, ne penes  
ingratum, si minus dignum, istum Favorem  
collocasse videaris. Sed quemadmodum epistola  
tua mihi delineavit animi tui simulachrum, ita  
Andreas Zebridovius, Juvenis tali Genere dignus,  
qui nunc Græcis Latinisque Literis strenue mili-  
tans, domestica Consuetudine sua mihi magno  
solatio atque etiam ornamento est, te totum mi-  
hi crebris depinxit expressisque Colloquiis, ut si  
coram adesse, non multo plus conspecturus  
sim, opinor. Fxit Christus Opt. Max. ut Eccle-  
siæ Dei tales multi contingent Episcopi. Spe-  
rare liceret, huic turbulentissimæ rerum humana-  
rum Tempestate, successuram aliquando Serenita-

Hh 2

tem:

tem; essetque quod Orbi Christiano gratulemur, quemadmodum Poloniæ Regno gratulamur, magno quidem illi, sed uni. Evidem tales Heroas venerari soleo, etiamsi nihil officii privatim in me contulissent. Nunc quem affectum tibi debeam intelligo, qui istam singularem tuam in me Benevolentiam, non sat habueris epistola testificari, sed aureo quoque pignore testatam esse volueris. Itaque sollicitus dispicio, quoniam argumento possim aliquam non ingrati pectoris significationem dare, quamquam scio tuam Generositatem amore mutuo contentam esse. Bene vale. Basileæ, Anno M. D. XXVIII.

### ERASMUS ROTERODAMUS

Hermannus a Nova Aquila s.

**S**ub hanc Hyemem destinaram aliquo migrare, sed remoratur Augustinus Athonensis. In Ciceroniano meo non damno stilum Ciceronis, cui tantum tribui semper, ut huic admoti cæteri, quamlibet Eloquentes, mihi videantur obinutescere, sed ineptam Affectationem Ciceronianæ dictionis. Et hoc consilio recenseo multos Eruditos, quos tamen Nosopus non recipit in Catalogum Ciceronianorum, ut illum consoler, si cum tot Viris habeat commune convitium, quod non sit Ciceronianus. Neminem tamen illaudatum nomine. At Budai quidam fremere dicuntur, quod Budæum cum Radio contulerim, quum in hoc duntaxat illos componam, quod ibi doceo negligendum,

&

& quod ipse Budæus semper ex professo contempsit, nimirum fluxum illum Tullianæ facilitatis. Et ne quis hoc sinistre posset interpretari, addo: quanquam Gulielmus Budæus aliis multis eximiisque Dotibus suspiciendus est. Nec ullum est Opus meum serium, in quo non honorificentius de illo prædicem quam quisquam Gallus usquam. Et tamen si verus est Rumor, sic fremunt Amici Budæi, quasi in cineres Patris ac Matris illius minxerim. Clamant, o Cœlum! o Terra! Budæum cūm Badio? Clamant me invidere gloriae Budæi, meque multis Epigrammatiis dilacerant, in quibus aliquot putantur Jani Lascaris, quem tamen in hoc ipso Libello honorificissime commemoro, nec usquam alias nomino, nisi cum honoris præfatione. Quis crederet tantum stoliditatis esse in Gallis? Causa delata est & ad Regis cognitionem. Volenti cognoscere dissidii causam, dictum est, Budæum me taxasse in loco quodam, eo me offendum quæsiſſe vindictam, eumque cūm Badio contulisse. Video talem Tumultum oriturum in Studiis, qualem videimus in Religione. ὁ τῶν ἑρεγέων μέγιστος dicitur esse Niceæ, moliens Concordiam inter duos Monarchas: at vereor ne δίκην potius. Fatale malum, cuius nullum video finem. Si inclinat Factio Lutherana, quod ut fiat ipsi sedulo dant operam, exorietur intolerabilis Pseudo-monachorum Tyrannis. Apud nos regnant. Vicerunt, ut audio, & in Gallia favore Matris Regiae & Cancellarii nunc Cardinalis. In Provincia duo

capti sunt, ac de vita periclitantur, quod coacti morbo duobus diebus ederint carnes in Quadragesima. Tertius erat exurendus, ni Rex eum sublevasset, cuius Causa rejecta est Lutetiam. Dixerat: sumptus, qui illic impenduntur immodi in structuram Monasterii cuiusdam, rectius fortassis insumi potuisse in subsidium orphorum, viduarum & egenorum. Hæc sunt Præludia, tu divina cætera. Bene vale. Archiepiscopo tuo non respondeo, quod illius epistola nullum suppeditavit argumentum. Basileæ, Anno M.D. XXVIII.

ERASMUS ROTEROD. HENRICO  
Angliæ Regi s. d.

**A**terni Numinis Providentia, Sereniss. Rex, quanquam suos variis afflictionibus exercet probatque, tamen ejusdem Benignitas ita temperat acerbitatem remedii, subinde tristibus intermiscentibus lætiora, ut humana imbecillitas possit sustinere: faciens, ut ait Paulus, cum tentatione proventum; ita salubriter secans & urens, ut admixtis solatiis cruciatum clementer leniat, ita vulneribus nostris infundens vini acrimoniam, ut nihilo fecius addat oleum. Quum enim & laboribus, quos in Studiis juvandis supra vires sustineo, & afflictissima valetudine, etiamsi Senectus abesset onere gravissimo, sed multo magis immedicabilibus Ecclesiæ dissidiis, ac malorum furiosis insectationibus vexatus pene deficerem: ecce præter omnem expectationem reddita est tua Maj-

Majestatis epistola, quæ mē tam amanter in Angliam, velut e s̄evissima Tempestate naufragio proximum, in tranquillissimum Portum invitaret, omnia pollicens, non quæ meis Meritis, nulla sunt enim, sed quæ Clementissimo Principi congruunt. Ex his literis tam comiter scriptis eloqui vix possim, Rex Inclyte, quantum roboris, quantum hilaritatis conceperim. Favebam opinioni, quam Tua Majestas de me concepisse videtur. Etiam atque etiam exoptabam esse talis, qui meis vel consiliis vel obsequiis alicubi possim tam Christiano Principi gratificari: sed concidit animus, quoties intueor, quam facultas nec expectationi tuæ, nec meis optatis respondeat. Et tamen animus tot causis reclamantibus in Angliam gestiebat. Dehortabantur Ætas indies ingravescens, Valetudo plusquam vitrea, quam ægre tueor domi latitans, Iter prolixum, nec iam a latrociniis tutum, ad hæc Mare nulli non grave, Bellorum atroces Rumores, & fere solet augere Fama quicquid accepit. Hæc aliaque nonnulla, quæ literis committenda non sunt, quum deterrent ab itinere, tamen hoc consilio Famulum emandavi in Angliam, ne ad rem venirem imparataam. Ab illius discessu sub Paschæ Festum adortus est morbus, qui me sic afflxit, ut in vitam feliciorem transmissurus videretur. A quo sic tamen sensim revixi, ut multo fractioribus viriculis sim quam ante fueram. Posthæc redit Famulus, nuntians eum rerum statum in utraque Germania, ut si nihil obstaret eorum, quæ

paulo ante commemoravi, si maxime tranquillæ essent res Angliæ, tamen nullam Itineris partem usquam esse tutam. Nusquam non regnant Militum Catervæ, qui nec Amicis parcunt, nec Inimicis. Et Geldrius imminet undique. Itaque quod unum potui, præsto, Regum Optime, pro tam insigni in me studio gratias ago, nec me minus obscurum fateor, quam si omnia percepissein, quæ detulit Tua Benignitas, & hoc amplius debeo tuæ Bonitati, quo minus agnosco Meritorum. Non hic precabor, ne feras iniquius, quod tam amanter invitatus non accesserim. Nota est mihi Naturæ tuæ Bonitas, quam adeo scio nihil succensere, ut doleat potius mihi tam justas excusationis esse causas. Fatis agimus, Fatis cedendum. Si quid tamen aliis in rebus potero Tuæ gratificari Majestati, quod scripto peragi queat, nihil recusabo, quod quidem in me situm erit. Interim optare tibi non desinam eam rerum Tranquillitatem, quam tua Pietas ac Virtus promerentur. Non scripseram per Faimulum, quoniam satius esse judicabam filere, quam ambigua scribere. Datum Basileæ, Calendis Junii, Anno M. D. XXVIII.

ERASMUS ROTERODAMUS

Joanni Archiepiscopo Panormitano

s. d.

**Q**uum ego tanto capitilis mei periculo de pugnem adversus novas Sectas, tamen audi esse Mechliniæ quendam, qui scurrili impuden-

dentia publice debacchetur in nomen meum,  
quum toties id Cæsarea Majestas fieri vetuerit,  
nec adhuc quisquam extiterit, qui potuerit in  
tot meis Voluminibus vel unam Sententiam  
oslendere, rectæ Fidei adversantem, quamvis id  
pridem a Leis ac Stunicis, nuper a Beddis &  
Hispaniensibus Monachis sit tentatum. Istorum  
improbitas nimium abutitur vestra Lenitate.  
Illijsimodi clamoribus quid aliud effici potest,  
quam ut novus aliquis Tumultus exoriatur? Ut  
cunque fero non solvi Cæsaream Pensionem, ve-  
rum isto certe præmio mihi videor indignus. Hic  
res eo sunt loco, ut mihi parum tutum sit in hisce  
Regionibus hærere diutius. Ferdinandus Rex  
vocat Viennam magnis Promissis, sed ego nus-  
quam malim quam in Brabantia quiescere, si  
modo per quosdam improbos liceat, qui nec  
Cæsarem, nec Deum, nec Homines reverentur,  
quoties ipsis visum est. Hic prorsus elinguis sum,  
& pessime convenit cum Hypocastis, nec satis  
decorum est Senem peregre vivere: postremo  
hæc Ætas, hæc Valetudo jamdudum Quietem  
postulat. Arbitror Amplitudini Tuæ notum  
esse Hermannum Phrysum, Juvenem honesto  
apud suos loco natum, indole felicissima, Doctri-  
na singulari, qui mihi videtur Aulæ vestræ non  
mediocri tum ornamento tum usui futurus, si  
vos illum vestro Favore complectamini. Quod  
ut faceres, te rogarem accuratius, nisi tales nossem  
Hominis Dotes, ut ipse sit semetipsum abunde  
commendaturus. Scio futurum, ut mihi gratias

agas, si Juveniem dignabere propius cognoscere.  
Dominus Amplitudinem Tuam servet incolu-  
mem. Datum Basileæ, Calendis Octobris,  
Anno M. D. XXVIII.

## ERASMUS ROTERODAMUS Germano Brixio s. d.

**O**ecolampadius in Præfatione Cyrilli fecit  
mei sine causa, tui non sine causa mentio-  
nem, sed moderatam. Quidam cœpit describere  
Pſegmata Græca experiundi gratia, sed videtur  
ineptus. Nescieram Morum fuisse Lutetiæ.  
Cupio ſcire num quid inter vos fuerit Conſuetu-  
dinis. Audio & gaudeo excudi Budæum de  
Græcæ Dictionis Elegantia. Ajunt in ea fieri  
mentionem mei, ut ſignificant, parum candidam:  
at mihi animus meliora pollicetur de Budæo.  
Si quid diſſentit aut corrigit in meis moderate,  
nunquam interpretabor eſſe contumeliam. Iſtis  
vero iudiciis nihil unquam audivi ſtolidius. Sed  
urit quoſdam aliud, quibus nihil elegans vide-  
tur, quod non ſit Paganum. Nollent Bonas Li-  
teras fonarē Chriſtum. Saluta Lupſetum, quem  
occupatiſſimum eſſe vel ex hoc conjicio, quod ad  
me non ſcribit, eoque veritus sum ad illum ſcri-  
bere. Bene vale, Bixi Candidiſſime. De Jacobo  
Fabro demiror nihil audiri certi. Basileæ, Natali  
Matthæi, 1528. Qui has perfert Andreas Ze-  
bridovius Polonus, Juvenis eſt honeſtiſſimo  
apud fuos loco natus, quem a meo Convictu  
diſtraxit amor videndæ Galliæ, tot Eruditorum  
Virorum

Virorum luminibus resurgentis, cui non gravaberis interdum tui copiam facere. Rursum vale.

## ERASMUS ROTERODAMUS

DANESIO s.

**V**t animo meo permolestum esse solet, quod viderem Musas hoc rerum humana-  
rum Tumultus conterritas plerisque Regioni-  
bus vel filere prorsus, vel frigere, ita vehementer  
gaudebam vestram Galliam illis tranquillum  
& amœnum præbere domicilium. Italiam enim  
veterem illam Ingeniorum Parentem & Altricem  
Barbarus Mavors jam olim occupat. Nec quie-  
ta est Hispania. Apud Germanos vero non de-  
funt, qui sub umbra Pietatis Evangelicæ, quic-  
quid est liberalioris Eruditionis, extinguere mo-  
lliantur. Verum hanc meam gratulationem, non-  
nihil contaminavit ortus istic ex meo Ciceronia-  
no Tumultus, quum argumentum adeo non sit  
inutile, ut ipse Budæus suis ad me literis promi-  
serit, se nonnihil adversus istos Ciceronis Simios  
scripturum: nec aliud illic agitur, quam ut qui  
Ciceroniani student videri, non assideant linea-  
mentis ac voculis, sed vere, totumque Ciceronem  
exprimant. Et Badium cum Budæo contuli,  
non in quibuslibet, sed in eo duntaxat quod Bu-  
dæus ingenue contemnit, quodque ibi conte-  
mnendum doceo. Nec animadvertisunt hæc a No-  
sopono dici, non ab Erasmo. Postremo, ne vel  
malevolus aliquis posset calumniari, collatio-  
nem adjeci, Budæum aliis multis eximiisque  
Dotibus

Dotibus suspiciendum. Et tamen hoc argumentum visum est istis Epigrammatibus maledicis dignum. Magni referebat Studiorum, ut qui politioribus Literis militant, junctis umberibus se condensarent, adversus Phalanges hostium, qui nusquam magis concordes sunt quam ad opprimendum feliciter subolescentes Linguis ac Bonas Literas. At vereor ne quorundam levitas tales quandam luem invehat humanioribus Studiis, qualem videmus in Religionem Christianam invasisse. Te nondum neque de facie, neque de Scripto cognovi, sed tamen amo pectus istud tuum Musis & Gratiis omnibus consecratum, cuius imaginem mihi quidam nec indocti nec leves suo calamo delinearunt. Hunc animum, mi Danesi, tibi non incognitum esse volui, quem scito ab omni fuco alienissimum. Bene vale. Datum Basileæ, 5. Septembris, Anno M.D. XXVIII.

E R A S M U S . R O T E R O D A M U S  
Claudio Javando s.

**M**ichi vero longe magis gratulor, Claudi Chassisime, cui Colloquium illud conciliavit Amicum non modo doctum, verum etiam prudentem, candidum ac liberum, quod genus Amicis soleo mirifice delectari. A Mida posthac cavebimus, quanquam illius epistola non nihil habebat  $\pi\pi\pi\lambda\sigma\sigma$ . De literis Dolam bona fide transmissis amo te pluriuum. Succetus respondit per Erronem quendam forte oblatum, lacerum, famelicum, & Iro pauperiorem, quem

quem & vestitum & nummatum dimisimus. Carlebitzius hinc profectus est Spiram, meis literis commendatus Ferdinando, Duci Georgio, & aliis aliquot Magnatibus, quanquam Dux nec adest, nec adsuturus est. Ante biduum accepi ab ipso literas. Laborat e tibia, non sine periculo. Sunt qui suspicentur esse fucum. Scit quid illic agatur, ac veretur offendere Joannem Ducem, & Marchionem Hessiae: alterum Affinem, ni fallor, alterum Cognatum; verum haec nihil aliud est quam Divinatio. Illud habeto certum, inter principes Amicos posthac scribetur Claudius Javandus, nec quicquam facturus sum libentius, quam ut tibi aliquo gratificer officio, modo tu non graveris significare quid per me fieri velis. Bene vale. Calend. April. 1529. Basileæ, ex Horto Frobeniano. Charta me defecit, ut vides. Scripsi paucis ac de eodem, quod ajunt, oleo, Scholasteri.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Francisco Thesaurario s.

**O**pinor literas meas tibi redditas, simpliciter impudentes de Vino mittendo. Non bene convenient nec in una fede morantur pudor & Egestas. Auriga nuntiavit adesse duo Vasæ a Domino Officiali, quare non est necesse ut sollicitus sis hac quidein de re. Si tamen Tua Benignitas ita decrevit Erasmus jampridem sibi obstrictissimum obstrictiorem reddere, cuperem si fieri posset, alterum Vasculum esse Vini veteris: si minus, non ita valde laboreo. Tamen indica, quanti

quanti conduxeris Aurigam: nihil enim mihi molestius, quam cum hoc Hominum genere contendere. Si hic petisset octo coronatos, fuissent illi numerandi. Simul te rogo, ut ne graveris tribus verbis indicare, quo pacto queam vicissim Hominis ingrati notam effugere. Dominus te cum tibi charissimis servet in columem. Datum Basileæ, Calend. Aprilis, Anno M. D. XXIX.

E R A S M U S R O T E R O D A M U S

Baptistæ Egnatio s.

**Q**ui has tibi, ut spero, reddet, Juvenis est candidissimi pectoris Carolus Utenthouvius, Patria Gandavus, mihi domestica Consuetudine, eaque diutina perspectus. Hunc per iter, nec breve, nec satis tutum, Literarum sitis, & tui similes Viros, quos pro Numinibus veneratur, coram alloquendi cupiditas pertraxit in Italia. Ex quo cognosces, quicquid hic rerum geritur. Audies autem novam & inauditam Tragœdiam. Cui, quæso, ut si quid inciderit, adesse digneris. Id aut nullo, aut quam levissimo tuo incommodo poteris. Nec enim eget pecunia. Ciceronianus meus offendit quosdam Lutetiæ, adeo ut Erasminus maledicis Epigrammatiis lapident, in quibus esse dicitur & Lascaris noster, quod Budæum cum Radio contulerim. Alii putant me dehortari Juventutem ab imitatione Ciceronis, quin in ipsa statim Præfatione testor hoc fore insanissimum; sed me tantum illos notare, qui nimis anxie aut inepte student Tullianæ Phraseos exprimere lineamenta. Ne quid sit unquam trans-

quillum

quillum in rebus humanis, accessit hæc Pestis Bonarum Literarum Cultoribus. Precor ut quam optime valeas, Egnati Charissime. Utinam licet at apud vos vel vivere, si quid ævi Cœlites superesse volunt, vel mori tranquille. Datum Basileæ, Calend. Martii, Anno M. D. XXIX.

Salutant te Beatus Rhenanus, Bonifacius Amerbachius, & Henricus Glareanus, qui heri totus hinc demigravit Friburgum.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Justo, Regis Poloniae Secretario, s.

**A**amicorum commodis incommodisque non aliter affici soleo, quam meis. Anxium habebat me tuus casus, nunc plane restitutum sum-mopere gaudeo. Nam ego Justum meum inter candidissimos Amicos numero. Nunc eloqui vix possim quantopere discruciet animum meum Antonini Valetudo. Quid illius pectore candidius? Quid Amico amicius? Moderatius dolerem, si vitam morte comitutassem. Simile malum corripuerat R. P. in Italia Legatione Regis sui nomine fungentem. Desperantes Medici suaserunt Cœli mutationem. Rediit in Angliam, sero, sed tandem revaluit, sibi redditus. Hoc impensius gaudebam, quod præter omnem spem tantum Amicum recepisse. Sed ecce aliud Malum: opera cuiusdam Magnatis conjectus est in carcerem, quod in hunc quædam liberius pro suo ingenio scripsisse feratur. Sed arbitror illum nunc esse liberum. Utinam audiam & Antoni-num nostrum nobis sibiique restitutum esse. Pro-ximis

ximis literis minitabatur, nescio quid muneris, quod ipse non possem contemnere. Id ajebat se missurum per eum, quem hic habuerat Famuli loco, Josephum, ni fallor. Utinam multorum munerum jactura talem Amicum queam recuperare. Videtur Malum fatale. Hic in ædibus cuiusdam Amici mei correptæ sunt Puellæ quatuor, & aliquot Famuli, quorum unus interiit. Joannem Frobenium immortalitate dignum Hominem nobis admittit Paralyfis. Poterat annos aliquot vivere, nisi tantopere puduissest ægrotare. Andreas Zebridovius bona fide reddidit, quicquid accepit. Eo doméstico Convictore nunc consolor valetudinem, ac labores meos. Istam sententiam precor ut obtineas, ne nostrum animum æstimes officio literarum. Bene vale, Amice singularis. Datum Basileæ, 8. Calendis Septembris, Anno M. D. XXVIII.

### ERASMUS ROTERODAMUS Petro Decimario s. d.

**E**t hanc epistolam ventis committo, eo-que scribam parcus, quo minus sit ja-cturæ, si intercidat. Termini Sycophantis re-spondeo Appendice Psalmo addita: Libellum ad te mitto. Libellus de Pronunciatione non a perinde multis legitur, atque hoc ipso nomi-ne felicior: nam Ciceronianus, qui rapitur ab omnibus, multis stomachum movit Lutetiæ. Rem te docebit epistola ad Brixium mea, quam excusam mitto. Nihil est tam felix in rebus hu-manis,

manis, cui non aliqua Pestis fese admisceat. Carvelus ad me scripsit e Lugduno. Plane futurum auguror, ut per istas Picas & Graculos, Aves inauspicatissimas, exoriatur novum incendium, quod ab istorum stolidis in Bonas Literas clamoribus ortum ad caput recurrit, ut video. Nec de malis punicis, nec de alia re est quod sis sollicitus. Non teneor sunilibus delitiis, nec facile deportatur hoc genus mercium. Vina mihi suppeditat vicina Burgundia. Ornatisimo Präfuli scribam, si quid dabitur otii. Nam quod me scribis occupatissimum, non recte loquutus es, obrutum debebas dicere. Alexandrum, Antonium, Jacobum Burgensem, Jacobum Ferrandum vicissim meo nomine salutabis. Beatus Rhenanus agit Sletstadii, Glareanus & Amerbachius te salvere jubent ex animo. Nam Eruditorum hic mira paucitas. Evangelica Febris occupat plerosque. Bene vale, Vir Optime. Datum Basileæ, 15. Calend. Octobr. Anno M. D. XXVIII.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Hieronymo Agathio

s. d.

**O**rnatissime Vir, Evidem pium arbitror, vel orare vel sacrificare pro Defunctis: verum si quis omnino mihi nasus, de Spectro Fabula, Monachorum est Commentum, quibus adeſt mentiendi voluntas, at non suppetit facultas. Mirum in modum amant Ignem pur-

I i

gato-

gatorium, quod utilissimus fit illorum Culinis. Video, ut res nunc geritur, hanc victoriam non cessuram Christo, sed quorundam cupiditatibus, qui suum negotium agunt verius quam Pietatis: Verum hoc ipse viderit Christus, quem nondum meremur habere propitium. Joco me Hieronymianum vocas, atqui ne sis insciens, nunc magis sum Augustinianus, quem totum immensus fudoribus emaculo, quum Hieronymianorum Operum Epistolas tantum suscepisse. Augustinus jam magna ex parte excusus est. Pro tuo erga me studio habeo gratiam, cuius præter animum mutuum nihil referre possum. Bene vale. Basileæ, 3. Nonas Septembr. Anno M. D. XXVIII.

ERASMUS ROTERODAMUS

Andreæ Alciato, LL. Doctori,

s. d.

**A**merbachius Vir ad unguem factus recitavit mihi partem eam tuarum literarum, quæ nostri mentionem faciebat amanter verius quam honorifice. Decebat quidem iste candor, Alciate Doctissime, cunctos Liberalium Disciplinarum Cultores, sed nihil est in rebus humanis tam felix, in quod non aliqua Lues irrepatur. Longolii dictionem & ingenium vehementer admiror, candorem in illo nonnunquam desidero. Et tamen hoc ingenium ante diem nobis eruptum doleo. Eandem Virtutem nonnunquam & in Budæo desiderare cogor, alioqui doctis-

doctissimo, atque etiam probo. Rem cognosces ex epistola, quam ad Brixium scriptam habet Libellus, quem mitto. Tuus iste animus, ista admirabilis Eruditio, isti Mores nive candidiores, digni prorsus erant, quibus Fortuna pari Benignitate responderet: nunc quid tuam Vicem deplorem, Vir Optime, quum hæc rerum Tempestas sit omnium fere communis? Animi tui robur & miror & probo, sed malim in rebus secundis tuam laudare Modestiam, quam in adversis admirari Fortitudinem. Utinam Fortuna tantum haec tenus sœviret in Erasimum, ut facultates imminueret. Cum multis Excetris mihi res est, lethale virus efflantibus, non septenis, sed septies millenis capitibus. Habet Laconicam epistolam, sed quam, vereor, ne longam dicas, characterum ineptia delassatus. Est quod Bonifacio gratuleris, Uxoris uterus turgens promittit illi Patris optatissimum cognomen. Bene vale, præcipuum hujus Ætatis Ornamentum. Ne quæso meum in te animum æstimes officio literarum. Dicas hanc esse prolixam epistolam, si scias quibus obruar laboribus, tum quam multis unus rescribam. Datum Basileæ, 16. Cal. Octobris, Anno M. D. XXVIII.

ERASMUS ROTERODAMUS  
Nicolao Vesuvio s. d.

**V**ideo Beddam cum suis conjuratis prorsum gladiatoriis animis ad me affectare viam. Hortantur quidam, ut aperto Marte Faculta-

tem adoriar, nihil parcens: mihi non videtur consultum, & si videretur, non est otium. Audio Præsulem esse singulari Prudentia præditum, hic illius Oraculum audire cupiam. Qui misit Adagia Gallica, mihi videtur Vir pius: qui Sententias, candidus. Utrunque mihi salutabis, non enim vacabat illis scribere. Qui Donato adjecit Præfationem, sui similis est, æque stolidus ac scurra, atque olim fuit. Non est dignus ira cuiusquam. Hæc est horum Temporum infelicitas, etiam abjectissimis licet quodlibet. Huc provocat Evangelicorum improbitas, ut Principes huic malo medeantur. At vereor ne Medicina neutrīs futura sit commoda. Sibi fortasse secabunt & urent. Optarim ut, si fieri possit, saltem pro Augustino daretur Regium Privilegium. Ab hoc Opere pendent Facultates Liberorum Frobenii. Ego propemodum gratis meam operam impendo, alioqui non sumpturus tantum laboris pro bis mille florenis. Religio me coëgit. Audio Cardinalem Franciæ, Hominem non nimis facilem, in cuius aures fortassis instillant aliquid inauspicati quidam, quo minus æquum experiamur. In hoc Opere nihil erit meum, nisi quod mendas, quantum licuit, submovi, notha subindicavi, & Libros secundum materiarum congruentias digessi. Præfatio nihil habebit quod quenquam offendat. Si quid Præsul tuus valeat apud Regem, velim ut pro hoc saltem Opere Regis Privilegium nobis impetraret. Mitto Libellum Epistolarum, si modo Antonius  
tantum

tantum sarcinæ perferre volet. Bene vale. Datum  
Bafileæ, Natali Matthæi, Anno M. D. XXVIII,

Scribunt mihi Nicolaum a Clericis publicitus de-  
bacchari in nomen meum, succedentem in Exem-  
plum Querni. Novum concionandi Exemplum.  
Et tamen ajunt illum haberi Virum probum cum-  
primis & gravem. Vix adducor ut credam.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Petro Tossano s. d.

**N**ihil est, Petre Charissime, quod vel temerita-  
tis, vel literarum neglectius scriptarum  
Apologiam apud me facias. Scio, quicquid scri-  
bis, ab animo purissimo proficiisci: nec est quod  
hinc metuas quicquam invidiae. Epistola tua  
bona fide redditâ est, nec per me vulgabitur. Et  
si vulgaretur, nihil habet indignum Homine pio.  
Nec pilo mihi futurus sis injucundior, si tibi  
cum Berquino fuisset aliqua Consuetudo, quem  
Virum doctum & eruditum judico: tantum hoc  
mihi dolet, quod suo fretus animo semet in sum-  
mum conjicit discriben. Si a prima Victoria  
conquievisset, jam securus ac tranquillus ageret.  
Sed maluit suo animo quam meo consilio ob-  
sequi. Si, quod mihi conflavit invidiam, ipsi  
prodeisset, meum incommodum Amici commo-  
do solarer: nunc utrique altero gravamur, nec  
ullis auscultat Monitis. Audio Pontificem esse  
in Sabaudia, & audio, quanto zelo sit Franciæ Car-  
dinalis erga Ecclesiam, quantumque tribuat Theo-  
logis ac Monachis. Et suspicor isthic adesse Al-

bertum Pium Carporum Principem, Aleandro  
mire addictum, qui Libro ad me misso, hoc co-  
natur persuadere, me totius hujus Tumultūs auto-  
rem esse. Prospicio quæ Tyrannis fit exoritura.  
Vereor ne vincat Mundus. Debetur hoc sceleri-  
bus nostris. Adhuc in ea sum sententia, ut sa-  
tius existimem filere, si nihil addant Edicto. To-  
ties respondi, tam evidenter ingessi Sutoribus &  
Beddis sua Mendacia, Calumnias, Delirationes,  
Inscitias, perficuerunt faciem. In Clamoribus,  
Convitiis, Bullis & Ampullis, in Syncretismo &  
Favore Principum tota illis Victoriae spes est.  
Quid vero paras, Vir Optime? ἀναχωρεῖν? In  
te ipsum secedas oportet, si queris τὴν ἐυθυμίαν.  
Illustrissimæ Reginæ quæso ut me facias commen-  
datum, cuius piam Prudentiam, & prudentem  
Pietatem animo exoscular. Si rarius scribes, mi-  
nus eris jucundus, minus charus non eris. Do-  
minus te servet, Amice in Domino Charissime.  
Basileæ, 3. Septembris, Anno M. D. XXVIII.

ERASM. CHRISTOPHORO A STADIO,  
Episcopo Augustano,  
s.

**I**stam vere Christianam & Optimō Præfule  
dignam Pietatem exosculatus sum in tuis lite-  
ris. Non possum agnoscere, quod mihi tribuis  
singulari quodam candore. Non adeo mihi sum  
ignotus, sed istam laudationem interpreteror con-  
solationem, adversus quorundam malitiosa per-  
versa-

versaque judicia, ne quid commemorem insidias capitales, quas mihi miris cuniculis struunt quidam novis Factionibus addicti. Enecat me pro pemedum Augustinus, & huic accessit Seneca, lobor invincibilis, præter epistolarum onus: & tamen minima lassitudinis meæ pars est, Studiorum moles. Demiror Patientiam tuam, qui Psalmum, quem obiter tractavi & occupatissimus veluti delineavi, potueris evolvere: Id enim intellexi ex Amplitudinis Tuæ ad R. P. Augustinum Marium literis. Aliquanto minus infeliciter tractasse videor Psalmum quartum. Hoc tantum in præsentia licuit obruto negotiis, alias copiosius. Dominus Jesus servet Amplitudinem Tuam Reverendissimam. Datum Basileæ, ii. Calend. Noveimb. Anno M.D. XXVIII.

E R A S M U S   R O T E R O D A M U S  
Hajoni Hermanno Phryfio

S.   D.

**R**emitto Codicem tuum, quo nihil, ut scribis, pulchrius, una cum duobus excusis. Ex pacto mihi debebantur tres, majorem portionem tibi cedo. Si tuus Codex valebat quinquaginta florenis, excusus valet mille. Nec tamen inficias eo tuum alicubi profuisse. Non fraudavimus Rodolphum sua laude, ut arbitror. Tui quoque mentionem fecimus in Præfatione, & Ciceroniano nomen tuum adjecimus. Si nondum videor animo tuo satisfecisse, quod cœpimus implebitur de meo. Nam defuncto Joanne

Ii 4

Fro-

Frobenio tota Officinæ ratio mutata est. Est apud me Phrysius, te & nomine & adnōmine referens, nisi quod Gentili cognomento est Caminga, quo magis admiror te non aliud adscivisse cognomen, unde possis ab aliis dignosci. Versamur hīc in summo periculo. Utinam Deus det lætum exitum. Tuus Carpensis edidit Lutetiae Librum suum, rectius suo nomini consulturus, si pressifset. Nos opella sex dierum respondimus. Ludus exit in rabiem. Vale, mi Hermanne, & Erasmus tuum, ut soles, ama. Datum Basileæ, 5. Calendas Martias, Anno M. D. XXIX.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Petro Bembo s. d.

**G**ravi profecto sollicitudine liberarunt animum meum, Ornatisime Bembe, R. Præfulis Jacobi Sadoleti proximæ literæ, quibus significavit te, multo antequam oriretur illa Romæ Procella, Patavium velut in Portum quietissimum confugisse, atque isthic inter Musas honestissimo simul ac jucundissimo frui Otio. Quaquidem Felicitate dignissimus erat & Sadoletus, nec male congruebat, ut quorum est unus animus, esset communis item Tranquillitas. Sed aliter visum Superis. Ille tamen putat se parvo decidisse cum Fortuna, quod omnium facultatum, in quibus nihil erat Bibliotheca neque pretiosius, neque charius, jactura redemerit incolumentatein. Nos hīc urget Tempestas nihilo mitior Romana. Siquidem illa rapuit opes, nos spolia-

spoliamur his, quæ Piis omnibus sunt, ut esse  
debent, omnibus pecuniis chariora. Verum hanc  
Tragœdiam te malim ex hoc Grammatophoro  
cognoscere. Is est Carolus Utenthoivius, Juvenis  
mihi domestico Convictu eoque diutino cogni-  
tus penitusque perspectus. Nihil illo comperi  
multis annis sincerius, modestius, aut Amico ami-  
cius. Hunc Literarum amor & coram exosculandi  
Viros tui similes cupiditas pertraxit in Italiam.  
Quare te rogo, quod alioqui scio te tua sponte  
facturum, ut pro tua solita in omnes Humanita-  
te, si quid opus erit, illi commodes, vel consilio,  
vel Autoritate tua: Nam pecunia non eget. Et ta-  
men hoc ipsum, quod peto, nullo tuo incommo-  
do feceris. Opto te quam prosperrime valere.  
Datum Basileæ, 8. Cal. Mart. Anno M. D. XXVIII.

ERASMUS ROTERODAMUS

Andreae Zebridovio s. d.

**O**rnatissime Juvenis, Non minima ex par-  
te nobis tui desiderium mitigavit, quod  
intelligo tibi & Iter, & Lutetiam fuisse prospe-  
ram: præsertim quod scribis Studia tua felicius  
istic, quam hic solent, succedere, quod ego sa-  
ne futurum augurabar. Habet enim ista Civi-  
tas Viros non paucos exquisita Doctrina prædi-  
tos. Dicas Musas omnes armorum fremitu Italia  
depulsas, in Galliam commigrasse. Nec dubito  
quin hic summis viribus incumbas, ne frustra  
tam locuples Literarum Emporium adisse videa-  
ris: quanquam hic quoque nunc, nescio quo

I i 5

Fato,

Fato, Profitentium vocibus perstrepunt omnia.  
 Glareanus jam magis tuus est quam antea fuit.  
 Conciliavit vos illa Concertatiuncula, ut inter-  
 dum ex malo principio magna nascitur gratia.  
 Non est quod excuses silentium tuum. Episto-  
 lam ad Carolum Utenhovium datam, mihi quo-  
 que scriptam interpreter. Accessit alius Convi-  
 ctor non illepidus. Carolo male convenit cum  
 Aestuariis. De reditu ad nos tuo an ludas nescio.  
 Quando te dimittet Lutetia? quæ solet Hospiti-  
 bus magis ac magis adlubescere, posteaquam il-  
 los semel suis Odoribus expleverit. Attamen, si  
 id tuo bono fieri poterit, venies nobis gratior  
 quam unquam fuisti, certe me non habebis Ho-  
 spitem deteriorem, fortassis aliquanto commo-  
 diorem, quod memet brevi excutiam ab hisce  
 laboribus. Miror e Polonia ne syllabam qui-  
 dem. Tu si quid habes impari. Quod serius ac-  
 cipis hanc epistolam, in causa fuit Antonius, qui  
 diutius solito atque opinione nostra distulit abi-  
 tum. Jubent te salvere Berus, Bonifacius, Hie-  
 ronymus, Glareanus, reliquique tui studiosi.  
 Quælo ne graveris Martino Dambrofskio nostro  
 meis verbis multam salutem dicere. Tu fac  
 quam optime valeas. Datum Basileæ, 10. Ca-  
 lend. Jan. Anno M.D. XXVIII.

**ERASMUS ROTER. ANTONIO  
 SALAMANCAE,** Episcopo Gurcensi electo,

s. d.

**N**on mediocri me voluptate jam affecerat  
 Henricus Glareanus, quum nuntiaret istic  
 adesse

adesse nepotem Clarissimi Comitis Orthenburgensis, cuius Humanitatem jampridem non literis tantum amantissime scriptis, verum etiam officio quodam sum expertus. Hoc gaudium mihi conduplicarunt tuæ literæ, quæ præter Eruditionem, Prudentiam, ac Pietatem minime juvenilem, spirant non vulgare quoddam erga me studium, quod ego sane in parte non postrema meæ Felicitatis numero. Atque isto quidem nomine gratiam habeo maximam, datus operam ne tantum Favoris in Hominem prorsus ingratum Tua Benignitas collocasse videatur. Tibi vero gratulor unice, quod Virtuti tuæ tanta accesserit Autoritas, qua possis de Religione Christiana quam optime mereri: sed multo magis tibi gratulor istam tam religiosam mentem, quod studies animum his Literis ac Disciplinis instruere, quæ te reddant Muneri, cui destinatus es, gerendo idoneum. Desiderat enim hæc immanis Ecclesiæ Tempestas Naucleros eximios, tum Eruditione, tum Pietate insignes, qualem te fore confidimus. Quo liberius in eo quod petis sanctissimæ voluntati tuæ morem geremus, si quo pacto licebit: nam talium, quallem desiderat Amplitudo Tua, hic mira raritas est. Unum enim tantum habemus, quem ausim tibi tradere, hoc est, moribus integris atque etiam commodis, in Bonis Literis eleganter eruditum, nec infeliciter progressum in Juris peritia, tum alienissimum ab his Dissidiis, quæ nunc infestant Ecclesiæ Concordiam. Is intra paucos dies

dies redibit Friburguin, ita licebit ut coram, nullo tuo dispendio, cum Homine misceas colloquium. Qui si tuæ Prudentiæ talis videbitur, qualis hic optimo cuique, non mihi tantum videtur, quod omnino futurum, & optamus, & confidimus, facile cum illo rem transiget. Per eum tibi scribemus aliquanto copiosius: nunc enim pluribus non vacat. Interim precor ut Tua Sublimitas quam prosperrime valeat, & Erasmus inter adictissima sua Mancipia numeret. Datum Basileæ, 6. die Febr. Anno M. D. XXIX.

ERASMUS ROTERODAMUS

Bernardo, Episcopo Tridentino,

s. d.

**S**pero futurum, Reverende Præsul, ut hoc tam celebre Concilium gignat nobis pro hac Tempestate jamdiu optatain Tranquillitatem, Domino fortunante, quod pio, sicut arbitror, studio molitur Serenissimus Hungariæ Bohemiæque Rex Ferdinandus. Quo in statu nos simus facile conjectat Tua Prudentia, non quod mihi quicquam metuam a Magistratu, sed multa Fex Hominum admixta est huic Civitati. Ofores habeo permultos, Amicos aliquot, sed quorum Autoritas hoc rerum statu non ita multum habeat ponderis. Percuperem hoc ab Amicis procurari, ut Serenissimus Rex Ferdinandus suis literis me hinc evocet, velut aliqua in re usurus mea opera. Spero mihi fore liberum abitum: neque enim cuiquam obnoxius sum, sed eo pacto tutius immigravero.

vero. Nec usquam malim quam Spiram, sed metuo ne huic afflictissimæ Valetudini parum conventurum sit cum tanto Principum strepitu. Friburgum in proximo est, sed Oppidum est angustius, & Populus, ut audio, superstitionisior. Ac mihi jampridem tam male convenit cum squamigero Pecu, ut, si vel attingam, de vita pericliter. Quum habeam causam justiorem, quam vellem, quum habeam Pontificium Diploma sine ulla exceptione, tamen rude Vulgus clamaret, non minus peccans superstitione, quam diversa pars peccat contumacia. Gravius enim est damnare proximum, qui & summa necessitate coactus, & summi Pontificis Autoritate confirmatus vescitur, quam si quis praeter necessitatem vescatur. Hæc res me h̄ic diutius remorata est. Nam Hyeme fortasse contempserem. Hac in re, quæso, ut tua singularis Humanitas mihi suum & consilium & auxilium impartiatur, quam opto quam prosperrime valere semper. Datum Basileæ, 6. Calend. Martias, Anno M. D. XXIX.

Mitto primores paginas Libelli de Vidua Christiana, quam rogatu cuiusdam dicavi Serenissimæ quondam Hungariæ Reginæ Mariæ, cuius Fratrem nunc, quod facile conjecto plurimis negotiis occupatissimum, nolui meis literis obtundere. Habet me suæ Majestati addictissimum semper ac habebit, dum Spiritus hos reget Artus.

ERASMUS ROTERODAMUS

Cornelio Graphæo s. d.

Lubens

**L**ubens paruisse voluntati tuæ, Cornelii Chassisime, in excudendo Carmine tuo, nisi duæ res fuissent dehortatæ. Non visa est ea Carminum vena, ut putarim hinc tibi multum laudis accessurum. Deinde inerant non pauca, quæ tibi fuerant invidiam auctura, quod mihi nequaquam videbatur expedire rebus tuis; præfertim hoc Temporum statu. Discruciat me Fortuna tua, quanquam ipsum afflictissimum, sed quod divinitus geri videtur, forti animo perferendum censeo. Monachorum quorundam improbitas huic Tempestati dedit occasionem, at mihi subnasci videtur aliud Monachorum genus priore deterius, & in utraque parte fortiter atque insigñiter insanitur, nec ullum video finem, nisi Dominus, Unicus Artifex de Machina exortus, canat nobis illud Tragœdiis solenne: πολλαὶ μορφαὶ τῶν δαιμονίων. Interea consultissimum videtur in solida Petra, quæ nullis cedit turbinibus, pedem figere, donec hæc Procella rerum vertatur in Tranquillitatem. Ipsa sibi magnum solatium est bona Conscientia. Quo te quidem invitarem, nisi scirem te semper fuisse Virum integrum. Dominus hoc camino purgat aurum suum, ut fiat obrussum. Si istuc adessem, lubens tum tibi, tum Fratri tuo commodarem in omnibus. Nunc quid possim, non video, & quanta sit hæc rerum confusio, Rumor, ut opinor, jamdudum istuc pertulit. Opto te cum tuis omnibus quam optime valere. Datum Basileæ, Non. Martias, Anno M. D. XXIX.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Paulo Voltzio Abbati s. d.

**E**t tibi tua Crux ferenda est, o bone, si vis regnare cum Christo, a qua nec Pedum quamvis venerabile, nec Mitra bicornis, nec Annuli te liberabunt. De paupere Regno lis est. Etsi maximum esset, scio tuum animum his rebus non magnopere commoveri. Re comperisti, ne Tyrannos quidem esse liberos, quibus Regnum, etiam cum libet, deponere non licet. Constanter recusavi Thesaurariam Turonensem. Res erat & liberrima & paratissima, Proventus τραχιστού quingenti coronati. Nolo bos clitelas. Utrum tu Sceptrum tuum cum ea Conditione commutasles? Etiam si Pensio designetur satis æqua, non semper penditur quod pangitur: quodque est omnium gravissimum, qui querunt lædere, crimen prætexunt suæ malitiæ, ut probruium accedat damno gravius. Epistola, qua scribis te ternas misisse literas, mihi tertia redditia est. Itaque una duntaxat periit. De amphibio suspicabar quod scribis, nisi quod non satis divinabam, quid sibi vellet, Scholarum. Nam αὐτοῖς dicuntur animalia, quae in utroque vivunt Elemento, veluti Crocodili & Phocæ. Deinde irata Grammatica scripseras αὐτοῖς pro αὐτοῖς. De vita mea, quam mihi longævam precaris, viderit Christus: ego sciens nec ad dextram deflectam, nec ad sinistram. Istorum Tumultus quorsum evasuri sint nescio. Ab his ego jam non iudicio tantum,

verum-

verum etiam Religione abstineo. Quid si Deus per istos corrigere vult nostram in malis pervicaciam? Melanchthon scribit nostram διατρέψην etiam Wittenbergæ æquissimis animis exceptam. Fre-munt stolidi. Thrasymachus & Eubulus non audent proferre caput, utrinque lapidandi, si vel prospexerint. Seculum est, in quo nec bene loqui licet, nec male. Opto tibi gaudium & pacem in Domino, Pater Reverende. Beatum nondum vidimus, nec arbitror brevi venturum. Habes ad epistolam tuam μάλα λακωνικῶς. Basileæ,  
15. Calend. Januar. Anno M. D. XXIV.

### ERASMUS ROTERODAMUS

Andreæ Alciato s. d.

**E**ruditissime Vir, Bonifacius Amerbachius, candidus ac bene vocalis Præco laudum tuarum, non tantum sua prædicatione, quam nunquam de te non honorificentissimam facit: verum etiam ostensis Lucubrationibus tuis, quas habet in delitiis, effecit, ut vehementer suspicere cœperim Eruditionem tuam pro modo ætatis pene incredibilem, & mores niveos, omnibusque Gratiis refertos. Pyrrhi nostri mors mihi fuit acerba. Amabam Hominis ingenium, sic ut vix ullius æque: nam mihi cognitus est a puero. Et illius gratia magis avebam adire Mediolanum, nisi stolidus Mavors tumultu vesano misceret omnia. Scripserat enim mihi, se nescio quid habere mearum nugarum, quas ipse non meminisse me scripsisse. Eas ego certe cupiebam auferre, non

non ob aliud, nisi ut abolerem. Nam Germani quidam stultissimo consilio nunc nihil non evulant, quantumvis laudent Hominis Famam. Quod sollicite mones de Declamatione tua in literis ad Bonifacium, ipse caveram diligenter, adeo ut nec legendam cuiquam dederim, excepto uno Amiculo, sed spectatissimæ Fidei. Quare hac de re in utramvis aurem dormias licebit. Bene vale. Basileæ, postridie Idus Decembris, Anno M. D. XXI.

ERASMUS ROTEROD. CHRISTOPHORO

Episcopo Basiliensi

s.

**I**ntegerrime Præsul, ante dies octo decreveram adire te, duce Lodovico Bero Tuæ Celsitudinis ex animo observantissimo: sed illi visum est inhumanum Senectutem tuam prolicere e vapore Hypocaustorum, & ego non ausim me rursus illi committere, toties expertus Pestem mihi esse præsentaneam. Quodsi hic Cœli tepor patitur te abesse a Vaporariis, cupide fruar conspectu colloquioque Tuæ Pietatis. Mihi jam diures est cum calculo, Malo jam olim quidem nimium familiari, sed quod nunc aut sèpius recurrat, aut majore cum periculo. Fœminæ sterilescunt ætate: me senectus reddit fœcundiorem: aut enim concipio, aut pario, aut parturio. Sed Partus est viperinus, & vereor ne quando Parentem interimat. Certe semel atque iterum gravi periculo sum enixus. Quodsi quando parum favente Ju-

Kk

none

none & Lucina niti cœpero, vixerit Erasmus. Ajunt hunc Morbum esse cognatum Podagræ, quicum audio & doleo Tuæ Celsitudini subinde rem esse. Uterque gaudet recurrere, sed hic meus habet periculum præsentius. Si quid offendit in Paraphrasi, quam nuper edidimus in Matthæum, etiam atque etiam rogo ut digneris indicare: nam Opus jam tertio excuditur. Cupimus enim sic moderari nostra, ut omnibus Bonis profint & placeant, si qua fieri possit. Bene valeat Tuæ Sanctitas, cui Christus Optimus Maximus largiri dignetur omnia tranquilla lætaque, sicut ista tua meretur integritas. Basileæ, Anno M. D. XXIII.

E R A S M U S   R O T E R O D A M U S  
Nicolao Wattenvilo, Præposito Bernensi,

s. — D.

**V**ir Ornatissime, ex degustata brevi colloquio tua Humanitate, mirum quoddam tui desiderium me cepit post abitum hinc tuum, adeo ut in animo fuerit Bernam visere, quo diutius & proprius frui liceret tua suavissima Consuetudine. Et contigerat lepidissimus viæ vel dux, vel comes, pro vehiculo futurus, Henricus Glareanus, tandem nobis, id quod gaudeo, redditus e Galliis. Sed nondum licebat abesse ab hoc Pistrino, & si maxime licuisset, non erat tutum me committere itineri, donec tepent Hypocausta, ad quorum vel levem odorem statim relabor in morbum. Adventus Glareani nostri tantum alacritatis

tatis nobis attulit, ut mihi videar revixisse. Hoc nomine mihi videntur habere cor Helvetii, quod hunc Virum magnificiunt: nam unus optime meretur de Juventute suæ Gentis, Semina bonæ mentis & honestæ Eruditionis jaciens apud suos, olim in felicissimum proventum eruptura. Mittam ad te Paraphrasim in Matthæum, si modo fuerit perfecta ante abitum Glareani. Ubi refixerint Hypocausta, licebit istam Urbem visere. Interim mutuis epistolis confabulabimur. Bene vale. Basileæ, Nonis Martii, Anno M. D. XXII.

ERASMUS ROTERODAMUS ENNIO  
Episcopo Verulano

s.

**R**everende Præsul, fasciculus ille una cum Tuæ Celsitudinis epistola bona fide redditus est. Qua quidem ex re multiplicem cepi voluptatem. Primum, quod ex eo cognovi quedam, quæ mea referebat scire. Deinde, quod hinc perspexi quam ex animo mihi bene velit Matthæus Cardinalis Sedunensis, tametsi non hoc argumento nunc primum illius in me studium didici. Postremo, quod obiter ceu novum lucrum accessit animus iste tuus, tam propensus ad benemerendum de nobis, quuum antehac tantum de nomine notum habuerimus. Amplexor utraque manu quod offers, & habeo gratiam. Porro de me, quoniam nihil aliud possum, illud certe polliceor, animum inmemo-

reim & gratuum, qualem debet habere fidus Clientulus erga Dominum ac Patronum optime meritum. Bene vale. Basileæ, duodecimo Calend. Junii, Anno M. D. XXII.

ERASMUS R O T E R O D A M U S  
Ludovico Vivi

S. D.

**Q**uid te felicius, Eruditissime Vives, qui gratiam ineas etiam maledicendo, quum nos & benedicendo nobis odium & invidiam conciliemus. Conati sumus veræ Pietatis ac Religionis aperire fontes, adnixi sumus Reim Theologicam, plus satis prolapsam ad argutas magis quam necessarias Quæstiunculas, priscæ Majestati pro virili restituere, & sic in me debacchantur Monachi quidam, quasi sacrilegium admiserim, quum tu tam gratos & commodos experiaris Sophistas, irritabile, ut Vulgus existimat, Hominum Genus. Proinde, postea quam res tibi tam feliciter cessit, perge, qua cœpisti, Studiis ad meliora revocandis invigilare. Parisiensis Academiæ candorem ac civilitatem jam olim sum admiratus, quæ tot annos Faustum tulerit, nec tulerit solum, verum etiam aluerit evexeritque. Cum Faustum dico, multa tibi succurrunt, quæ nolim literis committere. Qua petulantia solitus est ille in Theologorum Ordinem debacchari? Quam non casta erat illius Professio? Neque cuiquam obscurum erat, qualis esset Vita. Tantum malorum

rum Galli Doctrinæ Hominis condonabant, quæ  
 tamen ultra mediocritatem non admodum erat  
 progressa. Hujus Academiæ Proceres non fe-  
 runt trilingue Collegium, gratis adjuvans publi-  
 ea omnium Studia, gratis ornans non solum  
 hanc Scholam, verum etiam universam Princi-  
 pis Ditionem. Non ferunt Professores Moribus  
 inculpatissimis, Professione casta, Doctrina lon-  
 ge Faustinæ præferenda. Parisiensis Academia,  
 certe in hoc Literarum genere, quod sibi pro-  
 posuit, semper primas tenuit, & tamen gaudet  
 undecunque sibi contingere Literaturæ politioris  
 accessionem. Datur locus quidvis quacunque  
 mercede profitentibus. Hic Guilhelmo Nefeno,  
 Pomponii Melæ Geographiam profiteri gratis ag-  
 gresso, nihilo remissioribus studiis obliterunt,  
 quam si parasset totam hanc Urbem incendio  
 miscere. Ante annos non ita multos frigebat  
 hæc Schola: nunc Bonarum Literarum com-  
 mendatione facta celebrior, mirum quas cristas  
 erigit, quod attollit supercilium, quam medita-  
 tur Tyrannidem. Sed hoc quicquid est Tragœ-  
 diæ duobus aut tribus acceptum ferimus. Quos  
 etiam, si non queant imitescere, tamen obruent  
 tandem indies magis ac magis invalescentia re-  
 ctiora Studia, præfertim si tu te in hoc Bello  
 Camillum quendam præbeas. De Budæo ta-  
 metsi nihil novi prædicas, tamen Hominis ami-  
 cissimi verissimis laudibus sum unice delectatus.  
 Ille vero nunquam Erasmus ab se alienabit,  
 etiam si atroces invectivas in nos scriperit. Tan-

tum abest, ut illa Literarum Velitatio queat animos Gratiarum nodis conjunctissimos divellere. Habes epistolam Laconicam, sic enim soleo pro Lucullianis Coenis Diogenicum reponere Convivium. Verum, hoc non animo, sed occupationibus imputabis. Bene vale. Lovanii, Anno M. D. XIX.

ERASMUS ROTERODAMUS  
PETRO ÆGIDIO s. d.

**I**oannes Frobenius a Fratre tuo numeravit mihi quadringentos coronatos aureos, præterea nihil, quæ quidem Moneta hic damnosa est, damnosior futura si me alio conferam. Sed nunc nulla Pecunia transfertur, nisi lucro Negotiatorum ac damno nostro. De reliquo facies, uti scribis tibi in animo esse. Non alio animo liberavi te deposito, Petre Charissime, nisi ut te sublevarem hac sarcina, quam mihi semper visus es gravatim ferre, nec alioqui satis callens id genus negotiorum: deinde ut nostræ Necesitudinis tranquillitati simul & perpetuitati consulerem: non quod magnopere metuerem, ne per ullam occasionem interiret, quamquam vitæ sunt res omnes Mortalium, nihil autem Amicitia fragilius: verum, non arbitratus sum esse committendum, ut ulla nubecula nostræ Familiaritatis jucunditatem contristaret. Quare te rogo ne tu aliorum interpreteris atque ego feci: Epistolam Stratagematum a multis lectam esse doleo, nam ipse diversum mandaram. Nec erat exitura,

exitura, qualis missa est. Ut maxime vero talis exisset, quam tandem infamiam adspersisset tibi, si Lector didicisset impositum fuisse Naturæ tuæ bonitati ab eo, qui nulli non imponit? Quod negas tibi datum Tertullianum, nisi pro quo numeraris, plane fallit te memoria. Quum apud te pranderem, mox Basileam profecturus, Pseudochetus attulit scriniolum dulciariis refertum, & Tertullianum unum, dissimulans de reliquis. Ejus habendi quum uterque videremini cupidi: nam aderat Nicolaus Sylvaducensis, dolebam unum tantum allatum esse, quo minus liceret utriusque gratificari. Tibi tamen donavi, nisi malletis Codicem inter vos esse communem. Ejus generis fere sunt, quæ respondes ad cæteras querimonias. Quare te rogo, mi Petre, ut omissis istiusmodi neniiis, ac profundæ oblivioni traditis, ea commentemur inter nos, quæ mutuam alant augeantque Benevolentiam. Ego pro virili cavebo, ne quid admittam, cur mihi jure succenseas. Tu vicissim omnes istas suspiciunculas procul ejicias ex animo. Non obsto quo minus Polydoro sis Amicus: nam mihi hactenus animum haudquaquam inimicum præstat, tantum *νηφε νοι μέμνηστητεν*. Utcunque erunt Fata nostra, tu suaviter oblecta te cum tuis, quibus omnibus una tecum precor Felicitatem perpetuam. Datum Basileæ, vigesimo primo April. Anno M. D. XXVI.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Hadriano Barlando s. d.

**P**aludani mortem duabus de causis fero moderatus, Eruditissime Barlande, vel quod ad eam ætatem pervenerat, cui nihil jam in hac vita dulce poterat expectari, vel quod huic Seculo subductus est, in quo optimo cuique pessime est. Porro quod in demortui locum suffectus es, non tam tibi gratulor istud, quicquid est vel Honoris, vel Compendii, quam ipsis Studiis, quibus opera Paludani jam olim haud ita multum accedebat, per te melius expolientur, huic rei natum. Est in quo velim operam tuam mihi commodes, nec tamen studium curamve requirit causa, quam fidem. Sunt Lovanii, qui pluriūnum possunt apud Episcopum, cui scribo: cæterum quam amico in me sint animo nescio ob quosdam illi familiares. Divinas, opinor, quos judicem. Hos velim celatum hoc negotium. Mitto litteras apertas, ut ex his rem intelligas. Eas obsignatas reddes Episcopo Tornacensi, simulque extimulabis, ut quam primum id fiat. Si quid erit, quod per me fieri voles, vicissim impera. Basileæ, 20. April. Anno M. D. XXVI.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Cuidam s.

**F**ili Charissime, Biennium fere est, quod mihi redditus est libellus Hollandice scriptus absque Titulo, qui mihi suspicionem injecit esse Patris tui, cui consulto non respondi, perspiciens ex

ex ea Contentione nihil boni fructus redditurum ad Lectorem, ad me dedecoris non nihil, ad Patrem multo amplius. Ad hæc videbatur ineptum Populi lingua scribenti respondere latine, nihiloque minus ridiculum, quam si quis accusatus apud Plebem, in Senatu respondeat. Auspicetur mecum Amicitiam melioribus avibus, & inveniet Erasnum ad omnia Gratiarum munia promptissimum. Hoc nomine mihi charior erit, quod amplectitur, ut scribis, Græcas Literas. Germano tuo gratulor, gratulor & tibi, non tam Sacerdotium istud honorificum, quam ingenium, quod ex epistola tua deprehendi, sanum suminæque spei. Patri tuo salute in ex me mutuam renuntiabis. Bene vale. Basileæ, tertio Calend. Maja; Anno M.D.XXVI.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Roberto Aldrificio Anglo

S. D.

**S**i memor es nostræ pristinæ Consuetudinis, & si mores antiquos obtines, unum officium mihi præstes velim, quod absque tuo sumptu præstare poteris. In Collegio Regali sunt Opera Senecæ descripta in membranis. Ex his multa subnotaram in Codice meo. Editionem commendaram Germano cuidam, quem habebam pro Amico fidissimo; is absente me pessima fide se gessit in excudendo Opere. Et ne deprehendetur, optimam Exemplaris partem sustulit. Hoc dedecus mihi sarcendum est. Quare te rogo,

Kk 5

Cha-

Charissime Aldrifi, sume Volumen Operum Senecæ a Frobenio excusi, & committe aliquibus bonæ fidei, qui denuo adscribant in margine quæ discrepant. Eum Codicem sic notatum mittito ad Thomam Morum, ut per eum ad me veniat. Libros Naturalium Quæstionum scio editos. Eam collationem ego peragam. Dignus est Seneca hoc studio, debes tu quoque nonnihil Studiis publicis; mihi præter mutuum amorem debes nihil. Reponam, quicquid in hoc negotium impenderis vel ad assēm, & insuper dabo operam, ne prorsus in sterilem fundum istam officii sententiam fecisse videaris. Magnopere velim istuc quam primum fieri. Saluta mihi veteres Sodales, Phaunum, Omfridum, Vachanum, Gerardum, Nicolaum & Joanneum Siburgum Bibliopolas. Tibi sit Pax & Felicitas. Datum Basileæ, Natali Jesu Christi, Anno M. D. XXV.

Sunt isthic paretusta quædam Exemplaria, præsertim in Collegio divi Petri. Adjuva nos una cum Frobenio, si quid potes, non lacesces ingratos officio.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Jacobo Tussano s. d.

**M**agnum Officium est, Eruditissime Tussane, rei bonæ admonuisse quempiam. Itaque gratiam non mediocrem iniit apud me Nicolaus Episcopius, Juvenis mire candidus, quod suis literis significavit, & Eruditionem istam tuam Budeanæ proximam in utraque Lingua, & Candorem quendam propensumque Favorem erga

erga nostra qualiacunque Studia. Nam Eruditio-  
nem his temporibus gratulari licet permultis,  
quum Candorem animi non perinde probes in  
omnibus, quem certe in Longolio nonnunquam  
desidero, quum me semper habuerit Eruditionis  
ingeniique sui tum Fautorem propensissimum,  
tum Præconem haudquaquam malignum. Sed  
undecunque concepit ille hoc in me stomachi,  
doleo Virum ante diem ereptum liberalibus Stu-  
diis, vel ornandis, vel provehendis. Quasi parum  
sit in Orbe Factionum, revixit nova Factio Ci-  
ceronianorum: nimirum quo Budæum & Eras-  
mum submoveant ex Albo Doctorum, & e mani-  
bus Hominum executiant. Ut fateor Ciceroni  
primam in dicendo laudem deberi, ita puto ri-  
diculum, tota vita nihil aliud agere, quam ut Ci-  
ceronem unum exprimas. Quanquam nec hi  
Ciceroniani sunt, qui neminem lectione dignan-  
tur nisi Ciceronem. Faber Stapulensis hac iter  
faciens consternavit animum meum, nuntians  
Budæum, Galliarum Decus, & Studiosorum De-  
licias, fato functum esse: quem Rumorem esse  
vanum vel hinc conjicio, quod Nicolaus Epi-  
scopius, in literis ad me suis hujus mentionem fa-  
ciens, de morte non meminit. Sit hæc epistola,  
quainvis brevis ac negligenter scripta, Chirogra-  
phum inter nos initi Fœderis nunquam inter-  
rumpendi. Nam in præsentia nec plura licuit,  
nec aliter. Saluta mihi Brixium, Beraldum, &  
Franciscum Sylvium, Cyprianum & Badium.  
Mitto ad te præludium Galeni, qui totus Græ-

cus

cus prodiit ex Aldi Officina, versum a nobis;  
conferes & judicabis nuncibi recte divinaveri-  
mus. Nam plane divinandum erat: Nihil adhuc  
vidi depravatus. Bene vale. Datum Basileæ,  
17. Calend. Jun. Anno M. D. XXVI.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Petro Mornyeo, Abbatii Sancti Sulpitii,

s. d.

**D**olorem, quem abitus hinc tuus nobis atti-  
llerat, tua non simplex utilitas abunde mi-  
tigavit. Primum quod mature feliciterque te-  
met incendio subduxeris: Nam hic Pestilentia  
nemini pepercit, diuque circumfiliit ædes no-  
stras, ac tantum non infiliit. Deinde quod in  
celeberrimam Academiam te contuleris, omni-  
que Studiorum genere florentem: neque dubito  
quin toto pectore Disciplinis optimis incum-  
bens, abunde compensaturus sis, si quid antehac  
per ætatis incogitantiam cessatum est, ut ad tuos,  
velut avidus Negotiator, Bonarum Literarum  
mercibus locuples redeas. Habet ista Civitas ut  
Musas, ita & Sirenas, quemadmodum audio.  
Hortarer te, ut, obturatis adversus Sirenum can-  
tus auribus, Musis Virginibus adhæreres, ni  
mihi spectata esset tua singularis Continentia.  
**H**æc scripsi Studiis enectus, & in hoc tantum,  
ut scires te nobis nondum excidisse. Basileæ, ter-  
tio Idus Januarii, Anno M. D. XXVII.

ERAS.

## ERASMUS ROTERODAMVS

Leonardo Casinbroto

S. D.

**O**pinor te jam pridem effugisse τὴν βαλίμιαν,  
de qua proximis literis questus es. Certe  
minus erit tibi metuenda, quum tempus sit pe-  
ponum ac melonum. Accepi epistolium, quod  
scripsit Baro Polonus te nuntio, adesse qui hue  
adornaret iter. Alteras literas, quas prædicat se  
misffe, non accepi. Qui has reddit est Hierony-  
mus Frobenii Filius, Juvenis modestus & candi-  
dus. Venatur istic vetusta Exemplaria seu pre-  
tio, seu precario, seu furto, seu rapto. Hac in  
re tu poteris illi bonam navare operam: quod ut  
facias te majorem in modum rogo. Simul enim  
& Studia juveris, & officium penes Homines  
neutquam ingratos collocaris. Per hunc non  
literas, sed Volumen expecto. Ego totos menses  
duos perdidii, dum epistolas recipio & rescribo.  
Cupio scire quid agas. Si quis istic forte est, qui  
petat Poloniā, committe illi hoc epistolium,  
hanc magna jactura periturum, si fors ita evene-  
rit. Si juvat experiri quanta Felicitas sit versari  
in Officina Typographica, habes quicun agas.  
Bene vale, Leonarde Charissime. Saluta Comi-  
tem Germanum, cui scripsi per Carolum. Bas-  
leæ, Calend. Majas, Anno M. D. XXVI.

ERASMUS ROTERODAMVS  
MARTINO DAVIDI

S. D.

Quan-

**Q**uanquam aliis intentus, tamen hoc opellæ non gravate dedi, vel tibi Hospiti meo: solet enim apud priscos Hospitii Jus vel in primis esse sanctum: vel optimi Viri memoriae, cuius aniimum semper expertus sum unice candidum, meorumque commodorum per cupidum. Si placet Epitaphium, bene habet: si minus, non gravabor recudere. Bene vale. Lovanii, Anno M. D. XXVIII.

Philippus Haneton, clarus auro, hic est Eques Regi Philippo Cæsarique Carolo  
 Cum laude geslit Audientiarium:  
 Sacer Ordo, quem Vellus decorat aureum,  
 Voluit eundem præesse Thesauris suis.  
 Virtus in uno hoc vicit invidiam Viro:  
 Tanta erat in omnes, & Fides, & Comitas,  
 Animique Candor, maximis & infimis  
 Desideratus unice, Cœlum tenet.

### ERASMUS ROTERODAMUS

Hieronymo Ricio s. d.

**Q**uod me supra modum attollis, amori in me tuo parum, ut videtur, sobrio facile condono: quod teipsum plus æquo dejicis, singularem tuam modestiam non possum non amare, Rici Charissime: nec est quod hic Humanitatem meam Mansuetudinemque prædices, quum inhumanissimus futurus sim, si doctum Hominem, eumque literis ad Amicitiam provocantem, non amplectar. Ego me inter doctos Viros non annuno, sed tamen Eruditione præditos semper &

& amavi & veneratus sum: præsertim si acces-  
ferit Humanitatis & Probitatis commendatio,  
quorum utrumque nobis arguunt tuæ literæ.  
Bene vale. Datum Friburgi, 21. die Aprilis, Anno  
M. D. XXIX.

ERASMUS ROTERODAMUS  
ANDREÆ ALCIATO

S. D.

**S**i inter tot Bellonæ Tumultus, incolumis est  
præsidio Musarum Alciatus, est quod ve-  
hementer gaudet. Longolium immatura mor-  
te præreptum sane doleo. Cupiebam illum vel  
Studiis promovendis superesse, utcunque in nos  
fuit animatus. Jacit enim in suis epistolis ne-  
scio quas stomachi in me significationes, nunc  
Moriam taxans, nunc in Batavum Oratorem,  
nescio quid ὑποσκόπτων, quasi ipse natus fu-  
isset Athenis. Ego de Hominis ingenio semper  
candidissime sensi. Quum Lovanii nos inviseret,  
Hominem, quanta per occupationes licuit, Hu-  
manitate tractavi. Nec divinare possum unde  
hoc stomachi in me conceperit: nisi, quod con-  
jecto duas fuisse causas. Quum expetissem secre-  
tum Colloquium, dedi. Exorsus prolixam Fa-  
bulam: quomodo Romæ in Capitolio causam  
dixerit, magno capitinis periculo: hic, opinor, vi-  
sus sum parum attentus, præsertim cum serio  
vultu subinde repeteret, admonens ut ejus Faci-  
noris alicubi meminisse in Scriptis meis.

Respon-

Respondi, ut soleo, in re quæ mihi leviter est cordi. Hoc illum, opinor, male habuit. Deinde nonnihil expostulavit mecum de epistola quadam ipsius inter meas excusa, in qua confert me cum Budæo, in qua mihi placebant omnia præter hoc, quod addit juxta calcem epistolæ: demirari se cur Rex Exterum suo Civi præferendum putarit. Verum hoc, quamvis præter causam dictum, non oblitus, quo minus honoris illius gratia vulgarem epistolam. Quum ostenderet, quæ perperam essent excusa, sic mutavit quædam, ut meliora fuerint, quæ videri volebat depravata. Et in hac re decreverat totum diem insumere, nisi ego pertæsus, pro mea simplicitate sermonem abrupuisse. In te quoque torsit Allegoriam satis mordacem. Sed rem ingeniosam fecit, injecto, quod ajunt, spiculo fugit. Prorsus in illo desidero Candorem. Nam gloriæ cupiditatem ignoscerem ætati, nisi fuisset immodica, sed hoc vitii vel correxisset, vel certe mitigasset ætas. Toto triduo, quo mecum egit, nunquam vidi Hominem vel leviter subridenter, ne in Conviviis quidem. Quæ res mihi sane non mediocri fuit admirationi. Et tamen in epistolis nonnunquam conatur esse festivus, ne parum videatur Ciceronianus, quanquam invita, sicuti videtur, Minerva. Exorta est nova Secta Ciceronianorum, quæ mihi videtur non minus fervore isthinc, quam apud nos Lutheranorum. Posthac non licebit Episcopos appellare Patres Reverendos, nec in calce literarum

rum scribere Annum a Christo nato, quod id  
nusquam faciat Cicero. Quid autem ineptius,  
quam toto Seculo novato, Religione, Imperiis,  
Magistratibus, Locorum vocabulis, Ædificiis,  
Cultu, Moribus, non aliter audere loqui, quam  
loquutus est Cicero? Si reviviseret ipse Cicero,  
rideret hoc Ciceronianorum Genus. Verum de  
his alias ridebimus. Cupio scire quid agas, quod,  
opinor, scribes Bonifacio, tui nominis studiosissi-  
mo. Bene vale. Datum Basileæ, M. D. XXIX.

E R A S M U S   R O T E R O D A M U S  
BERNARDO, Episcopo Tridentino,

S. D.

**R**everende Præful. Quoniam existimem me  
non minus debere tibi, quoniam si omnia  
accepissem, teneremque, quæ multa pariter ac  
magna, tua benignissima Voluntas ultro nihil  
promerenti defert, quumque tu singularem istum  
erga me Favorem indies novis cumules officiis,  
non magnopere sollicitus sum, quomodo tibi  
gratias agam: id enim nimis est vulgare, ma-  
lim occasione mihi dari, qua Specimen ali-  
quod edere liceat grati in te animi. Eam si ne-  
que tu dederis, neque Fortuna objecerit, ipse ta-  
men alicunde accipiam, idque, ut spero, brevi. In-  
terim te rogo ut Illustrissimi Principis erga me  
studium ac benevolentiam alere non graveris, at-  
que identidem excitare. Qui has reddit, Juve-  
nis est notæ spectatæque Probitatis; causam habet  
justissimam, quo certior mihi spes est, Tuam Am-

L 1

pli-

plitudinem illi non defuturam. Quid rei sit,  
non prius audies quam tibi narraro Fabulam,  
quam nuper apud Senecam haudquaquam pes-  
sumæ fidei Autorem legi. Fortassis non in hac  
tantum Causa profuerit meminisse. Philippus,  
Macedonum Rex, Alexandri Magni Pater, sed  
veris animi Dotibus utcunque laudato Filio  
major, inter bonos Principes numeratur, sed  
nulla re celebrior, quam æquitate civilitateque  
Morum. Is habebat Militem manu fortem, sed  
animo pravum, cuius in multis Expeditioni-  
bus utilem expertus operam, subinde ex præda  
aliquid illi Virtutis causa donarat, & Hominem  
venalis animæ crebris autoramentis accenderat  
ad rapinas, non aliter quam ex Fera Canibus ali-  
quid extortum objicitur, quo sint aciores in  
Venatu. Hunc Militem, forte Navi fracta, in Pos-  
sessionem cuiusdam Macedonis Tempestas im-  
pulerat. Quod ubi nuntiatum est Macedoni,  
collegit Hominem, refocillavit semianime, in  
multisque diebus summa cum Humanitate tra-  
ctavit. Postremo discedentem instruxit Viatico.  
Interea Miles crebro dicebat Hospiti suo, refe-  
ram tibi gratiam, videre tantum mihi contin-  
gat Imperatorem meum. Et quod pollicitus  
est, præsttit, venit ad Regem, naufragium ex-  
posuit, auxilium tacuit. Ac protinus petit a Re-  
ge Prædium illius Macedonis, a quo receptus,  
recreatus, sanatus, & Viatico adjutus fuerat:  
commentus est nonnihil causæ adversus Homi-  
nem bene meritum. Hoc erat referre gratiam  
pro-

promissam. Favebat Rex strenuo Militi, miserebatur naufragi, credidit ingrato. Quid multa? Donavit quod petebatur. His modis peccant & æqui Principes, præsertim in Bello. Non absolvam Narrationem, nisi recitaro Sententias aliquot, quas hoc loco interserit Seneca. Multa, inquit, Reges, in Bello præsertim, opertis oculis donant. Non sufficit Homo justus armatis cupiditatibus. Non potest quisquam eodem tempore & bonum Virum, & bonum Ducem agere. Quomodo tot millia Hominum insatiabilia fatiabuntur? Quid habebunt, si suum quisque habuerit? Expulsus Macedo non tulit tacite Hospitis ingratissimi Persidiam. Regi per literas breves, sed liberas, rem omnem significat. At Rex optimus id factum nihilo levius tulit, quam is qui fuerat expulsus: nihilque moratus, Panfaniæ, id erat Militi nomen, mandat, ut e vestigio restituat Hominem in pristinam Possessionem. Quid præmii debebatur impio Militi, ingrato Hospiti, avidissimo Naufrago, impudenti Postulatori? Inscribi oportuit fronti illius stigmata, ingratum Hospitem testantia. Fortassis hoc exemplum nostrum omnino simile est huic negotio, sed tamen hinc admonendus est optimus Princeps Ferdinandus, ne quis ad consimilem modum ipsius Bonitati imponat. Justissimum est animadverti in eos, qui semet addixerunt impietati, quanquam qui leviter afflati sunt, magis sanandos censeo, quam puniendos. Cæterum hic Prudentia Principis viglet oportet, ne sub

prætextu justitiae, fiat injuria innocentibus. Multi exorientur, qui sub titulo Pietatis studebunt ulcisci, quibus male volunt, plures inhiant Prædæ, nec effugiet calumniam quisquis habet aliquid. Tota Basilea novit hunc Juvenem perpetuo non solum alienum fuisse ab his Factionibus, quod tamen hic rarum ac mirum est, sed semper aversatum fuisse hoc Hominum genus. Et tamen duobus Feudis spoliatur. Reliqua ex ipso cognosces. Non metuit sub quocunque Judice causam suam dicere. Tanta est innocentis animi fiducia. Reliqua non gravaberis vel ex Clarissimo Viro Joanne Fabro, vel ex ipso cognoscere. Amplitudinem Tuam incolumem servet Jesus Opt. Max. Basileæ, decimo sexto die Aprilis, Anno M. D. XXVI.

ERASMUS ROTERODAMUS FRANCISCO  
MOLINO s. v.

**E**xtimulor quorundam literis, ut aliquo Scripto gratuler Christianissimo Regi incolumem ad suos redditum. Mihi quidem animus est promptissimus ad Regi tam amanter de me sentienti quacunque occasione gratificandum. Cæterum nondum satis constat consilii ratio, num expeditat hoc argumentum attingere, quod vix tractari poterit, sic ut neminem offendas: deinde subdubito, quam hoc meum officium sit gratum futurum animo Regio. Quod si Tua Prudentia censet esse suscipiendum, cautus incedam per ignes, suppositos cine-  
ri

ri doloso. Sed prius illud a vobis curatum velim, ut vel epistola de Summa rerum edocear: non enim tutum est, quod populi Rumusculis jactatur, in Literas mittere. Si istic hic adest Hilarius Bertulphus, poteris eum ad me mittere, relaturum ad vos Libellum etiam formulis excusum, si videbitur. Nam id mihi promptius ac facilius, quam Antigraphum parare manu descriptum. Hoc quo fiet maturius, futurum est gratius. Ignoscet, in praesentia non vacabat pluribus tecum agere, cui precor omnem Felicitatem. Datum Basileæ, decimo septimo Calend. Junii, Anno M. D. XXVI.

ERASMUS ROTERODAMUS JOANNI  
LOTZERO s. d.

**N**on est ejusdem Hominis pudere simul, & amare. Amor itaque Studiorum, Vir eximie, nobis hanc suppeditat audaciam, ut licet nulla tibi Consuetudine noti, nullis officiis commendati, tamen non dubitaverimus petacibus literis te compellare. Auxit hanc fiduciam tua singularis Humanitas, mihi quum a multis, tum præcipue ab Hieronymo Frobenio prædicata. Quid sit rei, paucis aperiam. Habemus varias Eruditorum Annotationes in Quintilianum, & accepimus, tibi Codicem esse pervetustum, cuius si nobis ad paucos dies voles facere copiam, speramus futurum, ut in Autore tam probo Studiosi nihil sint desideraturi, & tuus Thesaurus incolunis & illibatus ad te redibit cum fœnore.

Ad hæc curabitur ne Posteritas etiam ignoret,  
cui hoc Beneficii debeat, quemadmodum vides  
a nobis factum in Præfatione castigati nuper Se-  
necæ. Habes & Marcellum Medicum, quem  
utinam adjungas Quintiliano. Prohibet cum tua  
summa laude, nec ex ullius Officina poterit hone-  
stius quam ex Frobeniana. Si quid præterea  
desiderabis a nobis officii, dabimus operam, ut  
intelligas tibi rem esse cum Hominibus minime in-  
gratis. Bene vale, Medicorum Eruditissime. Ba-  
silæ, postridie Nonas Martii, Anno Domini  
M. D. XXIX.

ERASMUS ROTERODAMUS  
JOANNI BRISGOICO,  
Theologæ Professori,

S. D.

**P**ro singulari Humanitate tua facis mihi Horti  
tui copiam, in quo nonnunquam recreem  
corpus & animum Studiis Curisque fatigatum:  
ego vicissim pro mea Gratitudine, facio tibi mei  
Horti copiam, in quo temet oblectes, si quan-  
do voles animum a Studiis seriis avocare ad Li-  
teras amœniores. Tuo Horto sic fruar, ut per  
me quam minimo fiat deterior. Nihil enim  
aliud quam oculos pascam. Tu in Horto decer-  
pes quæ voles, hoc potiore tuo, quod non mi-  
nus vernat hybernis mensibus quam æstivis, si  
quid tamen omnino gignit bonæ aut amœnæ  
frugis. Suspicabar te hanc Editionem non ha-  
bere, multo superioribus locupletiorem. Malue-  
rain

ram aliquid' mittere gratius, si scissem, quid tibi  
magis arrideret. Bene vale. Ex meo Museo,  
pridie Nonas Majas, Anno M.D.XXIX.

**E R A S M U S   R O T E R O D A M U S**  
**GUILHELMO BUDÆO**

S. D.

**M**agnam profecto voluptatem mihi nun-  
tiarunt Jacobi Tossani literæ, ex qui-  
bus cognovi, te, quod ego semper ut faceres  
optavi, tandem aggressum: videlicet in lucem  
dare Græcæ Latinæque Linguæ Observations,  
quæ tam accurata, tamque diutina probatissi-  
morum Autorum lectione collectæ, non dubito  
quin plurimum utilitatis allaturæ sint utriusque  
Literaturæ Studiosis; interim & Januim Lascarem  
isthic adesse gaudeo, quem tamen optarim gra-  
tiore compede vincitum apud vos detineri. Au-  
dio jam ad Senium vergenti rem esse cum Poda-  
gra. Emisimus jam quartum Nōvum Testa-  
mentum cum Annotationibus, in quibus rele-  
gendis comperi me locis compluribus honorifi-  
centissimam tui facere mentionem. Scio tibi  
plus deberi laudis, nec ignoro nihil opus no-  
stram Lucernulam in tuæ gloriæ Solem intulisse.  
Denique non inficiabor aliquid lucis accessisse  
meis Lucubrationibus ex tui nominis splen-  
dore. Quare non est quod mutuum officium  
abs te reposcam, optari tamen ut in tuis Lucu-  
brationibus, præsertim iis, quas cum primis im-  
mortales maximeque manibus Hominum te-

rendas auguraris, admisceas non tam laudein  
mei, quam Benevolentis in Erasimum animi si-  
gnificationem. Non enim desunt qui te parum  
candide de nobis sentire suspicentur. Hanc su-  
spicionem penitus abolitam esse velim, non tan-  
tum nostra causa, sed multo magis publico Stu-  
diorum nomine, ad quæ provehenda magnopere  
refert, ut qui huic negotio navant operam, in-  
ter se mutua Benevolentia fœderentur. Audio  
Christianissimum Regem impense favere rectiori-  
bus Studiis, quem si currentem, ut ajunt, extimu-  
letis, confido rem felicissime cessuram. Crede  
mihi, non alia res magis offuscat istius Academiæ  
gloriam, quam quod Juventus, vix gustata Gram-  
matica, rapitur ad Sophisticen, easque Discipli-  
nas, quibus armantur ad Palæstram Scholasti-  
cam. Sunt illæ quidem ad judicandum conduci-  
biles, at Linguarum cognitio simpliciter est ne-  
cessaria. Absque Dialectices peritia multi recte  
judicant, citra Sermonis cognitionem nemo po-  
test vel intelligere quod audit, aut legit. Initio  
reclamabunt nonnulli; verum is tumultus mox  
confilesctet. Juventutem omne[m] habemus pro-  
nam. Seniores, qui publicitus obstreput, clam  
affectionant hanc accessionem Studiorum. Decla-  
rant hoc Hogstrati Libelli, qui prodeunt in-  
dies cultiores, testantur & Sutoris & Beddæ Scri-  
pta. Quin & ipse Clithoveus aliquanto politius  
scribit solito. Neque negligit Stili munditiam  
Latomus. Longolius ante diem nobis ereptus,  
præclaram opinionem reliquit apud Italos, quod  
fuerit

fuerit Ciceronianus. Et tamen neminem ex illis prodire video, qui vere referat Ciceronem, nisi bractea duntaxat orationis, ac verbulis aliquot selectis. Qui mihi totum Ciceronis pectus refert, is vere Ciceronianus est. Est Romæ Chorus Eruditorum, qui vix ferunt nomen Germanorum, aut Gallorum. Habent Coryphaeum & Incitatem tibi non ignotum, cuius animo, ut nulla satis est gloria, ita non fert præter ipsum laudari quenquam nec Deorum, nec Hominum. Hos habeo ob hoc etiam iniquiores, quod in epistolis ad te meis alicubi scripserim, tibi certamen esse cum Herinolais & Barbaris, atque adeo Pliniis. Verum hos, quo minus habemus æquos, hoc arctioribus Gratiarum vinculis inter nos jungi decet. Bene vale. Basileæ, decimo Calend. April. Anno M. D. XXVI.

## ERASMUS ROTTERODAMUS POLYDORO VERGILIO

s. d.

**Q**uo non penetrant linguae fascinatrices? Quas nos, mi Polydore, non alia ratione melius ulcisci possumus, quam ut Amicitiam, quam isti rescissam vellent, vinculis quam arctissimis adstringamus. Videbis Homilias tibi dicatas, nunc rursus excusas cum dignitate, quo magis etiam urantur, quos cruciat nostra Concordia. Quod sedulo agis εἰρηνοποιὸν inter Leum & me, pro isthoc animo Christus tibi referet promissam Beatitudinem. At præscribit ille pa-

rum æquas Pacis conditiones. Ostendat ille, quæ perperam scripserim in ipsum, ego vicissim ostendam, quæ ille perperam scripsit in me. Tum post mutuam Palinodiam coëat Amicitia. Verum, hoc esset non sarcire gratiam, sed renovare similitatem. Optimum fuerit μὴ μνησικαῖται, sed illa Græcorum ἀμύνσια prorsus omnium veterum injuriarum abolere memoriam, ac Scripto quopiam amico testari, positam esse similitatem, & animos Christiana junctos Concordia, quod factum est inter Jacobum Fabrum ac me. Quod mihi cum tot portentis dimicandum est, agnosco feroque Fatum meum. Cum summis mihi pulchre convenit. Clemens Septimus bis jam misit ducentos florenos, nihil non pollicens. Cæsar nuper ad me scripsit amantissime cuin suo Cancellario. Regum, Cardinalium, Ducum, Episcoporum literis honorificentissime scriptis habeo plena scrinia. A multis veniunt & munera nequaquam vulgaria. A Tenebrionibus ve-  
lut a cimicibus ac pediculis mordeor. Nam his nec Cæsar, nec Pontifex potest imponere silentium. Tuti sunt suis tenebris. Sed nihil aliud efficiunt, nisi quod traducunt seipso. Nos rectum clavum tenebimus, usque ad extremum vitæ terminum: de eventu viderit Christus, hujus Fabulae Choragus. De Libello excudendo egi cum Frobenio, respondet se paratissimum, ea lege qua excudit Adagia. Bene vale, Patrone Magne. Basileæ, Nono Calend. April. Anno M. D. XXVII.

ERASMUS ROTERODAMUS  
ROBERTO ALDRISIO

S. D.

**S**ub Quadragesimam deimū redditus est nobis tuus Seneca. Non erat necesse mittere Codicem, poterant omnia describi in Schedis. Bibliophylaces Collegii Regalis dederunt tibi verba. Habent in minore Bibliotheca aliud Volumen in membranis descriptum: ut agnoscas, habebat Sententias per ordinem literarum digestas, & in medio Sententiam eandem disticho, sed indoctissimo comprehensam. Inerant & initiales literæ coloribus & auro depictæ. Ex Libro de Beata Vita plurimum emendaram. Si vacaret, posses ex eo notare quæ dissentiant, notato per numerum versu Editionis Frobenianæ, & adscripta Lectione, quam habet Codex, reliqua per nos fierent. Doleo tibi tantum laboris suscepturnon magno fructu. Sciebam Codicem, qui habebat Libros epistolarum, nihil habere frugis. Non ausim amplius abuti tua bonitate, si tamen posses hoc tedium decoquere, faceres mihi rem magnopere gratiam, nec penes ingratum Hominem collocaris officium, si viam indicaris reponendæ gratiæ. Thomæ Moro te commendavi non indiligenter. De quorundam ingratitudine vetus est querela, Regium est autem audire male, quum feceris bene. Posteritas magis agnoscat, quanquam nunc etiam agnoscunt optimi quique, Cæsar, Ferdinandus,

Pon-

Pontifex, Cardinales, Reges, Duces, Episcopi, & literis honorificentissime scriptis, & muneribus opimis. Tenebriones modo quidam oblatrant, nihil profecturi, nisi quod sibi malum accersunt. Res alium habebit exitum quam credunt multi. Sed quicunque erit exitus, nos bonam ac fidelem operam Literis & Christo navabimus. Bene vale. Basileæ, Nono Calend. April. Anno M. D. XXVII.

ERASMUS ROTERODAMUS  
FERICO CARONDILETO

S. D.

**O**rnatissime Vir, quam propenso favore sit in me R. D. Panormitanus Frater tuus, ex complurium Amicorum literis cognovi. Verum, plus illic valet quorundam dolosa improbitas quam paucorum bonitas. Ex tuis literis, amantissime scriptis, multum accepi solatii. Sed hæc Valetudo me reddit inutilem ad Hominum Convictum, & pudet etiam me, quod tuis Ædibus ægrotatione mea tantum attulerim molestiæ. Calculus versus est in aliud Malum, sed immedicabilius. Nota Mala levius feruntur: hoc est eo molestius quod ignotum. Deinde Pistriño Typographicò sic alligatus sum, ut pedem discedere non liceat. Frobenius rursus orsus est Novum Testamentum. Si quid ista Bibliotheca haberet veterum Exemplarium, præsertim in Evangelicis & Apostolicis Epistolis, pergratum facies, si miseris. Dabitur hoc pacto occasio, ce-

lebrandi & tui Collegii, & tui proprie nominis. Nunc illud quæso fac ut abs te impetrem. Habebam tria Vasa Vini Burgundiaci, ea rebar in hanc Hyemein suffectura, quorum unum, unde bibo, tendit ad vappam, alterum, dum aperio, comperio prorsus in vappam versum. Servabis Erasimum tuum, si huc vel pusillum Vasculum miseris Vini subrubri, non ardentis, sed generosi, veteris tamen. Hoc negotium dedi nostro Betricio, qui meo sumptu curabit huc advehendum. Si quid erit, in quo vicissim possim tibi gratificari, nihil suum recusaturus. Deus te servet in columem. Datum Basileæ, pridie Natalis Virginis Matris, Anno M. D. XXVI.

ERASMUS ROTERODAMUS  
PETRO ÆGIDIO

S. D.

Juvenis ille, qui petiit abs te tuas ad me literas, ut rem certam nuntiavit Corneliam tuam in fata concessisse. Non libuit illi credere, quantumlibet affirmanti rem tam tristem. Si verum est, non dubito quin repetiturus sis Matrimonium, nec dissuadeo, illud tamen te rogo, si modo tantum permittis Erasmo, ut in hoc intervallo te serves alienum ab omnibus ineptiis Adolescentiæ. Novi tuum ingenium, Juvenis es, fateor. Nondum ista magnopere dedecent ætatem istam, tametsi non ita multum abes ab anno quadragesimo, sed cogita, quam multorum Liberorum sis Pater, & quæ Mo-

Mores postulet ista Muneris publici Dignitas, præsertim, cum, ni fallor, Deus te majoribus negotiis destinarit. Hic ego, ne quid dissimilem, meam quoque rem ago. Malim mihi diuidium mearum rerum perire quam tales Amicum. Et video quid acciderit. N. posteaquam ex Marito Procul esse cœpit, sic immutatus est, ut non credas eundem esse, nec Amicitiae veteris, nec Studiorum meminit. De Hieronymi Libris concinnandis & Archiepiscopo Cantuariensi transmittendis, opinor, tibi fuisse curæ. Neque de linteis, quæ mittit Dilfus, quæque tu mercatus es, quicquam huc allatum est, expectamus nunc per Fratrem & hæc, & Prudentium, & Sene-cam, & quod supererat ratiunculæ. Qui has reddit, est is, qui me pinxit, ejus commendatione te non gravabo, quanquam est insignis Artifex. Si cupiet visere Quintinum, nec tibi vacabit Hominem adducere, poteris per famulum com-monstrare Domum. Hic frigent Artes, petit Angliam ut corradat aliquot Angelatos, per eum poteris quæ voles scribere. Bene vale. Basileæ, quarto Calendas Septembr. Anno M. D. XXVI. Saluta D. Cantorem.

ERASMUS Roterodamus  
Francisco Asulano.

s. d.

**N**ihil jam diu nobis accidit, Franciscæ Chari-stine, jucundius, quam quod totus Galenus

lenus ad nos venit, ex tua Munificentia. Autor per se gratiosus est, mihi vero peculiari quodam vel sensu vel judicio adamatus: nec omnino falsum est, quod Philosophus ille dixit: Dulcissimam esse rem, accipere: tamen hic mihi plus voluptatis attulit animus in me tuus, etiamnum memor veteris Amicitiae, quam vel donum ipsum, vel Autoris gratia. Aut me fallit animi præsagium, aut hæc Editio conciliabit tibi non parum & nominis & compendii. Æmulos non est quod verear, ut sit hic qui velit, non est qui possit. Utinam detur occasio referendæ gratiæ, nam reponere malim quam agere. Interim adnitar, ut quicquid e tua prodit Officina, quamquam nihil non est gratiolum apud Viros eruditos, fiat gratiolus. Felix Juventus! quæ in hoc Séculum incidit. Nam repubescendi votum mihi sit ἀνεμόλιον. Potes & meum nomen isthic reddere vendibilius, si Lucubrationes meas aliquot pias præsertim tua digneris Officina. Quales sunt: de Misericordia Domini: de Modo orandi: Commentarioli in quatuor Psalmos: Paraphrases in Novum Testamentum. Paraphrases tamen te nolim attingere, nisi misero quædam loca casligata. Mittam autem simul atque cognovero tuum animum. Patri, Fratri, reliquæque Familiæ multam ex me salutem dices. Bene vale. Basileæ, tertio Nonas Septembris, Anno M. D. XXVI.

ERASMUS ROTERODAMUS HIEROSLAO  
A LASCO, Palatino Syradiensi,  
Polono, s. d.

**V**ir Clarissime, Matrimonium Christianum, extremam ingenioli nostri fœturam, mitto, non Fratri tuo, qui Cœlibatum amplexus est, sed tibi, qui das operam, ne pereat humanae Genus: nec tam ob id mitto, quo te doceam quomodo debeas uti Matrimonio, nihil enim addubito quin in eo sanctissime verseris: quam ut nos admoneas, si quid illic prætermissum est, aut alter tractatuin quam oportuit. Nam tibi fortassis non minus ineptire videbor, qui de Matrimonio præcipiam, quam Philosophus ille visus est insanire Hannibali, qui de Bello disputabat, quuin bello nunquam interfuisset. Expeſtabimus igitur tuum judicium, priusquam adornemus alteram Editionem. Diutius tecum fabulari cupientem revocant Occupationes. Precor tibi tuisque perpetuam Felicitatem. Datum Basileæ, postridie Natalis Mariæ Virginis, Anno a Christo nato M. D. XXVI.

ERASMUS ROTEROD. CHRISTOPHORO  
A SCHYDLOVIEZ, Regni  
Poloniæ Cancellario,

s. d.

**N**unc demum mihi mea Lingua minus displicere cœpit, posteaquam video tibi tantopere placuisse. Quod quidem, si Vir omni Virtutum & Ornamentorum genere absolutus, tan-

tatitummodo literis testificatus fuisses, erat ab  
unde satisfactum votis meis: nunc non hoc fuit  
contenta tua singularis Humanitas, epistolæ te-  
stimonium, munierum insignium testimonio con-  
firmavit. Redditum enim est bona fide Horo-  
logium aureum; Cochleare aureum, & Fusci-  
nula aurea. Mihi congruebant lutea, sed hæc  
erant digna tuo vere aureo ingenio moribusque  
candidissimis. Habeo quod ostentem; nam erunt  
fortassis, qui causabuntur vulgare jam esse Li-  
teris efferre quemlibet: at vulgare non est, talia  
mittere munera, pro quibus, Vir Clarissime, quum,  
ut debo, maximam habeam gratiam, tamen non  
minorem habeo, quod Autoritas tua nomen no-  
strum adversus quorundam male linguacium ca-  
lumnias defenderit. Quo tamen officio non me  
solum tibi devinxisti, sed omnes etiam Bonarum  
Literarum Studiosos. Adversus has belligera-  
tur, qui male volunt Erasmo. Tuis auspiciis  
Lingua nostra fuit felix. Frobenius felicissime  
vendidit, quum jam ter excuderit. Et interim  
a multis aliis fuit excusa. Hoc non fuisset fa-  
ctum, nisi multis placuisse. Bene vale. Da-  
tum Basileæ, postridie Natalis Virginis Matris,  
Anno M. D. XXVI.

ERASMUS ROTER. JACOBO PISONI,  
Præposito, &c. Hungaro,

S. D.

Næ tu, Doctissime Piso, morem antiquum  
obtines, candidus in Amiculum, nisi mi-  
seri-

M m

sericors appellari mavis. Accepi duas Epistolas tuas, cum duobus numismatibus, aureo Gratianni Cæsaris effigiem referente, argenteo Herculis. Gratum animi tui symbolum, sed epistolis nihil accidere potuit suavius, jucundius, mellitus. Eas frequenter apud Amiculos ac mecum relego, quoties libet tedium ex animo expuere, quod in tantis laboribus, tantoque rerum tumultu necesse est interdum obrepere, præsertim adversa Valetudine, ne quid incusem Senectam. De tuo in me studio nihil dubitabam, etiamsi nihil scribebas, non potest Piso nisi Pisonem agere. Attamen gaudeo me doceri literis tuis, quot quantisque nominibus tibi debeam, cui debeo libenter. Objurgat me frequenter suis literis Velius, quod cessem aliquid nuncupare Episcopo Olmicensi, & post dicatum Plinium exigit Libellum meo Marte confectum. Edidi nunc Institutionem Matrimonii: verum, hoc argumentum ante annum a me stipulata fuerat Regina Britanniae. Est animus in posterum a talibus argumentis in totum abstinere. Forsitan non conveniret tam sancto Præfuli dicare profanum argumentum. Nactus sum aliquot libros Chrysostomi Græcos, ex his versos illi dicabo nonnullos, si Velius censuerit. Irenæum emisi, sed per Joannem Fabrum, qui suppeditavit Exemplar, non licuit alii dicere quam Episcopo Tridentino. Quare monebis Veliū, ut me doceat quid existimet illi gratissimum, quo simul & ipsi toties me provocanti, & Fratris opti-

optimi memoriæ satisfaciām, quod ego certe cū-  
pio vehementer. Quod si tales Libellos boni  
consulet, quales sunt: de Modo orandi, aut de  
Misericordiis Domini, deligetur aliquod argu-  
mentum quam minime invidiosum. Sin Græca  
mavult, dabimus Volumen mediocre. Doleo  
res apud vos esse turbatas, eoque suū brevior. Ad  
reliquas literarum tuarum partes, ubi dabitur cer-  
tus Tabellio, simulque cognovero ubi terrarum  
agras, respondebo. Ursinum Amicum tui simili-  
limum ex me salutabis diligenter. Et fortassis  
hæ Nundinæ Francfordienses adferent a vobis ali-  
quid literarum. Bene vale. Basileæ, quinto  
Idus Septemb. Anno M. D. XXVI.

SERENISSIMO PRINCIPI FERDINANDO,  
Pannoniæ Bohemiæque Regi, &c.  
Erasmus Roterodamus

S. D.

**S**i Principis sic de me meriti, sic in me affecti,  
successibus non toto pectore gratularer, Fer-  
dinande Rex inclyte, merito dicar Homo Ho-  
mītūm ingratissimus: rursus si illius Prosperitas  
mihi non esset vehementer jucunda, a cuius Fe-  
licitate magna ex parte pendet totius Rei Chri-  
stianæ Felicitas, plus quam impius haberī debe-  
am. Quanquam enim omnis humana Felicitas  
ab Autore Deo proficiat, tamen plerunque  
per bonos Principes recreat, sublevatque Populum  
suū propitius, per malos affigit offensus. Hic  
igitur nihil promereor laudis, si facio quod non

fecisse summum scelus sit. Hoc mihi dolet, quod Celsitudini Tuæ, quid ultra vota propensamque animi voluntatem præstare queam, non videam: nimirum hac ætate, atque hac etiam valetudine, quæ per se onus esset intolerabile, etiamsi Senectutis incommodum non accederet. Certe quicquid his ingenii virtutinque reliquiis præstari poterit, id constanter ad extremum usque vitæ diem præstaturus sum, opitulante Deo, qui pro sua Bonitate, & fine nobis, Majestatis tuæ res actionesque in Christianæ Ditionis commodum & Ecclesiæ Concordiam prosperare dignabitur: id quod nos votis ardentissimis optare non definimus. Pro Favore, quem per literas amantissime scriptas defers, quanquam tu quidem hīc nihil facis novi, gratiam habeo maximam. Basileæ, 18. Cal. Augusti, Anno M. D. XXVII.

ERASMUS ROTERODAMUS QUIRINO  
TALESIO Suo

S. D.

**C**uravimus ut has literas reperires apud Mar-  
cum Laurinum ex Anglia reversus, in qua  
non dubito, quin ea fide, studio curaque rem  
gefferis, ut & tui similis fueris, Quirine Char-  
rissime, & meæ de te fiduciæ responderis. Fal-  
lere Præceptorem turpe est, sed turpius falle-  
re Amicum fidentem. Scis ut tibi nihil un-  
quam apud me, nec occlusum fuerit, nec obsi-  
gnatum, ne earum quidem rerum, quas alii non  
unis

unis clavibus a Famulorum, imo non a Famulorum tantum, verum etiam a Filiorum oculis submovent. Facile conjecto te diutius hæsisse apud Britannos, novi quam ubique contator sit Montjoius meus, non tantum in similibus negotiis, & quam ægre dimittat Clientem sumimus ille Purpuratus: *οὐ δεῖ μὲν θεωραχεῖν.* Verum eam moram fac ut nunc celeritate sarcias, nisi si quid extiterit novæ rei quod te remoretur in Flandria. Jamdudum enim & mea Studia, & Domus in te inclinata recumbens, desiderant tuam præsentiam. Ne tamen usque adeo properes ad nos, ut non amanter simul, ac diligenter salutes Amicorum meorum vetustissimum Antonium Clavam, candidissimum Gulielmum a Vala, fortissimum Patronum Jacobum a Prato, quem tamen, ut opinor, apud Anglos reperiisti. Paucioribus enim scripsi: partim quod nihil rerum mearum te latet: partim quod considerem te mihi apud Amicos epistolæ quamlibet loquacis loco futurum. Hollandiam interea non secus ac littus Sirenum fugito. Difficile est lotum semel gustata relinquare. De pensione Curtracensi diligenter explorâ rem omnem, & quocunque consilium tibi tempus & occasio suggerit, sequitor. Negotii Summam tuæ Fidei Prudentiæque permitto. Illud cave, ne præter Viaticum necessarium, quicquam Pecuniarum, aut Annulorum deferas per viam, sed quo tutius ad nos redeas, deponito tuas quoque, si quas habebis, Pecunias

apud eos, quos designavi, nisi forte mihi quoque diffidis. Non sum Trapezita; recipies a nobis Summam integrum minimeque arrofam solita fide, tibique jam sæpen numero perspecta. Bene vale. Datum Basileæ, quarto Idus Martias, An. M. D. XXVIII.

S. P. N. ADRIANO SEXTO

Designato Pontifici Erasini Rot.

S. D.

**A**lius hic, Beatissime Pater, universam Rhetorices supellecstilem in hoc de-  
promeret, ut tibi Dignitatem istam, qua major  
in terris Homini non potest contingere, gratu-  
laretur. Ego vero non sumam ullam hac in re  
operam, ut qui certo sciam, quam ægre Munus  
hoc præter omnem expectationem delatum  
susceperis. Et fortassis ineptus videar, si inde  
tibi gratuler, unde tu suspiras & ingemiscis,  
non ignarus, quam difficile sit istam Provin-  
ciam sic obire, ut Functionem tuam approbes  
Principi Christo, cui mox omnium Gestorum  
reddenda erit ratio: præfertum his tempori-  
bus, quibus totum Christianæ Ditionis Corpus,  
utraque sui parte, tantis Malis laborat, etiam si  
non accederent Turcarum atroces minæ, atque  
adeo jam non minæ tantum. Sed quo minus  
est causæ, cur privatim gratulemur tibi, hoc  
impensis publice gratulainur Orbi Christia-  
no. Nam hæc rerum humanarum Tempestas  
talem

talem omnino requirebat Nauclerum. Multis enim argumentis in spem vocamur, futurum ut provinciam divinitus delegatam non alii geras quam Jesu Christo, & hujus Gregi. Qui utinam promereatur, ut tuos sanctissimos conatus bene fortunare dignetur, sine cuius Favore inanis est omnis conatus Mortalium. Studii erga te mei, ceu pignus quoddam, nunc mitto Arnobium, qui tum forte erat in manibus, quum huc nuntius omnium lætissimus adferretur, Adrianum Sextum rerum gubernaculis admotum, uberior ac plenius idem declaraturus, ubi se dederit opportunitas. Mihi probe nota est, & meæ Conscientiæ sinceritas, & tui ingenii prudens Æquitas. Sed tamen quoniam video, quantum hoc Seculo possunt malæ Linguae, visum est Tuam Sanctitatem adversus harum virulentiam, velut antidoto quopiam, præmunire: ut si quid delatum fuerit de Erasmo, aut plane rejiciat, aut si quid dubitabit, suspendat Sententiam, donec meam acceperit Defensionem. Nihil enim addubito, quin apud te Judicem æquissimum sum istorum calumniis abunde responsurus. Hoc quum scirem te tua sponte facturum, tamen quorundam improbitas, qui nusquam non cessant, fecit, ut, si non rogarem, certe submonerem. Hactenus in re Christiana animum præstigi dignum Orthodoxo, eundem præstaturus usque ad extremum vitæ diem. Si neutri Parti causam meam probare potero, certe Christo conscientiam hanc confido me probaturum. Sit hoc non e

Tripode, quod ajunt, sed ex sinceri pectoris Ora-  
culo dictum. Hujus epistolæ brevitatem pensabit  
prolixior in Arnobium Præfatio. S. T. diu nobis  
seruet omnium Servator Dominus Iesu, qui  
tibi suas vices gerenti semper adesse dignetur.  
Basileæ, i. Aug. Anno M.D. XXII.

Hæc epistola missa est priore diplomate misso  
quidem, sed nondum redditio:

**ERASMUS ROTERODAMUS**  
**JOANNI SUCQUETO** s. v.

**D**estituit nos Antonius Sucquetus Frater  
tuus, Vir Ornatus, Patronus Erasmi  
candidissimus, ac Bonarum Literarum invictissi-  
mus Propugnator, cuius mortem, nobis alioqui  
multis nominibus acerbissimam, ob id aliquanto  
moderatius ferimus, quod confidimus te pro tua  
Humanitate in Germani vices successurum. Id  
ut faceres te etiam atque etiam rogarem, nisi  
mihi persuasum esset, tibi eam provinciam jam-  
dudum sponte susceptam esse. Sunt compli-  
res Lovanii, velut in hoc conjurati, ut Colle-  
gium Buslidianum, unicum nostræ Regionis,  
imo totius Cæsareæ Ditionis, Ornamentum,  
sublatum cuperent: eique miris cuniculis exi-  
tium moliuntur, unde quum omnibus publice  
pariter ac private proditura est summa utilitas,  
tum Aulæ Cæsaris prodibunt eruditæ Secretarii,  
cordati Consiliarii, Legati facundi, Proceres  
non tantum imaginibus nobiles. Denique Prin-  
cipes, qui si videatur, possint Oratoribus citra  
Interpretem respondere: postremo gravioribus  
illis

illis Disciplinis, atque adeo cunctis Bonis Artibus plurimum lucis ac dignitatis accedet. Si non esset institutum tale Collegium, nihil prius erat curandum Cæsari, quam ut suis impendiis institueret. Nunc rem egregiam, aliena Benignitate datam, non desunt, qui conentur amoliri. Quosdam impellit ingenii stoliditas, alios amor quæstus, nonnullos livor, sunt qui subserviunt alienæ voluntati: quare te rogo majorem in modum, ut quod Antonius feliciter orsus est, tu gratia & autoritate tua, qua tuo merito vales in Aula plurimum, perficias, ut hoc Collegium sit omnibus Aulæ Proceribus quam maxime gratiosum. Reditus adhuc tenues sunt: vix alunt Professores, eos augebit Principum ac divitum Liberalitas, te tuique similibus rem provehentibus. Ego vero non hoc tantum mihi de te pollicor, Vir Clarissime, verum nihil dubito quin totum Antonium Sucquetum sis nobis repræsentatus. Quid enim illius ingenio magis niveum, quid Amico amicius, quis in officio promptior, in consilio fidelior, quis justi tenacior, quis fucis, fraudibus, & injustitiæ infensior? quanta Pietas citra Superstitionem? quam perspicax sanunque judicium, multum abhorrens a Vulgi judiciis? Quanta Dexteritas in rebus gerendis, quot Dotes, quot Ornamenta in uno Viro perdidit Aula Cæsaris? quanto studio id agebat, ut Liberi, quos habebat aliquot, mire Patriam indolem referentes, honestissimis Disciplinis jam inde a teneris instituerentur? Maxim

mum natu destinarat Theologiæ, proximum Studio Juris, tertium admodum puerum Bonis Literis dedicarat. Et hic fraternalis vices geras oportet. Quum erit commodum salutabis mihi Joannem Bombardarum Opificem, vicinum tuum, veterem Amicum meum, quicum olim arma commutavi, in Amicitia symbolum, nec id multo congruentius, quam fecerunt Glaucus ac Diomedes. Dedi Enchiridion: nosti Librum jam olim per omnes Orbis Plagas volitantem, Latine, Gallice, Germanice, Hispanice, Tusce loquentem: ille contra dedit Gladiolum, quo non magis adhuc sum usus, quam ille Libro. Bene vale. Basileæ, Anno M. D. XXV.

**E R A S M U S   R O T E R O D A M U S  
L O D O V I C O   B E R O**

S. D.

**S**apuisti qui hinc mature evolaris; nos subinde libratis alis meditamus Nidum relinquere, sed subinde remoræ quippiam exoritur, quod cogat comperendinare profectionem. Accidit hic quiddam, Democriti ne risu, an Heracliti lachrymis dignius, tu judicabis. Sacrificus quidam huc advenit, is simul atque Hospiti suo pecuniolam, quam debebat, numerasset, Vale, inquit, & age pœnitentiam: moxque progressus in publicum, exhibuit nobis alterum πρόδεομον, clara & articulata voce, serio vultu clamans: Agite pœnitentiam, Agite pœnitentiam, Agite pœnitentiam, inninet vobis manus Domini.

mini. Cum hoc præconio complures dies per omnes Civitatis vias obambulavit. Ingressus summum Templum, cœpit in corruptam Canonorum vitam detonare. Id ridebant plerique, negligebant alii. Tandem ingressus dicitur & Oecolampadianorum Templa, & in hos multo tum liberius tum atrocius vociferatus est, identidem animarum interemptores appellitans. Interpellavit illum quidam, Heus tu, vocas ad pœnitentiam, ede, quid nobis censes agendum, & quibus modis sit placandus Deus. Ibi, veluti Numine afflatus, Gorgoneis oculis intuitus Percontatorem, Pharisee, inquit, quid me tentas? Non aliud jussit me loqui Spiritus. Dicitur & in Monte Pellicardi *προδρόμου* egisse, quum nec illic quenquam reperisset, cui liberet agere pœnitentiam, ipse tres menses conclusus Carcere, pro omnibus pœnitentiam egit. Illinc dimissus, juxta Præceptum Evangelicum, excusso pedum pulvere, huc demigravit, ubi quum, nulto minus arrideret nomen Pœnitentiae, duci jussus est in Carcerem. Quum duceretur nihilo segnus clamabat: Agite pœnitentiam. Alter Satellitum, Ni taces, inquit, improbe, hunc pugnum ingeram in os. Ille tanto magis clamabat: Agite pœnitentiam. Quid actum sit in Carcere, non liquido scitur. Dimissum constat, hac lege, ne redeat in Ditionem hujus Reipubl. Mox, ut accipimus, contulit se Luceriam, quæ Civitas sic est infensa novis Sectis, ut non alia magis. Illic aliquot diebus *προδρόμου* functus officio, in hoc quoque retulit nobis

nobis Joannem Baptistam , quod conjectus est in vincula : in illo dissimilis , quod ille decollatus , hic exustus est : nimirum quod Baptistam male repræsentaret Anabaptista . Quæ Secta quum magis invisa sit Principibus , quam ulla cæterarum , propter Anarchiam & rerum communio nem , quam prædicare dicuntur , tamen nec Templum habent usquam , nec Regnum moliuntur , nec ulla vi se tuentur ; & habere dicuntur multos Moribus longe sinceroribus quam cæteri . Quanquam quid ibi sincerum esse potest , ubi corrupta est Fidei integritas ? Si nobis corvus a lœva cœcitur , commovetur , & aliquod grande Malum imminere credimus , & hominis voce in risimus omnes . Multis jam annis quid malorum non vidimus ? Exactiones , Tumultus , Bella , Cædes , Pestilentias , Famem , Seditiones . Quis studuit vel pilo fieri melior ? Occalluimus adversus Flagella Dei , obduruiimus aduersus illius Medicamenta ; quid superest nisi extremæ Calamitatis diluvium ? Utinam res felicius cedat omnibus , quam mihi præfagit animus . Sedulo molimur abitum , magno rerum dispendio , sed majore Salutis discrimine . Verum , decretum est vertere Solum , jacienda est alea . Bene vale . Datum Basileæ , Idus Aprilis , Anno M.D. XXIX.

PRINCEPS HENRICUS DES. ERASMO  
Viro undecunque Doctissimo s.

*Jesus est Spes mea.*

Tuis plurimum sum literis affectus , Disertif-  
fime

sine Erasme, quippe quæ & venustiores sunt,  
 quam ut raptim videantur exaratæ, & lucidae  
 simplicesque magis, quam quæ ab ingenio tam so-  
 lerti præmeditatæ judicentur. Fit enim, nescio  
 quo pacto, ut quæ ab ingeniosis elaborata, dedi-  
 tiore depromuntur opera, plus pariter affectatæ  
 secum afferant difficultatis: nam dum tertiiori  
 studemus eloquio, subterfugit nos clanculum aper-  
 tus ille clarusque dicendi modus. Sed tua isthæc  
 epistola quantum venustate pollet, tantum etiam  
 sua perspicuitate liquet, ut proflus omne pun-  
 ctum tulisse videaris. Sed quid ego tuam lau-  
 dare paro. Facundiam, cuius per totum terrarum  
 Orbein est nobilitata Scientia? Nihil queo equi-  
 dem in tuam laudem effingere, quod tam con-  
 summata isthac Eruditione satis dignum sit. Qua-  
 re tuas laudes omitto, de quibus silere satius puto,  
 quam nimis parce dicere. Rumorem illum de  
 Morte Castellani Regis, mei Fratris penitus pe-  
 nitusque desideratissimi, longe antequam ex tuis  
 literis oppido invitûs acceperam: sed eum uti-  
 nam aut serius multo, aut minus verum ad nos  
 Fama tulisset! Nunquam enim post charissimæ  
 Genitricis mortem, nuntius hoc venit invisiō: &  
 parcus, ut verum fatear, huic literarum parti fa-  
 vebam, quam earum singularis postulabat elegan-  
 tia, quod cicatricem, cui callum tempus obduxer-  
 at, refricare visa est. Verum quæ Superis sunt vi-  
 sa, Mortalibus rata haberi fas est. Tu vero perge,  
 eaque nobis literis significa, si qua sunt istic no-  
 va, sed jucundiora. Deus fortunet quæcumque

memo-

memoratu digna acciderint. Vale. Ex Richemundia, decimo septimo die Januarii.

ERASMUS ROTERODAM. ÆMILIO AB  
ÆMILIIS BRIXIANO

s.

**S**cito utramque epistolam tuam, Vir Ornatus, mihi redditam esse, quibus nunc de eodem, quod ajunt, oleo respondeo: quanquam quid opus Responso, quum Magium habeamus γεαμματοφόρον, quem opinor ad te recursurum. Non omnino mentiuntur Dominicani ac Franciscani, qui me mortuum prædicant, subinde mihi luctandum est cum mortis satellite, calculo: ut omittam Senectutis onus, de qua tamen non admodum habeo quod querar, ut fileam Studiorum labores immodosos, neve commorem assiduas Conflictationes cuim tot Monstris nunc hinc nunc illinc adorientibus. An hæc vita dicenda sit nefcio. Me quidem nullius laboris tæderet, nisi perspicerem hisce temporibus omnia in pejus ruere. Audio Orthodoxos & Hæreticos, audio Catholicos & Antichristos, sed nusquam video Christum. Jamdiu parturit Mundus, utinam aliquid boni pariat obstetricante Christo, alioqui nullam video spem. Dum Pharisaismus pugnat cum Evangelii vigore, repullulat Paganismus. Multi sperant per eos posse sopiri Malum, qui præcipue Malo dedere causam. At vereor, ne magis exasperent. Utinam Enchiridion meum tam esset eruditum, ut tuam

tuam operam prometeatur, aut tantum conduce-  
 ret ad Pietatem, ut te nec opera pœnitentia, nec  
 invidiae pīgeat. Siquidem apud Hispanos popu-  
 lari lingua versum miros Picarum & Graculorum  
 Tumultus excitavit, nec substitisset, nisi Proce-  
 rum quorundam, sed præcipue Cæsaris Favore  
 sublevatum. Cur autem tantopere satagunt, ne  
 quid mearum Lucubrationum loquatur lingua  
 Vulgi, causa in promptu est. Isti nusquam non  
 digna atque indigna in me deblaterant, & per-  
 suadent plurimis, quidni vincant ἐγένενται δικαίου?  
 Quod si Libelli mei loquerentur sermone vul-  
 gari, mox apprehenderentur illorum impuden-  
 tissima Mendacia. Minus tamen fuerit invidiae,  
 si Præfationem ad Paulum Volzium omiseris, si-  
 que nonnulla ambigue dicta, ut trahi possint ad  
 calumniam, exoplanes, & odiosius dicta, arte  
 lenias. Mos gerendus est huic Seculo συκοφαν-  
 τιωτάτῳ, & Paulus nobis, qua licet, imitandus  
 est, qui omnia fiebat omnibus, ut omnes lucri-  
 faceret. Porro tantum abest, ut Editionem  
 Operis velim remorari, ut magnopere cuperem  
 idem factum in cæteris meis Lucubrationibus,  
 præsertim iis quæ minus habent invidiae, & plus  
 conducunt ad Pietatem, quod genus sunt Com-  
 mentarii in quatuor Psalmos, Comparatio Vir-  
 ginis & Martyris, Misericordia Domini, Ma-  
 trimonium Christianum, Vidua Christiana, &  
 Paraphrases. Ipse non gravarer Gallum aut Ba-  
 tavum Interpretē conducere, sed rara avis est,  
 qui in sua lingua tantum præstare valeat. Ex  
 lau-

laudibus, quas mihi plena manu tribuis, nihil aliud accipio, nisi quod me vehementer diligis, qui sic in iudicio de me cæcutias. Ubi prodierit Opus tuum, rem adprime gratam feceris, si Codicem unum miseris, ut & ipse discam Hetrusce loqui. Bembi vero Pietatem magnopere probo, qui hoc quoque Decus revocat suæ Italæ, quam tot egregiis Virtutibus hactenus illustravit. Hæc ut legas vereor: scripsi enim plusquam ex tempore, quo vel hinc intelligas, quam a me familiariter ameris, Æmili Charissime. Reliqua cognosces ex Vincentio Magio, Viro, ut mihi visum est, & pio, & perhumano. Bene vale. Datum apud Friburgum Brisgoæ, postrid. Idus Maji, Anno M. D. XXIX.

LAMBERTUS GRUNNIUS ERASMO  
ROTERODAMO s.

**N**ullum unquam negotium, Erasme Charissime, suscepit libentius, quam quod mihi delegasti, & vix aliud confeci magis ex animi sententia. Nam me non perinde movit tua Amicitia, cui sane tribuo plurimum, atque Florentii indigna Calamitas. Epistolam tuam a capite usque ad calcem perlegi Summo Pontifici, Cardinalibus aliquot, ac Summatibus Viris præsentibus. Beatissimus Pater, ut stilo tuo visus est unice delectari, ita vix credas quam incanduerit adversus istos vere Plagiarios. Nam quo magis favet veræ Pietati, tanto magis habet invisos istos, qui Mundum implent aut miseris

feris aut in alis Monachis, non sine gravi jactura Christianæ Religionis. Spontaneam, inquit, Pietatem amat Christus, non Ergastula Mancipiorum. Jussit Diploma protinus expediri, idque gratis: ego tamen Scribis ac Notariis dedi du-  
catos treis, quo celerius auferrem: nosti hoc fa-  
meliacum genus, velis nolis, aliquot offis placan-  
di sunt. Veredarius, per quem scripseras, Nea-  
polim hinc profectus, affirmabat se hac redditu-  
rum. Quid acciderit nescio, non rediit. Hic  
tamen commodum sese obtulit, altero, ni fallor,  
aliquanto certior, qui tibi Diploma cum Exem-  
plari & Subscriptione Pontificis reddet. Pactus  
sum cum illo, dimidiato ducato, nec dabis am-  
plius. Bene vale, & Florentium jam mihi te-  
cum communem, meo nomine salutabis aman-  
ter. Datum Romæ.

ERASMUS JANO CORNARIO

Zuicavienſi Medico

s.

Promerebantur quidem illud tuæ præclaræ Do-  
tes, Ornatisſime Cornari, ut te & summo  
ſtudio complecterer, & omni officiorum genere  
proſequerer, meaque naturæ prorsus est tui ſi-  
miles Viros cum ſuſpicere, tum amare, fed par-  
tim Studiorum occaſiones affiduæ, pene dixe-  
ram iniquæ, faciunt, ut omnibus æque ſim Scy-  
tha. Quo magis exofculor tuam Humanitatem,  
qui quum optimo jure queri poſſis de mea inci-  
vilitate, tamen gratias etiam agas pro multis

N n

ma-

magnisque scilicet Erasmi in te Meritis. Utinam quod accurate, nec dubito quin æque feliciter orsus es in Hippocratem Medicinæ principem, constanter prosequaris. Adest ingenitum, adest Eruditio, adest corpus vegetum, & animus vividus; denique nihil deest, quod ad istam provinciam quamvis difficulter obeundam requirendum videatur. Huc igitur hortarer te, nisi iamdudum currentem viderem. Si revises Wittenbergam, fac Melanchthonem meis verbis salutes diligenter: nam haud scio quam mihi conveniat cum Luthero, quandoquidem is, ut appareat, non patitur dissentientem. Opto tibi Fortunam tuis eximiis dignam Virtutibus. A me nihil officii frustra requires, modo sit, quod præstare nostræ sit opis. Bene vale. Datum Friburgi Brisgoæ, quinto Idus Augusti, An. M. D. XXIX.

ERASMUS ROTERODAMUS  
Generoso Adolescenti Maximiliano  
a Burgundia s.

**E**quidem optabam istam adeo felicem indolem tuam, Maximiliane Suavissime, uniuersum atque alterum annum adhuc in Musarum Virtutis ludere, quo magis in Aulam adferres animum adversus Circes beneficia, Philosophiae Decretis, velut Antidotis præmunitum. Sed quoniam secus visum est optimo Parenti, cui non dubito quin constet consilii sui ratio, supereft ut te pro meo in te studio moneam, pro mea erga te

te charitate rogem etiam, ut inter Aulæ delicias  
subinde vel furtim recurras ad Literas. Non me  
fugit in magnis Aulis, velut in Nemore vasto,  
varia Animantium genera ali. Verum, hoc erit  
tuæ indolis, etiam inter corruptos nativam in-  
genii probitatem tueri. Aurum etiam in sterqui-  
linio aurum est; Adamas in cœno non mutat na-  
turam suam. Etsi quando timetur afflatus vene-  
ni, pharmacum arrodendum est. Id petas ex My-  
rotheciis Philosophiæ. Ridebunt interim crastini  
Calphurnii, sed tu vicissim illos rideto. Etenim  
si judicant hoc vehementer aulicum esse, nihil  
scire Bonarum Artium, protinus intelligent  
suam stultitiam, si cogitent quales olim fuerint  
& Regum multorum, & Romanorum Imperato-  
rum omnium Aulæ. Quod exemplum licet apud  
nos jam aliquot Seculis intermissum fuerit: ta-  
men hodie didicerunt & Aulæ Principum hono-  
rem habere Literis, posteaquam ipsi Principes  
cœperunt philosophari. Hunc Amanuensem  
meum Quirinum Talesium, tibi non ignotum,  
pridem tribus verbis Joanni Borsalo commen-  
davi; nunc eundem tibi commendabo: sed ita ut  
nolim te mea commendatione gravari. Juvenis  
est Moribus & fidis, & placidis, Græce Latineque  
doctior quam præ se ferat: est enim rara quadam  
modestia præditus. Ita fit, ut plus habeat in re-  
cessu, quam fronte pollicetur. Mihi jam multis  
annis magno fuit usui, vixque alius obtigit, qui  
mihi vel diligentius vel amantius inservierit. Ad  
Studiorum labores prorsus adamantinus est, un-

de Hubertus Barlandus Medicus solitus est illum appellare Mulum Marianum. Quod habui pretiosissimum, illi non maligne impartii; pecuniarum ut ipse non sum dives, ita largus esse non possum, quanquam arbitror illum de mea Benignitate non esse querulum. Ad perpetuam autem Fortunam, velut ad opimum Sacerdotium aut Munus Aulicum, præter commendationem nihil dare possum. Quare te vehementer rogo, ut Principi Veriano Patri tuo, nonnunquam literis tuis de Talesio aurem vellices. Crede mihi, Beneficium hoc collocaris in juvenem non indignum, nec ingratum. Qui si se fellerit, quod scio non futurum, enime fidejussorem habe. Cupio te quam optime valere, Adolescens Clarissime. Tua Pronuntiatio rursus excuditur, a me recognita, & nonnihil locupletata. Datum Friburgi Brisgoæ, decimo Cal. Augustas, Anno M. D. XXIX.

ERASMUS ROTERODAMUS  
JODOCO SASBOUTO

s.

**D**ictum est olim, eum oportere egregie probum esse, qui Athenis esset probus. Nunc non absurde quis dixerit, eum oportere sincerum esse Amicum, qui hoc Seculo sit Amicus Erasmo, quo Sycophantiis, Convitiis, ac Mendaciis undique fervent flagrantque omnia, & in quo nec Inimicos attingere tutum est, nec Amicos prodere. Exerior tamen in hoc rerum Tumultu non paucos esse qui mihi ex Animo bene

bene volunt. Hos eo mihi chariores habeo, quod rari sunt: sed paucos eximios malo, quam Turbam inexploratorum ac vulgarium. Complures anni sunt, quod ex Amicis minime levibus cognovi, te de nostris Studiis & sentire candide, & honorifice prædicare. Eum affectum nondum in te refixisse, ex Quirini Talesii, pri-dem Amanuensis mei, literis cognovi nuper. Quo nomine, Sasboute Charissime, profiteor me tibi debere plurimum, & debere libenter: atque utinam tam mihi esset in proclivi tecum mutuis officiis paria facere, quam in promptu est amore mutuo respondere. Hollandiam Patriam tot bellis lacesti, tot exactionibus expilari, tot incursionibus vexari, diripique ab Amicis pariter atque ab Inimicis, mihi, ut esse debet, auditu gravissimum est. Maximam horum Malorum partem gignit nobis τῶν Ἀρχόντων Φιλοτιμία, qua nihil exitialius, si absit illa vere βασιλικὴ Sapientia. Avidi Negotiatores, dum novis latifundiis inhiant, avitos Agros aut habent pro derelictis, aut in fortein versos committunt aleæ. At olim abunde magnificum erat esse Comitem Hollandiæ: sed hi sunt æstus rerum humanarum perpetui, nisi quod vix unquam immanior Procella terrarum Orbem occupavit. Verum, ut in magnis Tempestatibus apparet, qui sint periti Gubernatores: ita mihi videtur insignis cujusdam esse tum Integritatis tum Prudentiæ; in tanta rerum omnium Confusione, tantisque Procellis rectum tenere Clavum. Quod an nos assequuti

fimus, nescio: certe conati sumus & conamur sedulo. Expectamus quid nobis hæc pariat Synodus Ratisbonensis. Mihi quidem bona spes est, sed paulo melior esset læti spes eventūs, nisi Cæsaris Pietas tantum tribueret quibusdam Infuslati, quibus ēquidem velim suam vindicari Autoritatem, sed quorundam ambitioni nihil est satis. Regina Maria, Fœminarum hujus Ævi laudissima, revocat me in Brabantiam: sed posthac mihi vivam oportet, si cupiam omnino vivere. Studiis immori libet: Aulicis negotiis immori non libet. Scripturus eram Clarissimis Viris D. Abeli a Colster, & D. Gerardo ab Assendelft: sed hic Gerardus Henricus Medicus ex Italia reversus offendit me & Studiis & scribendis epistolis delassatum, nec visum est illum diutius remorari, post diutinam Peregrinationem ad Patriæ sumum properantem. Quare te rogo, ut apud illos præclaros Viros mihi fis epistolarum vice, donec dabitur otii pauxillum. Nolim enim illos literis incultis ac languidis appellare. Interim persuade illis has literas & ad ipsos esse scriptas. Bene vale. Apud Friburgum Brisgoiæ, tertio die Maji, Anno M. D. XXXII.

ERASMUS ROTERODAMUS  
GEORGIO AGRICOLÆ

s.

**B**ene profecto cessit illa mea cum Plateano Expostulatiuncula, quæ mihi duorum iustas epistolas conciliavit: tamen tui quidem

dem mavis chirographum haberi quam epistolam. Atqui id sane mihi multo jucundius est, ut Agricolam Hominem egregie doctum, &, nisi me fallunt omnia, brevi inter Literariæ Rei Proceres præcipuo loco futurum, velut obsignatis tabulis docere possim, mihi Gratiarum legibus esse fœderatum. Studium meum in edendo Libello, vel obsequium potius, nam Andreæ Conritz impulsu id factum est, tibi non ingratum fuisse, mihi magnopere gratum est. De Cornelio Agrippa quidam Amici docti ad me scripserunt e Brabantia, sed sic ut nec hominis violentiam probare, & plus illi in colligendo studii, quam in diligendo judicij tribuere videantur. Nonnullis illud non ingratum est, quod Theologis ac Monachis hactenus feliciter oppedit, idque Cæsaris umbra, cui se profitetur a Consiliis, & Cardinalis Campegii præsidio. Sed vereor ne Hominis Fortitudo Bonas Literas magna gravet invidia, si modo vera sunt, quæ narrant Amicorum literæ. Librum illius nondum videre contigit, nec ad me scripsit unquam. Opus, quod de Mensuris ac Ponderibus habes in manibus, cupidissime legam simul atque miseris. Id auguror, mi Georgi, tibi magnæ gloriæ futurum. Nec est quod invidiam metuas, quum argumentum sit ejus generis, partim ob vetustatem, partim ob Regionum varias Consuetudines, partim ob ipsius materiæ subtilem obscuritatem, ne quid interim dicam de Libris depravatis, ut nunquam sit exhausti satis. Portium

audio Virum non minus humanum esse quam doctum. Alciatus ingenio candidissimo praeditus est, ut ab illo tibi nihil sit metuendum. Budaeus ut est stomachi liberioris, ita Vir melior est, quam ut indignetur, tantum argumentis agenti. Quod etiam si maxime faciat, quod opinor nunquam facturum, suo nomini magis obsuerit quam tuo. Denique ut maxime nascatur inter vos aliquid Contentionis, modo citra petulantiam, consolabitur te illud Hesiodeum : ἀγαθὴ δὲ εἴης οὐδὲ βροτοῖσι περὶ τῆς Ψευδολογίας. Non est quod mihi gratuleris, quum ejus consilii me supra modum pœnituerit. Poteram longe aliam Iliadem texere, sed valeat illud Portentum, e meris sumis, fucis, mendaciis, gloriis, ac præstigiis conflatum. Tuę literęe nunquam non venient mihi gratissimæ. Lucæ Schoppegio Consuli, & Bartholomæo Baccho Scribæ Senatū vi- cissim ex me plurimam dices salutem. Vale. Apud Friburgum Brisgojæ, 4. Calend. Septemb. Anno M. D. XXXI.

## E R A S M U S R O T E R O D A M U S JOANNI PAUNTGARTNERO

s.

**A**nte annos ferme duos Ulricus Zafius, Vir plurimis maximisque Dotibus suscipiens, sed haud alia tamen amabilior, quam admirabili quodam animi candore erga Amicos, præbuit mihi gustum Vini Pauntgartnerici, quod sane palato quamvis exquisito

pla-

placere poterat. At idem ingenii Pauntgartneri gustum nuper aliquanto pleniores dedit, mihi quidem longe suaviorem. Nam ea suis ad me literis de te prædicavit, Vir Clarissime, ut non solum me totum rapuerit in amorem tui, verum etiam effecerit, ut existimem me tibi non mediocriter devinctum, ipsi devinctiorem, quin antehac fuerim devinctissimus. Quis enim non amet Virum Reip. commodis natum, & in quo cum amplissima Fortuna præclaræ Virtutes animi paria faciant? Imo non paria faciant, sed longe superent. Zasium autem promerentem sic multis annis amavi, ut prorsus juxta legem Pythagoricam omnia mihi cum illo duxerim communia. In quem quum tam effusa fuerit tua Benignitas, scito Erasmus totidem nominibus obstrictum esse tibi, quot Zasium habes obstrictum. Quodsi hac lege me recipis in numerum Debitorum tuorum, eadem lege me recipias oportet in numerum Amicorum. Etenim si hoc est Amicitiae jus, ut res cæteras faciat inter Amicos communes, multo magis convenit, ut ipsi quoque Amici sint communes, quin hac Possessione nulla sit pretiosior. Porro Zasius plurima sua in me Merita non mediocri auctario cumulavit, posteaquam in hujus Amicitiae confortium adopitayit veterem Amiculum. Sed haec alias copiosius. Haec vix scribere licuit diutina Tussi concusso, quod Malum hic plurimos occupavit. Bene vale. Apud Friburgum Brisgojæ, octavo die Febr. Anno M. D. XXXII.

ERASM. ROTEROD. JACOBO CANTÆ

S. D.

**A**egidius Vannonius Famulus tuus me non  
mediocriter inflammavit in amorem tui,  
Vir Ornatissime, multa prædicens de tuo pulcher-  
rimo Instituto, quo conaris Studia jam apud ple-  
rosque, nescio quo malo Fato, refrigerentia ex-  
citare, & ad id unum omnes fortunas tuas, omne  
studium industriamque conferre. Quæ res mihi  
persuadet, te non solum Virum bonum esse, ve-  
rum etiam animo generoso præditum. Quod si  
Literæ, quæ nunc apud plerosque languent, emo-  
riantur, quæso, quid erit hæc Vita nostra, aut  
quid sperandum, nisi ut in Turcicam Barbariem  
degenereamus. Ut approbo summiopere cona-  
tum tuum, ita precor ut Christus Opt. Max. quod  
agis bene fortunare dignetur. Oro ut posthac  
Erasinum in Amicorum tuorum Album adscri-  
bere digneris. Reverendissimo Cardinali Cam-  
pegio meis verbis salutem dicio reverenter. Scio  
quantum illi debeam, & debeo profecto liben-  
ter, & plura debere cupio. Eram occupatissi-  
mus, sed hoc tempusculi suffuratus sum ut te sa-  
lutarem, nactus hunc Juvenem tui amantissimum,  
quicum lubens egism de Convictu, nisi tam  
commodum haberet Dominum. Nulla re mihi  
magis est opus, quam fidelibus Ministris, sed  
hæc alea mihi non semper eadit ut volo. Bene  
vale. Apud Friburgum Brisgojæ, Anno a Christo  
nato M. D. XXXII.

ERAS-

## ERASMUS ROTERODAMUS

GUILHELMO Comiti ab Isenburgo

S. D.

**C**larissime Vir, nec Pietate minus Illustris,  
 quam Majorum Stemmatibus, redditum  
 mihi Polyphemus abs te Pugionei fane quam  
 elegantem, cum hoc Elogio, ut si minus possem  
 calamo profligare Hostes meos, ferro rem gere-  
 rem. Lubens agnovi Morum tuorum Comita-  
 tem, quam hic uno atque altero Colloquio sum  
 expertus. Petrus habebat duos Gladios, eosque  
 Christus putavit esse satis. Verum adversus  
 tot Phalanges undique conjuratam in Erasumum  
 vix Cæsaris arma sufficerint. Videor mihi juxta  
 vetus Proverbium, Asinus in apes, vel in crabro-  
 nes verius incidisse. Indies se densius conglome-  
 rant furiosa examina. Nunc Pelusii quidam So-  
 dales, gladiatoriis animis ad me affectant viam.  
 Nec video fore finem, nisi forte, hirudinum more,  
 expleti meo sanguine, tandem sponte defluant.  
 Animat illos in me mea imbecillitas atque etiam  
 solitudo. Hinc imbecillis sum, quod nulla Di-  
 gnitate malevolos subimoveo. Crabrones enim  
 nulla re melius quam fumo depelluntur. Solus  
 videor, quia nulli me Sectæ addixi, nec sum addi-  
 cturus, modo Deus hanc mentem mihi servet.  
 Provocant undique Libelli, ex Italia, e Gallia, ex  
 Hispania, e Germaniæ variis partibus: quibus  
 nihil aliud proficiunt, nisi quod traducunt suam  
 indo-

indoctam malitiam, & dissidiorum incendium  
exasperant. Equidein, quod unum possum, opto  
illis mentem meliorem. Nam mihi in hac haren-  
na standum est usque ad extremum vitæ diem.  
Quid facias? Ita vifum est Fatis. Tuꝝ profecto  
Virtuti gratulor, qui magno animo, parique suc-  
cessu rem geras, Partes ad Mediocritatē revolu-  
cans, tam cauta Moderatione, ut nec in Scyl-  
lam impingas, nec a Charybdi sit periculum.  
Enchiridion tuum non patietur animo meo ob-  
repere tui oblivionem, Vir Amicissime. Vicissim  
hæc epistola, meis descripta digitis, interdum te  
commonefaciet Erasini, quem tuto potes inter  
eos connumerare, qui tibi precantur omnia fau-  
sta lætaque, quibus profecto viridis ista florida-  
que Senectus cumprimis digna est: videtur  
enim Natura mentis pulcherrimæ simulachrum  
in ipso corpore expressisse. Dicas istuc esse futu-  
ræ olim immortalitatis specimen quoddam. Sed  
heus tu! Pugionem misisti Petri, qui videtur  
idoneus amputandis auriculis, magis opus est qui  
amputet linguas: nam ea parte nocentissimum  
est hoc Animantium genus. Sed desino jocari  
tecum. Bene vale. Datum apud Friburgum, 22.  
Junii, Anno a Christo nato M.D.XXXII.

ERASMUS ROTEROD. JOANNI  
PAUNTGARTNERO

s.

**U**tinam ex ingenii mei vena tam facile ali-  
quod depromere liceat, Vir Clarissime,  
quam

quam tibi proclive est e terræ venis, munus nostra dignum Amicitia. Ut ad te antehac ignotum scribere, eam audaciam me docuerat Zasius exhortator vehemens, cui quicquam negare mihi non est integrum, ob innumera ipsius in me Merita, quibus me sibi jam olim habet obstrictum, nunc hoc etiam nomine obstrictorem, quod Hominis candidissimi accessione Amicorum meorum Catalogum auxit. Paucos hodie reperias ex animo Amicos. At illud sinceræ Benevolentiae præcipuum est argumentum, si quis suos etiam Amicos cum Amico cupiat habere communes. Proinde quum mihi vehementer gratum sit, quod misisti aurum nativum & infectum, animi minimi fucati symbolum: tamen non paulo beatior mihi videor factus, qui te Amicum lucrificerim, quam qui munus acceperim, quod tua tamen Modestia hoc nomine vocari non patitur, arrham dici mavis. Nihil adhuc officiorum in te contuli, nec quid omnino possim video, sed si quid in te conferre liceat, in promeritum contulero. Repeto enim id, quod scripsi superioribus literis, ni fallor, quot nominibus tibi Zasium habes obstrictum, totidem habes & Erasmum devinctum. Supereft ut Zasio Proxeneta, & tibi gratias agam, Vir Amicissime, lubens relaturus, si vel tu vel Zasius submoneat, qua in re queam animo tuo gratum facere. Si lubet, facito periculum, an hæc ex animo loquar, nec ne. Cupio te cum omnibus tibi charis quam rectissime valere. Friburgi, septimo die Mart. Anno M. D. XXXII.

ERAS.

ERASMUS ROTERODAMUS  
JOANNI RINCKIO

S. D.

**O**rnatissime Vir, quanquam non erat quicquam rei feriae quod scriberem, itamen non potui committere, ut unicum Amicum meum Rinckium his Nundinis insalutatum præterirem, cuius perpetua Consuetudine, si frui datum esset, sat mihi beatus viderer. Sed Fatis agimur, & Fatis cedere cogimur. Facile sentio mihi non multum ejus fili, quod Parcae nent, superesse: sed tamen quantulumcunque id est, malum in Civitate celebri frequentique peragere, ubi & Amicorum largior, & rerum paratior esset copia. Sed in hoc littus nos detulit Tempestas. Locus hic non est quidem inainopus, sed ut submotior a Rheno, ita minus frequens, ac maligna rerum copia. Oppidum initium, ut fertur, duxit a metallis, nunc exhaustis: hinc Morum ἐπιχωρίων nonnulla etiamnum vestigia animadvertis licet. Quum Æstate superiore pararem migrationem, admonitus sum ab Amicis Aulicis, præsertim Episcopo Augustensi, expectare exitum Concilii Augustani. Nunc quum denuo libram alas, aliquo provolare gestiens, rursus jussus sum expectare exitum Concilii Spirensis, qui qualis futurus sit, varia est Hominum divinatio. Sed de nobis accipe quod rideas. Si quis tibi nuntiaret Erasmum jam prope septuagenarium duxisse

xisse uxorem, nonne tuncque quaterque te signares Crucis imagine? Faceres sat scio, & equidem non injuria. Atqui nunc, mi Rincki, rem feci nec minus operosam, nec minus molestam, nec minus ab ingenio Studiisque meis alienam. Emi Domum speciosi quidem nominis, sed pa-  
rum æqui pretii. Quis nunc desperet amnes, verso in diversum cursu, relapsuros ad fontes suos, posteaquam Erasimus, qui hacenus per omnem  
vitam omnia posthabuit Otio Literario, factus  
est Licitator, Emptor, Stipulator, Cautor, Ædi-  
ficator, ac pro Musis rem habet cum Fabris li-  
gnariis, ferrariis, lapidariis, vitriariis? Hæ cu-  
ræ, mi Rincki, a quibus meus semper abhorruit  
genius, me tantum non exanimarunt tædio. Et  
adhuc peregrinor in propriis Ædibus, quod spa-  
tiosæ licet nullum habeant nidum, cui tuto pos-  
sim hoc corpusculum committere. Unicum  
Conclave paravi extructo Fumario & contabu-  
latis, solo pariter ac lateribus, sed ob virus calcis  
nondum ausim me illi credere. Brevi tamen  
immigrem oportet, quod felix faustumque sit:  
nondum enim fuit. Cruciatum sinistri pedis ex-  
cepit stomachi profluvium, qui diem jam septi-  
mum me tenet. Sed nimium de meis. Facile  
poteram prono Rheno delabi Coloniam: sed dis-  
suadentibus Amicis hic hæsi, atque ut video ex-  
pectanda hirundo nova. Neque enim me remo-  
rabitur empta Domus, si cætera habebunt ut  
volumus. Si tibi tuisque prospera sunt omnia,  
est quod summopere gaudeamus, idque ut per-  
petu-

petuum sit, optamus. Datum apud Friburgum  
Brisgojæ, quarto die Septemb. Anno a Chri-  
sto nato M. D. XXXI.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Episcopo Rivense  
s.

Jure quis tribuat improbitati, Ornatusissime Præ-  
sul, quod ignotus appellem ignotum: au-  
daciæ, quod tressis Homuncio ad tam eximium  
Principem, omnique Decorum genere splendi-  
dum memet ingeram: sed ut Egestas excutit  
pudorem; ita Charitas, autore Joanne, propellit  
timorem. De tuis egregiis Virtutibus mihi  
tam multa prædicantur a multis, ut te non  
possim non vehementer amare. Addidit fidu-  
ciam Morum tuorum admiranda quædam, ut ac-  
cipio, Comitas, sed in primis mirifice propensus  
Favor erga politiores Disciplinas, quas vide-  
mus hoc Seculo feliciter apud omnes Nationes  
efflorescere, idque præsidio Linguarum, ac ve-  
terum Autorum undique e tenebris in lucem  
emergentium. Quanquam ex his, qui extabant,  
aliquot non minus perierant, quam qui maxime  
videbantur intercidisse. Liber enim, prodigio-  
sis mendis undique scatens, Crux est verius quam  
Liber. Sudatum est pridem a Frobeniis in re-  
stituendo Josepho Historiographo cum primis  
celebri: sed comperimus illum insanabiliter de-  
pravatum, nisi ipsum Græce loquentem adhibea-  
mus. Ruffinus quidem nihil unquam vertit bo-  
na

na fide, sed in hoc Autore videntur multi suo  
lusisse arbitrio. Eum accepimus in tua Bibliotheca  
Græcum esse, cuius Codicis si nobis ad paucos  
menses copiam facere non gravaberis, non nos  
tantum, sed universos etiam Studiosos isto Bene-  
ficio tibi reddideris obstrictos. Liber ad te redi-  
bit incolumis, atque adeo illæsus, ad quemcun-  
que diem tu præscripseris. Dices cum Ennio:  
Ecquid erit pretii? Scilicet hoc, quod Mortales  
persolvunt Divis immortalibus. Agemus gratias,  
celebrabiimus Autorem Beneficii, & quod re non  
possumus rependere, gratæ voluntatis studio refe-  
remus. Ob hanc causam eimandavimus hunc **Ta-**  
**bellionem**, quo Codex tuto ad nos perferatur.  
Scio Civitatem Basiliensem his temporibus non  
optime audire, sed nihilo secius habet illa multos  
integros Viros, qui mallent alibi vivere, si sine  
gravi incommodo liceret demigrare. Certe il-  
lud a nobis curatum est sedulo, ne quid ex illa  
prodeat Officina, præter optimos quoque Auto-  
res. Haec tenus egi causam mihi cum Hierony-  
mo Frobenio, cumque Studiosis omnibus com-  
munem, nunc proprie agam meum negotium.  
Quid istuc, inquieris? Etiam atque etiam rogo ut  
Erasmum inter infimæ fortis Clientes adscribere  
digneris. Bene vale. Friburgi Brisgoæ, 13. Cal.  
Dec. M. D. XXXI.

ERASMUS ROTERODAMUS  
R. D. D. Bernardo, Episcopo & Cardinali  
Tridentino, s.

**Q**uaternas jam hisce diebus literas a Tua R. Sublimitate accepi, non dissimili argumen-  
to. Quæ res mihi declarat singularem quandam tuam erga me Pietatem, plurimis qui-  
dem argumentis jam olim perspectam & ex-  
ploratam, sed gratum tamen est ejus memo-  
riam subinde novis occasionibus refricari. Quod  
invitas ad Conventum istum Spirensem, video te  
satis magnifice sentire de mea Valetudine. Ego  
in his novis Ædibus jam quartum luctor cum  
Morte. Satis feliciter cessit Concertatio, donec  
æstivi Cœli commoditas faveret luctanti. At si-  
mul inhorruit Autumnus, ægre inclusus apud  
focum desidens languidum spiritum traho. Sub  
Festum Michaëlis subito exortus Euro-Aquilo me  
conjecit in lectum. Amicus quidam ac vicinus  
meus eodem die eadem ex causa morbum con-  
traxit, & decepsit intra quatriduum. Dejecta  
est Quercus, ego Arundo, ut est in Apologis,  
vacillando subflio. Quid isthic Reipublicæ sim  
profuturus, nescio, certe mea referret isthic ades-  
se, quemadmodum retulerat & Augustensi Con-  
cilio non adfuisse. Sed quid faciam huic cor-  
pusculo plusquam vitro, cui mutatum cubicu-  
lum, aut vinum, cui aurula incommodior Mors  
est? Non me clam est interfuturos Concilio,  
qui mihi pessime cogitant, atque etiam exitium  
moliuntur. Id si vacabit, poteris ex R. D. Jo-  
anne Episcopo Viennensi cognoscere. De pe-  
cuniis non sum sollicitus, Dominus providit hac-  
tenus, & providebit, ut spero: tantum optabam,  
ut

ut mihi liceret in hac extrema Senecta Quietem agere, ne id quidem datur. Hæc Domus empta inextricabilibus molestiis me involvit. Nec tamen adhuc ullus est locus in ea tota huic corpusculo sat commodus. Multi mirantur, quis sit istius Conventus futurus exitus. Spiritus Christi dignabitur suggerere Principum animis quæ sunt saluberrima. Ibi magna adhibenda est cautio, ne dum alteram partem compescimus, alteri non Jus suum, sed Tyrannide vindicemus. Quos fugiam video, quos sequar vix video. Tantum nunc licuit per Valetudinem. Ubi fuero confirmatio, scribam copiosius. Dominus R. Celsitudinem Tuam servet in columem. Datum apud Friburgum, nono die Octobr. M.D.XXI.

E R A S M U S   R O T E R O D A M U S

Alphonso Manrico, Archiepiscopo

Hispalensi, s. d.

**O**rnatissime Præsul, pridie huc e Lutetia missus est Libellus titulo Ludovici Carvajali, illic excusus furtim, suppresso Loci Typographique nomine: nam per Senatus Edictum non licet illic quicquam excudere non approbatum. Ego, quum nec nomen agnoscerem, & Libellus miram levitatem ac petulantiam præ se ferret, suspicatus sum esse jocularem, & per subornatuni Juvenem agi Fabulam. Respondi sic ut riderem potius quam redarguerem. Aliquanto post venit Libellus idem

Oo 2

apud

apud vos excusus simili fuco, cum literis Amicorum admonentium, ne dignarer Hominem ullo Responso. Vehementer dolui me sero fuisse monitum. Nunc idem Juvenis mittit nobis Librum multo petulantiorem, similiter excusum absque Loci Typographique nomine, videlicet præter Edictum Cæfaris. Cum tam ineptis Libellis collectari mihi non est animus, etiamsi prodeant sexcenti: demiror tamen ab illo Sodalitio Observantium prodire tale scribendi genus, quum Regula, quam sub veste gestant plerique, pauci in animo, serio deterreat illos ab omni Detractione. Mihi quidem præter bonam conscientiam, tot sunt Principes, Reges, Cardinales, Episcopi, Docti, qui non literis tantum, sed & honorariis muneribus ultro delatis gratulantur Studiis meis, ut istos Tenebriones facile possim contemnere: ad vestræ tamen Hispaniæ Tranquillitatem pertineret, si clancularius ille Typographus daret poenas, ne subinde peccet graviora, expertus felicem audaciam. Ab ipsis Juvenibus nihil expectandum, nisi stultum ac seditiosum. Si Seniores habent quod adferant pro Defensione Veritatis, exhibeant Libellos suos antequam edant. Non ero tibi pluribus molestus, Clarissime Præful. Si Erasmus tibi videatur dignus ista contumelia, tu tamen pro tua æquitate publicæ Tranquillitatis curam non depones sat scio. Dominus Clarissimam Celsitudinem Tuam servet incolumem, ac bonis omnibus florentem. Domino meo Lodovico Coronello salutem

salutem plurimam. Datum apud Friburg. Brisgojæ,  
pridie Cal. April. An. a Christo nato M. D. XXX.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Simoni Pistorio s.

**Q**uum maxime sœviret Morbus, scripsi tibi per Henricum quendam, qui videtur minus suo functus officio. Tantum eas literas videtur reddidisse, in quibus erat commendantus. Illustrissimus Princeps nullas Quæstiones inferuit proximis literis; sed tuæ tractabant nonnullas Dubitationes: quibus respondere prolixum esset, & mihi videtur ad Seditionem tendere, si quid novetur absque publica Autoritate. Menses aliquot gravissime ægrotavi, primum Alvi torminibus, unde vomitus ac stomachi ruina, & hinc extrema debilitas. Succedit Apostema sceleratissimum, umbilicum occupans. Ruptum est ferro, manet tamen durities, unde metuo novam Tragœdiam. Nam Chirurgus præter naturam, in duro Apostemate, quod frigidis erat dissolvendum, calidis & acribus Malaginatibus fecit hulcus. Adiuc repo & paullatim revivisco, nondum liber a Medicis ac Chirurgo. Absit, ut ego istius inextricabilis Tragœdiæ me faciam Aristarchum, utrinque pessimam gratiam reportaturus. Utinam Deus dignetur esse Aristarchus, qui solus potest huic fatali Tragœdiæ finem imponere. Quodsi Cæsar imperat ut Augustam veniam, necesse est ut prius imperet huic malæ Valetudini. Cum tali Thra-

sone quid agi possit, non video. Scis omnem Historiam. Observa dissimulanter quid molatur, & si Duce m implerit mendaciis, fac uti rem cognoscat. Duci nuper scripsi per Canonicum, cognomento Rina. Bene vale, Patrone singularis. Friburgi, septimo die Julii, Anno M. D. XXX.

### ERASMUS ROTERODAMUS

Nicolao Olaho s.

**A**nimum istum tuum, Humanissime Nicolae, lubens exosculor, tuum nomen inter præcipuos Amicos adscripturus. Optimæ Reginæ Pietatem & Humanitatem singularem frequenter mihi suis literis deprædicavit Henkellus, cuius Autoritas apud me plurimum habet ponderis. Cæterum Reginæ nomine ad me nulla venit litera, nec ipsius nec aliena manu scripta. Si venisset epistola, fuisset mihi in molestissima Vale-tudine magno solatio. Ignosce brevitati, adhuc tenellus sum, & scribo multis. Serenissimæ Reginæ precor omnia fausta lætaque. Bene vale. Friburgi, septimo die Julii, Anno M. D. XXX.

### ERASMUS ROTERODAMUS

Joanni Vlatteno s.

**S**ive scribis, sive non scribis, scio Vlattemum esse Vlattemum. Tot Legationibus ac Negotiis exercitum fuisse, juvabit olim. Dux Ju-liacensis junior misit Poculum cum literis. Quid illic agerem non video hac Valetudine, quæ velis equisque, quod ajunt, fugit Aulas. Ex diu-tino

tino Morbo paulatim reviviscimus. Et omnino de migrando cogitamus, sed nullum video Portum satis tranquillum. Dominus sine me dabit Cæsari reliquisque Principibus salubria consilia: mihi humili non tutum est talibus admisceri Negotiis, in quibus, si quis quid liberius aut æquius dixerit, statim audit Lutheranus. Cupio te quam optime valere, Vir animo meo Charissime. Friburgi, nono die Julii, Anno M. D. XXX.

**ERASMUS ROTERODAMUS**  
Lucæ Bonfio s.

**L**eonici Libellum legam perlubenter: scio enim a Viro doctissimo sanctissimoque nihil proficisci nisi doctum & sanctum. Quod hortaris ad Comitia, Catonis illud objiciam: Ad consilium ne accesseris priusquam voceris. Et si maxime vocer, alligat hic Valetudo. Nec video, quid ego insimæ fortis Homuncio possum in negotio tam perplexo, ad quod expediendum vix Synodus οἰκουμενικὴ triennis sufficerit. Quid, quod nec tutum nobis est hic hiscere: si quid æqui dixerimus, statim audimus Lutherani. Nisi res per magnos ex omni Provinciarum consensu agatur, nihil egerint: sed ab ea Synodo submovendæ sunt omnes humanæ cupiditates. Pro tuo in me animo habeo gratiam, & mutuum polliceor bona fide. Vale. Friburgi, 9. die Julii, Anno M. D. XXX.

ERASMUS ROTERODAMUS  
Francisco Dilfo s.

**S**tipulae innitebaris, mi Francisce, cum tantum tribueris meis epistolis. Ab Archiepiscopo Toletano jam abunde magnum accepi præmium, nec est quod ista res te sollicitum habeat. Quæ mittes ad Goclenium, quando huc venient? Citius venirent, si mitteres Augustam ad Antonium Fuggerum, nec dubium quin ad Concilium eant multæ Legationes, currantque Veredarii. Vinum abs te advectum, quin primo gustu sic arrideret, mire imposuit nobis: simul atque cœpiimus serio bibere, mutavit colorem, saporem & odorem. Martinus Polonus hac de causa profectus est Besontium cum viginti coronatis, sed guttam non attulit. Officialis & Thesaurarius aberant Legati ad Regem Galliarum, cæteros Polonus  $\alpha\pi\lambda\omega\varsigma$  affirmabat esse meros Nebulones. Ita laboravimus graviter quatuor ferme menses, nondum firmi. Hæc ad epistolam abs te scriptam Calend. April. & per Veredarium missam. De reliquis fac Aulico more, mitte Exemplaria duplia, & Amicos admone ut idem faciant. Quum ego maxime ægrotarem, Quirinus meus subito correptus est sudore Britannico, nec alium habebam. Nam Cannius redierat in Patriam amore Libertatis, jam factus Sacrificus, ac nobis fausta letaque precaturus. Hajo repetit Frisiam. Bene vale, Dilfe Charissime. Friburgi, 9. die Julii, Anno M. D. XXX.

ERAS-

ERASMUS ROTERODAMVS

Alphonso Valdesio s.

**N**on possum non vehementer dolere sortein tuam, Valdesi Charissime, qui simul & Parentem optimum, & Parentis affectu Patronum Mercurinum Gattinarium amiseris: sed animus offirmandus est ad omnia quæ possunt Homini accidere. Nos quoque Dominus dignatus est invisere, paulatim revivisco; sed quoniam Chirurgus in duro Apostemate violentis Malagmatis induxit hulcus, quod ita sanatum est ut maneat duries, vereor ne recurrat Malum. In medio Morbo Famulus meus, quem unicum habebam, (nam alter revocatus est in Patriam,) sudore pestilenti correptus est, qui mihi & in cubiculo & in mensa perpetuo adfuerat. Sed Dominus est, faciat quod bonum est in oculis ipsius. Bene vale, Valdesi Charissime, & post istam Tempestatem expecta Serenitatem. Nil adhuc accedit tibi novi. Amisisti Patrem, id quotidianum est. Gattinarius diu vivere non poterat, in caducum parietem inclinabas. Scias hunc Hominem, quantus quantus est, tuum esse. Bene vale rursum. Friburgi, 9. die Julii, Anno M.D. XXX.

ERASMUS ROTERODAMUS

Leonardo, Officiali Besontino,

s.

**P**rofecto, quanquam a nonnullis invidiæ causa Rhetor appellor, consumpsi colores

Oo 5

omnes

omnes excusandæ importunitatis meæ, qui Vi-  
ris alias occupatissimis, tum de quibus nihil un-  
quam sum meritus, non desinam meis petaci-  
bus obturbare literis. Sed quis pudori locus, ubi  
ea urget necessitas, quæ frequenter huc perpellit,  
ut Homo comedat Hominem? Stomachus nul-  
lum fert Vinum Germanicum. Homerus scribit  
durissimum esse Mortis genus, mori fame: ego  
durius esse puto, mori siti, cui periculo nunc  
proximi sumus. Ante menses aliquot emanda-  
ram isthuc Juvenem quendam nobilem Polo-  
num, is quoniam vos isthic non offendit, rediit  
huc vacuus. Nunc mitto Familiæ meæ miseri-  
mæ Columen. Nolim vos gravari ullis impen-  
diis, jam toties expertus vestram Benignitatem,  
nummorum affatim tradidi. Hoc agendum, ut  
nanciscamur Vinum aptum nobis, id quod vel  
per Famulum tuum fieri poterit. In Monte Pel-  
cardi nullum habeo mihi vel leviter notum, alio-  
qui non essem vestræ Civitati molestus. Ad Ca-  
lend. Septemb. accinctus eram ad repetendam Bra-  
bantiam, sed per Aulicos Cæsaris jussus sum ma-  
nere usque ad exitum Concilii. Nec semel me  
poenituit obsequii. Nunc hyems urget, nec tu-  
tum est e nido provolare. Quapropter oro te, ut  
nunc modo serves Erasmus, in posterum provide-  
bitur ne vobis cogar esse molestus. Non te mo-  
rabor amplius. De rebus novis scripsi Francisco  
Thesaurario. Bene vale, Patrone incomparabilis.  
Friburgi, pridie Lucæ, Anno M. D. XXX.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Matthiae Kretzero s.

Ego vero non modo sim inhumanissimus,  
verum etiam Christiani nomine indignus,  
si te, qui prior ad Amicitiam provocasti, non red-  
amarem. Complures jam annos quidam impro-  
be mentiti sunt, mihi per omnia cum Lutherò  
convenire, non quod hoc omnes sibi persuasi-  
sent, sed quod eum Rumorem perdendo Erasmo  
putarent accommodum. Nunc ab ea spe delapsi,  
commenti sunt alium colorem. Erasmus huic  
Tragœdiæ Seminarium ac Fontem esse. Hoc  
etiamnum mordicus tenent. Albertus Pius,  
quondam Carporum Princeps, ante duos annos  
in hoc arguinentum velitatus, nunc idem ferio  
tractat conductis operis, quæ ex omnibus meis  
Lucubrationibus collegerunt, quicquid ad ca-  
lumniām detorqueri potest. Idem Pontificis in  
me animum, si minus alienavit, certe refrigera-  
vit. Opus excuditur a Badio. Vetus est, de  
Consule fieri Rhetorem, nunc videmus e Prin-  
cipe fieri, pene dixerim, Sycophantam. Hoc or-  
ganum præcipue movet quidam sibi felix, Ec-  
clesiæ infelix, quum Pius nec sibi, nec aliis fue-  
rit felix. Certum est posthac istiusmodi Syco-  
phantiiis esse mutum. R. Præfulis Augustani  
pectus plusquam aureum jampridem explora-  
tum habeo. De nostro Amico non queo fatis  
mirari. Si hoc venenum diu gestavit in pecto-  
re, miror potuisse dissimulare: sin nuper conce-  
pit, demiror unde hauserit, qui antehac nullam  
iniquio-

iniquioris animi significationem dedit, iimo aliquoties per communes Amicos me jussit amanter salvere. A me certe nunquam Iesus est, quin potius amabam Hominis ingenium. At si vera scribunt Amici, nemo unquam in me furiosius debacchatus est. Fuit isthic quidam omnium Thrasorum alpha: Is, ut suspicor, ei camino suggestit oleum. Haec vix licuit scribere, Vir absolutissime, alias copiosius. Friburgi, II. Calendas Januarias, Anno M. D. XXXI,

ERASMUS. ROTERODAMUS

Georgio Saxoniae Duci

S.

Iam olim quidem compluribus argumentis perspectum habens Illustrissimæ Tuæ Celsitudinis erga me propensum Favorem, & intellegebam & profitebar me illi plurimis maximisque nominibus obligatum esse. Verum, nuper gravioribus etiam nominibus me sibi reddidit obligatiorem, præcipue duobus. Alterum quod, ut ex literis R. D. Christophori Episcopi Augustensis accepi, tuam in Erasnum Benevolentiam apud aliquot Ecclesiæ Proceres, inter quos erant Cardinalis Campegius & Cardinalis Leodiensis, dignatus es profiteri; quo quidem testimonio arbitror Ornamenti Dignitatisque meo nomini non parum accessisse. Alterum quod tam amanter, tamque sollicite dederis operam, ut Senectæ Studiisque meis Otium tranquillum parares ab eo, cui pro delectamento est mihi negotium

tium facessere, literariisque Commentationibus  
obstrepere. Quod Tuæ Sublimitatis studium, ut-  
cunque cætera casura sunt, hoc certe nomine  
mihi fuit felicissimum, quod hac occasione nactus  
sum Amicitiam Viri omni Decorum genere orna-  
tissimi, Julii Pflug: cuius similes utinam quamplu-  
rimos haberet Germania! Mihi quidem multis  
de causis quies non solum optatissima est, ve-  
rum etiam necessaria. Sed si hanc Personam  
Deus humanæ Fabulæ Choragus mihi imposuit,  
partes delegatas agam oportet. In hac harena  
mihi video moriendum esse, nam ut isti vivi  
conquiescant nihil est spei. Nullus est annus,  
quin duos tresve Libellos in caput meum eja-  
culentur Pseudo-Evangelici. Privatas molestias  
facile concoquerem, si publicus Ecclesiæ status ha-  
beret ut velleim. Pacata est Italia, Gallia Cæsari  
nodo, ut ajunt, Herculano fœderata est. In Hi-  
spania nihil est Tempestatis. Negotium Britan-  
nicum de Repudio facile citra Tumultum com-  
ponetur, ut audio, utque novi Regis ingenium.  
Cum Turca sperantur Induciae, quod quidem  
existimo non tantum ad Reipublicæ commoda,  
verum etiam ad Christi Religionem propagan-  
dam esse conducibilius. Si Deus huic Febri Ger-  
manicæ mederi dignaretur absque Bellis intesti-  
nis, sperare liceret aureum quoddam Seculum.  
Tot jam diu Flagellis afflicti sumus, Bellis, Tu-  
multibus, Pestilentiis subinde speciem mutanti-  
bus, summa Caritate rerum atque etiam Penu-  
ria, nec solet Dominus irasci in finem, sed in ira

recor-

recordari Misericordiæ, tantum ut nos toto pe-  
ctore convertamur ad illum, in eum unum figen-  
tes ancoram spei nostræ. Non erat animus Illu-  
strissimam Celsitudinem Tuam hisce literis inter-  
pellare, nisi suam operam ultro detulisset Gene-  
rosus Adolescens, mihique tum ob Eruditionem  
haud vulgarem, tum ob Morum integritatem  
etiam domestica Consuetudine perspectam in pri-  
mis charus & amicus, Andreas Conritz, qui  
cum Fratre suo Erasmio repetit Patriam, reliquo  
hic altero germano Christophoro, qui & ipse di-  
ligenter ac feliciter in Jurisperitorum Literis ex-  
ercet ingenium. Precor ut Illustrissimam C. T. ia-  
columem ac florentem nobis Reique publicæ ser-  
vet Optimus Max. Christus. Apud Friburgum  
Brisgoiæ, Idibus Martiis, Anno a Christo nato  
M. D. XXXI.

### ERASMUS ROTERODAMUS

Danieli Stibaro s. d.

**P**oste aquam tu nos reliquisti, Stibare Charissi-  
me, omnes bona Felicitates me deseruer-  
runt. Nondum redierat vigor ex morbo, quo  
me salutarat Martius. Postridie Paschæ ventuli  
quidam sceleratissimi, qui toto pene Aprili spi-  
rarunt hic, sed a prandio duntaxat, Etesiæ vide-  
bantur: nam ante prandium spirabat Aquilo  
aut Euris, occuparunt alvum infra umbilicum,  
unde tormenta crudelissima. Quum duraret Ma-  
lum, accersivi Medicum, Virum humanum,  
nec indoctum, sed quoniam nec Corpusculum  
hoc, nec mali Naturam novit, nihil hactenus  
attulit

attulit opis, imo quæ dedit fere nocuerunt. In hoc statu jam ultra mensem ago, non aliunde spem habens quam a Misericordia Domini. Multi hic laborant Peste & Sudore pestilentis; Torminibus Alvi non pauci. Si tibi sunt res ex sententia, est quod vehementer gaudeam. De rebus novis puto vos omnia melius scire. Bene vale, Stibare Charissime. Friburgi, 23. Maji, Anno 1530. Periit ille Doctor Hieronymus, qui te vidente ex equo nos invitavit ad Actum solemneum, quum & vos locustarum specie toti virides obequitaretis. Laboravit & Lodovicus Berus, sed nuncunque revaluit. Saluta mihi Mauritium Huttonum amanter.

ERASMUS ROTERODAMUS

Carolo Montjoio s.

**V**ix ullo sermone consequi queam, Carole Juvenis Ornatissime, quod Mæcenatem illum meum Parentem tuum, quo nihil adhuc expertus sum candidius, humanius, amiciusve, conspicor in te mihi repubescere: tantum benevolentis animi, tantum amoris non vulgaris spirant tuæ literæ, ut idem pectus agnoscam, sed vividius & explicatius. Nec dubito quin hæc res non minori voluptati sit Patri tuo, quam est mihi, est autem, mihi crede, suumæ. Compluribus enim tales obtingunt Liberi, ut Patres orbis invideant. Cæterum ubi contigit Hæres, qu Parentem non tam oris lineamentis, quam veri anima

animi Bonis referat, ea demum magna veraque  
voluptas est. Quod ad corporis formam attinet,  
mihi prorsus ignotus es, nisi quod Quirinus me-  
us narravit te hac quoque Hominis parte mi-  
rum in modum reddere Genitorem tuum. Ani-  
mi tui Dotes mihi velut in speculo tua repræsen-  
tavit epistola; quæ, si tuo unius Marte confecta  
fuit, sicuti fuisse nihil addubito, raram quandam  
& eximiam indolem præ se fert, nihilque medio-  
cre nobis de te pollicetur. Clarissimus Genitor  
tuus inter tot præclaras Virtutes, quibus expo-  
litus est, nihil habet mea sententia pulchrius,  
quam singularem illam Modestiam, quæ vix  
dici possit, quantum Ornamentis illius omni-  
bus apponat gratiæ. Modestiæ comes est Urba-  
nitas ac Morum Comitas. Hanc dum tu quoque  
studes egregiis Decoribus tuis veluti colopho-  
nem addere, non committis, ut quicquam pa-  
triæ laudis in te desideremus. Aliarum Virtu-  
tum certissima custos est Modestia. Modestiæ  
porro custos erit, si cogites, quicquid vel animi,  
vel corporis, vel externorum Bonorum tibi con-  
tingit, e Numinis Munificentia profectum esse,  
cui in solidum oportet acceptum ferre, quicquid  
obtingit in hac vita Felicitatis. Est autem ali-  
qua Gratitudinis portio, sua quenque Bona nos-  
se, non quemadmodum novit Narcissus, cui sua  
Philautia fuit exitio. Utiliter sua Bona reputat,  
qui ea veluti nomina supputat, nec aliud colligit  
ex Bonorum suorum contemplatione, nisi ut per-  
spiciat quantopere sit obstrictus Divinæ Beni-  
gni-

gnitati. Eam quo perspicit in se fuisse profundiorem, hoc illi submissior fiat oportet, hoc de twendis, deque recte collocandis quæ accepit sollicitior, quo largiorem agnoscit in se Numinis Benignitateim. Is si quem conspexerit maligniore Fortuna, non ita cogitat: Quanto hic me est inferior: sed ideo Domini Largitas in me plus contulit, ut huic per me subveniret. Ne vulgare Beneficium Numinis existimes, talibus prognatum esse Majoribus, tam amplæ Fortune paratum Hæredem, tot corporis & animi Dotibus esse præditum. Confer aliorum fortis, quorum Virtutibus obstat Generis obscuritas, rei familiaris tenuitas, corporis imbecillitas, ingenii paupertas. Verum, hos qui despicit, non meminit gratuitæ esse Munificentæ quicquid accepit. Qui non opitulatur, non animadvertis, in quem usum creditum sit quod accepit. Quare te hortor, Carole Suavissime, ut hoc voluptatis nobis tuisque omnibus indies augere contendas, tecum ipse certans, ut quotidie te ipso melior evadas. Singularem tuam erga me Pietatem lubens exosculor, animi tui gratissimam voluntatem amplector: tametsi si quid officiorum in Clarissimum Parentem tutum impendi, ille cumulatissime rependit: quod etiam si minus esset factum, tamen hæc voluptas, quam ex tuo profectu capio, iste tuus animus. paratus etiam in meos reponere, si fors tibi serius contingat referendi facultas, quam mihi vitæ finis, mihi pro amplissime relata gratia est. Ea

tantum apud me crescat, quantum tu pulcherius  
mis Cœptis tuis adjeceris incrementi. Quod se-  
rius tuis respondeo literis, adversa Valetudo fuit  
in causa, quæ me tota Æstate discruciat. Quod  
nunc etiam minus apposite respondeo, in causa  
est, quod epistolam tuam in hoc sepositam, ut  
simulatque daretur otium, responderem, nan-  
cisci non potui. Verum hoc alias pensabitur. Do-  
minus Jesus suam in te Munificentiam tueri,  
semperque novis accessionibus augere dignetur,  
Carole Fili Charissime: Idein Conjugium tuum  
bene fortunet. Apud Friburgum Brisgojæ, 8. Cal.  
Septemb. Anno M. D. XXX.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Francisco Thesaurario Besontino s.

**A**lterum e Famulis emandaram in Angliam,  
quem hoc impensius expecto, quod vehe-  
menter cupiam scire, num verus sit Rumor, hic  
jam non novus, magnum illum Angliæ Cardi-  
nalem conjectum esse in Carcerem, atque etiam  
de capite periclitari. O rerum humanarum Eu-  
ripum! Famulus absfuit jam menses tres, & ex-  
pectatur in horas singulas: Ergo quum unus  
mihi tantum adesset, Dilfus pro sua singulari  
Humanitate ambiit hanc provinciam, imo pro-  
pemodum extorsit: neque semel me pœnituit  
Delegationis, cœlo tam incommodo, idque per-  
petuo. Verum ille reversus omnem metum ver-  
tit in gaudium, re tam feliciter gesta. Etenim  
quum pararem illum consolari, ille respondit  
alacri-

alacriter, se sibi gratulari quod Besontionem adierit, quum ob multa, tum ob hoc præcipue, quod talium Virorum Notitiam atque Amicitiam esset nactus. Munus vestrum non alia cura pervexit, quam si Vasa fuissent gemmis differta, nec multo plus impendit, quam Auriga ille furcifer accepit pro vectura, qui vestram corruperat Benignitatem. Semper amavi Juvenis indolem, sed hoc officio, vestraque commendatione factus est mihi longe charior. Supereft ut toties a vobis provocatus cogitem de ratione, qua possim Hominiis ingratii notam effugere. Brunus salutarat me Carmine, ei respondi Carmine Trochaico, sed dissimulans esse Carmen. Dissimulabis & tu, ut animi gratia tentemus, an ipse non mohitus sentiat esse Carmen. Hispaniensium Epistolarum exempla receperain, excepta una Epistola Mercurini nunc Cardinalis, quæ tamen mihi fuit gratissima, erat enim amantissime scripta, & miror ubi illa hæserit. Brevi scripsi in Italiam, nunc non est magnopere quod scribam. Et si quid esset, hac crebro comineant qui perferant. Pergratum tamen est, quod offers tuum officium. Cæsar in Italia triumphat, Ferdinandus luget. Vix hæc ausus sum scribere languidus a Febri ephemera. Alias laceffam te Voluminibus, si sensero, non esse ingratum. Bene vale. Apud Friburgum Brisgojæ, 3. Id. Decemb. M.D.XXIX.

ERASMUS ROTERODAMUS

Petro Castellano s.

P p 2

Video

**V**ideo sane & gaudeo, mi Castellane, te totum  
in hoc esse, ut dictionem expolias, idque  
ad exemplar Budaici characteris, ad cuius æmu-  
lationem Eruditi complures nunc scese conferunt:  
nec me pigeret operæ, si sperarem successum.  
Sed non minus verum est: quam vulgatum,  
Perdifficile esse Senis mutare linguam. Quod  
mihi subinde occinis Comitatem, Humanitatem,  
atque etiam Merita nescio quæ in te mea,  
usque adeo nihil horum agnosco, ut me mei  
pudeat, quoties mecum reputo, quam parvam  
habuerim, quum apud nos essem, tuæ Dignita-  
tis rationem. Sed ita est Hominum ingenium,  
præsentem Virtutem, si non odiimus, ut ait  
Flaccus, certe negligimus, sublatam ex oculis  
quærimus invidi, aut si minus invidi, certe in-  
cogitantes. Quo magis admiror singularem  
istius ingenii Candorem, qui toties prædictes  
Humanitatem meam, cuius Scythicam Inhu-  
manitatem merito posses incusare: neque gra-  
vabor hanc culpam sarcire pro viribus, si vel  
scese dederit occasio, vel tu submontueris, qui-  
bus in rebus tibi possim commodare. Gaudeo  
tibi contigisse Præfulem benevolum, magis ga-  
visurus, si te Mitra bicorni audiero insignitum:  
aut si te non capit hoc Honoris genus, optarim  
tibi Puellam affatim dotatam. Rursus si refu-  
gis capistrum, precor tibi Fortunam Bayfii, cui,  
ut ipse suis literis significavit, contigit Otium  
cum Dignitate. Tempori vigilandum censeo.  
Nimium enim verum est, quod ait Flaccus,  
Eheu!

Eheu! fugaces, Petre, silentio labuntur Anni. Historiam Triumphalem cupide expecto. Habes epistolam αὐτόγεαφον, ut hīc quoque tecum paria faciam, nec ipsa νανογεαφία, ut arbitror, te inferior. Sed heus, illud minimo minus me fugerat. Quam tu mihi narras analogiam ducentiarum epistolarum ad unam? Vix arbitror ullam abs te huc venisse, cui non responderim, hac excepta postrema, in qua significabas te relinquere Lutetiam, nec certo designabas, quo mittiterem, si quid respondereim, nec mihi constabat, quos haberes ibi Amicos. Bene vale. Friburgi, 7. Id. Februarii, Anno M. D. XXXI. juxta vestram supputationem.

ERASMUS ROTERODAMUS  
QUINTINO Suo s.

**M**ontanus suo functus est officio. Admonuit me tui, jussitque tuis verbis salvere. Sed quid hoc est rei? Nihil aliud me de te scire voluisti, nisi quod cupis agnisci pro meo? Nec enim de Studiis tuis, aut rerum tuarum statu verbum ullum. Jam quod petis, jam pridem a me factum est. Scripsi tibi, sed an scriptum meum acceperis nescio. Quî possim autem te profiteri meum, quum tu me tuarum rerum nihil scire velis? Si vis amari, præsta te amabilem: & si vis ut agnoscam te meum, fac ut intelligam liquido me esse tuum. Non hæc scribo, quod sinistri quicquam de te suspicer, sed ut ad officium excitem. Panicus iste Tumultus, quem

excitavit meus Ciceronianus, facit ut aliquantο  
minus, quam soleo, fidam Gallorum ingeniis.  
Bene vale. Friburgi, 7. Id. Martias, Anno a Chri-  
sto nato M.D.XXXI.

ERASMUS ROTERODAMUS  
Christophoro Cancellario Poloniæ s.

**V**ir Clarissime, Martinus Slapus, Juvenis mul-  
tis nominibus mihi tam charus, meique tam  
amans, ut si Filius esset, nec ille potuisset cumu-  
latiorem erga me præstare Pietatem, nec ego  
plus officiorum ab illo requirere, huc reveritus  
effecit, ut tuas literas minus desiderarem, tam  
accurate mihi denarravit tui erga me Studii con-  
stantiam. Unde mihi liquet, te nobis non vulgari  
more, sed ex animo, certoque judicio bene vel-  
le. Nam nec diuturnitatem, quæ fucata sunt,  
ferunt, nec perpetui sunt affectūs, qui non a ju-  
dicio profiscuntur. Nobis cum tenacissimo  
Morbo totos quatuor menses confictandum fuit.  
Torminibus intestinorum successit Apostema, ac  
pene enectum a Medicis, crudelius etiam excar-  
nificavit Chirurgus. Sed, gratia Christo, paula-  
tiū revalescimus, Studiisque reddimur. Scio,  
meminique, Vir Optime, quid Regiæ debeam  
Benignitati, quid tuæ. Voluntas mea jam pri-  
dem in procinctu stat, operiens si quid impere-  
tis: si quid judicabis a me præstari posse, quod  
animo Regio sit non ingratum, beneficii loco  
fuerit, si admonueris. Expectamus hīc jaundiu-  
dum quid nobis pariat Consultatio Principum.  
Cæsar,

Cæsar, ut est singulari Religione præditus, videatur omnia gesturus ex præscripto Pontificis. Res salva est, si nihil præscribet Pontifex, nisi quod Christo gratum est. Quod omnino futurum arbitror, si modo nos promerebimur. Dominus prosperet res tuas in omnibus, Vir ad publicam utilitatem nate. Datum apud Friburgum, postrid. Calend. Septembris. Anno M. D. XXX.

ERASMUS ROTERODAMUS  
Guilhelmo Quinono Mandatori s.

**G**audeo tuum de Montano judicium cum meo consentire, planeque mihi persuasum habeo, te quicquid in illum contuleris beneficiorum, apud optimæ fidei Virum depositurum. Porro, de provehendis illius Studiis, ut mea voluntas cum tua consentit, ita non est par ambobus facultas. Denique non recuso tibi illius nomine sponsor esse, nec metuo sponsionis comitem Aten. Amicus ille noster quibus Furiis agatur nescio, sed exuisse videtur omnem Humanitatem. Levem, ebriolum, nungonein esse sciebam, tantum perfidiæ, tantumque malitiæ nunquam suspicatus sum in eo latere. Quatuor Libellos jam jaculatus est in caput meum suo nomine, duo prodierunt per alium Autorem, sed hujus instinctu: nec videtur unquam facturus finem, donec impigerit in suum malum Genium. In Conclilio Cæsareo dicas Bonæ Deæ tractari Mysteria, adeo vix quisquam novit quid agatur.

Si quid Sectis concedet Cæsar, clamabunt se Vitemores, nec video qui laturi sint illorum insolentiam. Si vicerit altera Pars, quis feret Monachorum Tyrannidem? Quod offers non solum Dominus, verum etiam Facultatum omnium communione, agnosco Pythagoricam Amicitiam, qua utinam proprius frui liceat. Bene vale. Datum apud Friburgum Brisgoæ, 6. die Septembr. Anno M.D. XXX.

ERASMUS ROTERODAMUS  
Georgio Commerstadio

S. D.

**V**etus Græcorum proverbium est, Vir Ornatusse, ἐκ τᾶς ὁρῶν γίνεσθαι τὸ ἐρῶν, quo significabant mutuo conspectu inter Homines Amorem ac Benevolentiam solere gigni. Proinde, merito quis admirari posset, unde inter nos extiterit Amor mutuus, quum neuter, opinor, sit alteri de facie notus, nisi perspicaciores oculos haberet Animis quam Corpora, eoque conspectu multo puriores constantioresque gignerentur Amicitiae, quam Corporum Convictu. Istius Candidissimi simul & Eruditissimi Pectoris Simulachrum suo penicillo depinxit, non minus Fide spectatus, quam Arte præstans Christophorus a Carlewitz, & ad me per eundem pervenerunt officia tua non vulgaria, quæ par est hoc pluris a me fieri; quod ultiro non lacestata venerint. Porro, non amare Virum tot eximiis ornatum Dotibus, illorum est, qui nec Virtutem nec

Eru-

Eruditionem inter res suspiciendas numerant : non redamare autem bene meritum adeo non est grati ingenii, ut nec Hominis sit, vix etiam in Ferarum Genus cadens, quippe quæ Beneficijs Hominium non modo cicurantur & mansuefcunt, verum etiam gratiam reponunt, si quando datur occasio. Quanquam autem una ex parte studium tuum mihi Thrasonis illius prodigiosa Malitia, ne dicam an Stultitia, cessit in detrimen-  
tum, non arbitror tamen gratæ mentis esse, Be-  
neficium ex eventu potius æstimare quam ex vo-  
luntate præstantis. Pro accepto par est haberi,  
quicquid aliquis sincero affectu largiri voluit.  
Quare velim ut posthac Erasinum in tuo ære nu-  
meres, cui nihil futurum est gratius, quam dari  
occasione, qua vicissim declaret, utcunque de-  
est Facultas, referendi tamen officii voluntatein  
accinctam & alacrein non deesse. Inter præ-  
cipuas Felicitates meas numero, quod Illustrissimus  
Princeps Georgius Erasinum dignatur inter suos  
Clientes ponere. Cur enim non magno mihi or-  
namento esse ducam, ab Heroë laudatissimo lau-  
dari. Satis autem laudatur, quem ille suo Fa-  
vore atque etiam Amicitia dignum judicat. Cu-  
jus erga me Favorem ac Benevolentiam, quæso,  
ut quod facere soles, pergas tempestivis & ami-  
cis Sermonibus, quoties se dederit opportunitas,  
tum alere, tum augere, apud quem, ut audio,  
pro tuis egregiis Virtutibus, & Gratia & Auto-  
ritate vales plurimum. Sit hæc epistola Fœde-  
ris, Gratiarum felicibus auspiciis, inter nos icti,

Syngrapha. Bene vale. Datum apud Friburgum  
Brisgoiae, 7. die Junii, Anno M. D. XXXI.

### ERASMUS ROTERODAMUS

Joanni Vlatteno s. d.

**Q**uod rarius ad te scribo, in causa est, quod tu veluti panagæa Diana per omnes Regiones volitans, interdum apud Superos, interdum apud Inferos agis. Sum autem occupatior, quam ut vacet in scribendis epistolis operam perdere. Illud inter nos indubitatum esse oportet, ubicunque terrarum agit Vlattenus, ibi præcipuum quendam esse Erasmi Patronum & Amicum: rursus, ubicunque est Erasmus, ibi Vlatteni juratissimum esse Amicum. Fac ut sciam quid rerum geras. Quid hic agatur, ex Quirino meo cognosces, qui urgente Patre redit in Patriam ad nos non reversurus. Apud me non potuit amplius crescere. Opto tibi perpetuam Prosperitatem. Friburgi, Id. Mart. Anno M. D. XXXI.

### ERASMUS ROTERODAMUS

Joanni Rosino s. d.

**V**ix credas, mi Rosine, quam me tuo illo unico Congressu tibi devinxeris, totumque tuum reddideris. Quanquam enim ingenii tui Candorem, Eruditionem, & Humanitatem extuis literis, tuoque Carmine veluti delineatam animadverteram, tamen eadem omnia e vivo Colloquio, oculis, & ipsa fronte multo perspexi evidentius. Quapropter diem illum inter candi-

candidos mihi numerandum censeo, qui nostram Amicitiam tam amico affatu confirmarit. Restat, ut mutuis officiis ac vicissitudine literarum eam alamus. R. D. Fabrum, cuius copiam mihi spoponderas, hoc facilius habui excusatum, quod tu illius vicem quodammodo apud me explessem. Literis ex Agrippina missis excusavit, quod per Sodales Canonicos non licuisset invisere nos, pollicens in redditu vel cum itineris dispendio se nos aditurum. Sed quod ille pollicebatur, vix ipse mihi sum ausus polliceri, quippe qui scirem omnium minime sui juris esse, qui semet Aulicis negotiis manciparunt. Gaudeo te in Humanissimi Principis Regia honesto loco numeroque jam esse, speroque futurum ut accedat & Census & Dignitas tuæ Doctrinæ tuisque Moribus debita. Quanquam nihil erat seriæ rei, quod ad te scriberem, tamen quum oblatus esset hic Erasmus Adolescens Generosus & Eruditus, non putavi committendum, ut istuc veniret absque meis literis. Bene vale. Datum apud Friburgum Brisgoiæ, decimo 7. Calendas Apriles, Anno a Christo nato M. D. XXX.

### ERASMUS ROTERODAMUS Eobano Hesslo s. d.

**S**uperiores tuas literas, Eobane Doctissime, licet non tam edentulas quam eas videri volebas, hoc æquiore animo perlegi, quod facile suboleret, illas alieno magis impulsu, quam tuo stomacho scriptas esse: proinde moderatius ad eas

eas respondi, nihil omnino responsurus, nisi subinde vocatus fuisset in Civitatis ac Magistratus laesi invidiam, quo telo quidam Evangelici titulo sese jactantes nimium frequenter uti gaudent. Ego ob Dogmatum varietatem nulli Amicitiam renuntiavi, præsertim iis, quos mihi singularis Eruditio conciliavit: in quibus te vel in primis numero, cui contigit, quod M. Tullio fuit negatum, quod Philephus sibi arroganter vindicavit, ut ita pangas Carmen, quasi nunquam at tigeris solutam Orationem: ita scribas Profanam, quasi cum Musis nihil unquam fuerit commercii. Hoc Divorum munus tu studio atque usu ad sumimum usque perduxisti. Qui potuit igitur meus in te amor refrigescere, quum in te auge scat indies, id quod me in tui admirationem rapuit? De adito Lovanio nihil excidit. Memini ut veneris cum Ægravio Sylvio, nec sine munusculo, quamque frigide fueris acceptus: in causa fuit quod ob valetudinem ab omnibus Conviviis abhorrem; præterea quod tum temporis alternis ferme diebus adessent e Germania Salutatorum Juga, quorum nemo voluit discedere, nisi literis onustus. Jam tum moliri videbantur hanc Fabulam, a qua semper abhorri: eam utcunque coeptam progressaque precor ut Deus ἀπὸ μηχανῆς vertat in lætum exitum. Anselmus Ephorinus, Vir singulari Doctrina, parique Morum probitate, quem commendasti, mihi gratissimus est Convictor, quo tamen non dabitur diutius frui. Sub Autumnum petet Italiam.

liam. Agnosco verissimum esse quod scribis, Si totus ille Thraso æstimetur, non valet dupondio. Hercules tamen nunquam congressus est cum Monstro pertinaciore. Omnia concoxi, ne per me consequeretur quod ambit. Pascitur mendacii non aliter quam Chamæleon aura, nec quicquam habet dulcius quam fuso quæsitas gloriolas. Mirareris si per nos Fabulae. Sed certum est posthac negligere gloriosum Militem. Legi Epicedia tua, sed nullum majore cum animi dolore quam Bilibaldi. Joachimus plus habere videtur curæ quam naturæ. Non omnia possumus omnes. In Scazonte novam usurpavit Libertatem, haud scio quem sequutus Autorem: nam quos ego legi, semper finiunt versum Cretico & Spondæo. Vide quam sim curiosus rerum alienarum. Sed Joachimum mihi salutabis amanter. Utinam tuo commodo fiat, ut nos hîc aliquando visas. Lovanii vidisti Hominis umbram, nunc visturus es Umbram Umbræ. Theocritus tuus hîc nondum prostat, sed curabo aliquid. Quidam narrarunt mihi edidisse te ingens Volumen Epigrainattum, in quo esset crebra mei mentio: id an verum sit nescio, certe hactenus nancisci non potui. Bene vale, Eobane Doctissime. Friburgi, prid. Pentecostes, sive 17. Maji, Anno M. D. XXXI.

ERASMUS ROTERODAMUS  
Joanni Erasmo Frobenio s. d.

E pistolum ad te meum, quod hîc per obli-  
vionem, ut opinor, reliqueras, tibi remit-

to:

to : dixeras enim hoc inter tibi charissima ~~ne-~~  
~~pñlæ~~ reponendum esse. Mitto & Colloquia fu-  
niculis ornata, quæ si frequenter in manus sum-  
pseris, fiet ut etiam absentes inter nos misceamus  
Colloquium. Priusquam relinquas Basileam, fac  
ad me perscribas, quam tibi successerit Equitatio,  
quamque felicibus auspiciis te tua Patria redu-  
cem exceperit. Quod si non pœnitet Migratio-  
nis, nos tui desiderium moderatius fereimus. Sin  
& alacrius & majore tuo bono vivis alibi, quam  
apud nos vixisti, gratulamur etiam tuæ Felicitati.  
Neque enim alia conditione te dimisimus, quam  
ut alibi magis ex animi tui sententia, fructuque  
uberiore vitam ageres. Id si contingit, plus  
capiam voluptatis ex tuis commodis, quam ex  
absentia molestiæ. Sin minus, non dimisimus  
te, nisi hic redditum, donec sese offerat com-  
modior occasio. Proinde fac scribas & quam-  
primum & ex animo. Si non offertur alius certi-  
or, poteris per Bonifacium Amerbachium tuto  
quæ voles significare. Scito nullas meas literas  
ad te venturas inanes. Bene vale, Suavissime  
Erasmi. Saluta tuos omnes meis verbis. Salutat  
te Hajo. Nam Cannius, uti conjicio, scribet ipse.  
Datum apud Friburgum Brisgoûm, postrid. Cal.  
Novemb. Anno M. D. XXIX.

ERASMUS ROTERODAMUS  
Joanni Henkello s. p.

Saltem hoc nomine amo Bellerophontem no-  
strum, quod bona fide reddidit, quæ man-  
dave-

daveramus. Nunc scribit sibi nihil deesse præter duodecim aureos, quibus emat equum & pano- pliam adversus Turcas. Nam his atrocia precat- tur. Mi Henkelle, vix ullis verbis assequi vale- am, quantæ mihi voluptati fuerit, quod incom- parabilis illa Heroina, multo Pietate quam tot Regum ac Cæsarum StemmatiS illustrior, Vidu- am nostram tanto amplexa est affectu: sed rur- sum pudet pigetque, nec materiam, nec tractatio- nem vel animo meo vel illius Meritis respondere. Quid est autem, Vir Optime, quod tu mihi tuo quoque nomine gratias agis pro tantillo officio- lo, quo nonnihil verebar, ne tua offendetur Modestia? Quare mihi cumulatissimam ab utro- que relatam gratiam existimo, vel ipse potius me debere ambobus profiteor; tibi, qui huc insti- garis alioqui cessatorem; illi, quæ qualemque munusculum tam candide sit interpretata. Ita- que non est quod hæc res te sollicitum habeat. Quodsi per horum Temporum Tumultus lice- bit aliquod vicissim μνημότυνον mittere, quod & ornet accipientem, nec gravet dantem, quicquid erit, eodem accipiam candore, quo vos meam opellam estis amplèxi. Audis ambitionis vo- cem, non avaritiae. Sunt, qui putent aprum il- lum τρεις ἀργειον non fuisse provocandum. Sed tamen posteaquam hoc factum est, ita volente Deo, sicut ego quidem interpretor, majorem in modum gaudeo, rerum exordia Ferdinandi au- spiciis feliciter succedere, speroque futurum, ut duorum Fratrum juncta Potentia frangat, aut cer-

te mitiget illius violentiam. Utinam brevior fuisset nobis rixa cum Gallis, atque hoc negotium maturius fuisset suscepturn. Sed aliud Meritis nostris debebatur, & fortassis hoc magis expediebat Orbi Christiano. Mihi vero non paulo plus spei est in Pietate Cæsaris & Ferdinandi, quam in Opibus, Copiis & Armis. Tibi cum Podagra rem esse, vehementer doleo. Sed quid est in rebus humanis ab omni parte beatum? Etiam atque etiam te rogo, ut Clarissimæ Patronæ tuæ me commendes diligenter. Bene vale. Datum Friburgi Brisgoiae, postridie Calend. Novemb. Anno M. D. XXIX.

### ERASMUS ROTERODAMUS

Francisco Vergaræ s.

**Q**uod Dilsum meum, qui has tibi reddet, tam comiter amplexus es, & hospitem & ignotum, agnovi, mi Francisce, & exosculatus sum ingenii tui Candorem, mihi quidem antea non ignotum, sed perquam jucundum fuit illius memoriam hac occasione renovari. Erat iste animus optimus felicissimo Domicilio dignus, sed ita sunt res humanæ, nihil est diu lætum, aut ex omni parte beatum. Accipimus autem, eos Viros, qui præcipuis animi Dotibus excelluerunt, fere fuisse valetudinarios. Sed post Nubila succedet Serenitas: & si non succedat, magna Mali pars abest, si adsit fortis & æquus animus. Spero tamen futurum, ut brevi lætior ad nos de te nuntius redeat. Nova Lues, jam olim uni Bri-

Britanniæ peculiaris, subito se sparsit per universas Nationes, atque initio quoniam Malum erat subitum & horrendum, videlicet intra horas viginti quatuor sœpe pauciores exanimans quam invaserat, animos omnium terrore perculit, adeo ut multis metus & imaginatio Morbum conciliarit: corripuit plurimos, pauciores tamen extinxit, quam solet jam nimium Orbi nota Epidemia; mox nulli fere perierte, nisi per imperitiam Medicorum, aut neglectam ægroti curam. Hæc Pestis si vestram Hispaniam non attigit, est quod illi vehementer gratuler. Dominus te nobis restituat incolunem, Vergara Charissime. Datum apud Friburgum Brisgojæ, Idibus Januariis, Anno M. D. XXXI.

ERASMUS ROTERODAMUS  
Joann: & Bernardo Boëiiis

S.

**Q**uuin hic Franciscus Dilfus, Juvenis pluribus ornatus Dotibus, honestissimo apud suos loco, mihiique multis nominibus charissimus, decrevisset isthinc in Hispaniam solvere, non putavi committendum, ut tam bonam occasionem paterer mihi frustra objectam. Huic in mandatis dedi, ut vos conveniret, meisque verbis salutem diceret, & si qua cupiditas vos tenet cognoscendi, quid agat Erasimus, ex hoc licebit omnia discere, qui multo tempore in eum domesticam habuit Consuetudinem. Inter Amicitiam, quæ mihi cum Patre felicis memoria vestro interces-

Qq

sit,

fit, nonnulla incidunt nubecula: nostra, ut scitis, nunquam fuit interrupta. Proinde spes est nondum prorsus excidisse vobis Erasmus, olim fortē Virum, quum cum Scarabæo decertaret, nunc in Senecta factum Gladiatorem, ut cui assidue cum tot Monstris sit depugnandum. Mihi magnopere jucundum erit, si cognovero vos in columnes, & in olim feliciter cœptis Studiis gnaviter desudare. Bene valete. Datum apud Friburgum Brisgojæ, Idibus Januariis, Anno M. D. XXXI.

ERASMUS ROTERODAMUS  
Conrado Herbipolensi Episcopo

s. d.

**Q**uoniam, ut accipio, non infeliciter cessit audacia mea, quod Celsitudinem Tuam per R. D. Marium appellari, non sum veritus idem nunc facere, præsertim nactus tam commodum Latorem, ut commodiorem optare non possum, Danielem Stibarum, quicum mihi quondam Basileæ, nunc etiam Friburgi menses aliquot domestica fuit Consuetudo; & quod olim in præcipua Amicitia parte penebatur, Mensa communis nos aliquandiu junxit. Nec antehac unquam expertus sum quenquam sanctioribus, purioribus, aut commodioribus Moribus Juvenem. Itaque quemadmodum unus Convictus ad omne, vel studiorum, vel molestiarum, vel Senii tedium abunde magno solatio; ita Discessus illius mihi fuit tristissimus: quem

quem tamen hoc nomine fero moderatius, quod  
fuo bono revocatur in Patriam. Ipsi celeberrimo  
Collegio non possum non vehementer gra-  
tulari, tot egregiis animi Dotibus ornatum Contu-  
bernalem, cui si liberum esset unum adhuc aut  
alterum annum honestissimarum Disciplinarum  
studio dare, tanto plus & decoris & utilitatis ad-  
ferret cum suo Collegio, tum tuæ R. Celsitudini,  
erga quam, sicuti par est, & amanter, & reveren-  
ter affectus est. Non sumam operam in eo tibi  
commendando, neque enim quisquam commen-  
dat eximias Geminas Divitiarum Admiratori: ita  
Virtus insignis apud tam egregium Probitatis Ama-  
torem non eget Commendatione. Ostendisse  
modo, commendasse est. Si quid erit, in quo  
nostra opella posset Amplitudini Tuæ gratum fa-  
cere, senties eam ad omnia jussa paratissimam.  
Dominus E. A. T. servet incolumem. Datum  
apud Friburgum Brisgojæ, postrid. Calend. April.  
Anno a Christo nato M. D. XXX.

CLARISS. VIRO D. JULIO PFLUG,  
Serenissimi Georgii Ducis a Consiliis,  
Erasmus Roterod. s.

L iteras tuas, Ornatisime Juli, semper desi-  
dero, veniunt enim mihi multo gratissi-  
mæ. Scribendi tamen officium nusquam abs-  
te requiro, qui sciam istam Humanitatem tuam  
nusquam in officio cessare posse. De Synodi  
Decretis factus sum aliorum literis certior. Bene  
habet, si Conso litatum est, nunc superest, ut

τὸν ἐνυδάλιον nobis propitiemus. At non nihil  
vereor, ne τεῖς μέγιστος ἐκένως καὶ τειστέΦα-  
νος faciat, quod Remiges solent, qui quum alio  
spectent, alio Navim impellunt. Sed quando  
hæc, ut ait Homerus, θεῶν ἐπὶ γύναις sita sunt,  
nobis nihil restat, nisi ut preceimur lætum exi-  
tum. Epistolam meam laudum tuarum buccin-  
atricem, quam dicas non satis intelligo. Nec  
tamen est, mihi Juli, cur eo nomine gratias agas.  
Scitum est illud Euripidis, ni fallor, cui quum  
quidam dixisset: Ego te ubique & apud omnes  
magnopere prædico; &, ego, inquit, illud tibi  
præstavi, ut vera prædicares. Retulit Laudatori  
gratiam, qui se præbuit laudibus dignum. Vale.  
Datum Friburgi, decimo Calendas Septembris,  
Anno M. D. XXXII.

JACOBUS SADOLETUS, EPISCOPUS  
Carpentoracti, Erasmo Rot. s. d.

**L**egi tuas literas libenter: scriptæ enim sim-  
pliciter & candide sunt, plenæ erga Deum  
Pietatis, in hunc vere summum & optimum  
Pontificem observantiæ: cuius admodum est  
propensa tuis Commodis omnibus Voluntas.  
Habeoque gratiam Bonifacio, mire probo & erudi-  
to Juveni, qui tibi occasionem dederit ad  
me scribendi, & mihi respondendi tibi: quan-  
quam enim intus mihi in animo inclusus resi-  
debat tui amor, debitus ille quidem præstanti-  
bus Virtutibus tuis: non erupisset tamen etiam-  
dum is in actum, si non Bonifacius suis amicissi-  
mis

mis officiis hanc Salutationem literariam inter nos conciliasset. Pontificis in te uberior fuisse Liberalitas, ni his difficillimis Temporibus ipse quoque ad angustias redactus esset: tanta est rerum omnium Perturbatio, & quotidianorum sumptuum, impendiorumque effusio, ut sustinere ægre possit. Sed erit locus aliquando & ornandi & augendi tui. Librum tuum adhuc non legi: nam neque dum habui ejus potestateim, & eram maximis occupationibus impeditus: certus sum at tamen similem eum esse reliquorum tuorum, quæ mihi plurima & lecta & probata sunt. Tibique ego in eo magnopere gratulor, quo ingenio tuo præstanti & singulari otium suppeditatum est, quo facile posses tuæ Doctrinæ præclara Monumenta in Posteritate propagare, ex quibus tuum nomen perpetuum futurum sit. Quam obrem quod te solus jam Deus beare possit, ut tu ipse scribis, hîc iam deficientem, agnosco Pietatem tuam & summopere laudo: illud non accipio, te ut deficientem debeas appellare, cuius Virtus memoria omnium Seculorum celebrabitur sempiterna: qui fructus eti posterior est longe Cœlestibus Præmiis, tamen a te neutquam est contemnendus. Ego, quod meum est, si quid obtineo Autoritatis & Gratiæ, quod quidem perquam puerillum est, tibi tamen totum ita polliceor & defero: ut si erit agendum tua causa quippiam, nihil tibi meo studio & opera futurum sit paratius Vale. Ex urbe, 8. Idus Novembr. Anno M. D. XXIV.

## PETRUS BEMBUS ERASMO ROTEROD.

S. D.

**N**æ tu Homo es mirificus, qui, cum velles ut Ludovicum Berum perfamiliarem tuum Romanum proficiscentem cognoscerem, mandasti ei Chirographo tuo, ut me de via inviseret. Ille vero cum istinc discedens Mediolanum, deinde ad Urbem recta se contulisset, ut tibi morem gerendi facultas eunti defuerit, in reditu alio itinere suscepto Patavium venit, meque humanissime inviens pluriā abs te salutem attulit. Qua de re valde te amo: prudentem enim Hominem & gravem, & doctum Virum, &, ut mihi visus est, summa Religione præditum & ingenio præstantem cognovi. Porro, is percontanti mihi se de statu tuo multa dixit, longumque de te sermonem habuit: ex quo optimum erga te Pauli Pont. Max. animum atque mentem perspexi: cuius etiam ad te Berus literas afferebat cum mandatis ad tuam Dignitatem perhonorificis. Ego autem vehementer lætor Doctrinam singularem tuam, & Probitatem, & continentes atque perpetuos tot annorum labores, quibus te plane confecisti, ut nostros Homines Scriptis erudires & Iocupletares tuis, apud illum Virum omnium Hominum Principem eo loci esse, quo merentur. Itaque, modo recte valeas, neque te imbecillitas impedit tua, mihi spes est, te ab eo omnia summa Honoris & Dignitatis Insignia brevi consequuturum. Quare te, mi Erasme, hortor, ut Vale-

Valetudini tuæ servias; conservesque te cum nobis amantissimis tui, tum Fortunæ, quæ se hilariis, ut tibi præsto fit, parat. Vale. Patavio, 12. Calendas Quintiles, Anno a Natali M. D. XXXV.

MERCURINUS CATTINARIUS,

Caroli Cæsaris Cancellarius,  
Erasmo Roterodamo

s. d.

**P**ræstantissime Vir, heri redditæ mihi sunt litteræ tuæ, quibus vereri te ostendis, ne aliquæ Obtrectatorum subortæ sint adversus te calumniæ, teque, quantum potes, excusas, purgasque. Inprimis facere non possum, quin pro ea, quam de me habes, opinione ac fiducia plurimas tibi gratias agam. Credo enim potuisse te semper facile colligere, qui meus esset in te animus, & sane talis, quo promptiorem Amicus quisquam ab altero sperare non auderet. Certe quantum in me fuit, non solum tuas excusationes libens accipio, verum etiam id effecere, ut quum antea aliter de te, atque scribis, cogitare non possem, nunc vero illud ipsum videar intueri. Nihil enim unquam fuit, quare te unicum Bonarum Literarum in Germania Lumen, ac qui labores omnes tuos, vitamque ipsam, ad ornandam illustrandamque Orthodoxam Fidem consultasti, in hisque dies & noctes desudas, credere deberem latum unguem a sacrosanctis ejus Institutis discedere, aut ullo modo aliter sentire: Bonosque omnes dicere possum cognovisse me ejus

Q q 4

esse

esse sententiæ. Quod si forte quid te in suspicionem vocaverat, quod tamen non usque adeo mihi compertum est, esse potuit stilus quorundam Librorum, qui ad tuum maxime declinare videbatur, qui tamen & incerto Autore editi erant, &, ut brevibus dicam, hæretici nihil in se continent. Quare eo animo esse debes, ut omnino tibi persuadeas, te apud Bonos non solum alienum ab omni suspicione, sed datus nos etiam obnixe operam, ut si quid quorundam inhaesisset animis, indies liberior evadas; tibique me semper eum futurum, qui & te ipsum, & labores tuos quanti faciat, malit te re ipsa, quam verbis experiri. Vale. Vormatiæ, 5. Aprilis, An. M. D. XXI.

## E R A S M U S   R O T E R O D A M U S

Senatui Besontino s.

**M**agnifici Domini & Patroni semper Observandi, Humanitatem vestram, quam jam non semel offertis supra quam ego fuisse ausus petere, toto pectore amplector atque exoscular. Munus vero honorarium, licet mihi multo gratissimum, non tamen fine pudore accepi. Nec enim potuit non esse gratissimum, quod a talibus Viris ultro missum est, nec ambienti, nec expectanti. Sed huic voluptati non nullus pudor fuit adjunctus, dum reputo quam nihil unquam vel de vobis, vel de Republica, cui præsideris, sum bene meritus. Nec omnino quid gratiae queam repicare video. Illud tamen bona fide polliceor, me, si quis subimoneat, qua in re possim Dominis meis

meis optime de me meritis vicissim aliquid gratum facere, manibus pedibusque enixurum, ut intelligent studium promptamque voluntatem suo Clienti non defuisse. Dominus inclytum Senatum vestrum, ac præclaram Rempublicam soppitet ac prosperet in omnibus. Datum apud Friburgum, 12. die Martii, Anno a Christo nato M. D. XXXIII.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Senatui Besontino s.

Magnifici & plurimum honorandi Domini, quum res Basileæ mutatae cogerent me Hospitium vetus & ob id gratum relinquere, cogitabam de commigrando Besontium, nimirum expertus jam per occasionem, tum vestram tum Canonicorum Humanitatem. A Canonicis tum responsum est istic esse nescio quid dissidii, itaque satius esse migrationem in aliud differre tempus. Ita factum est, ut in approbante & suis litteris commendante me Rege Ferdinando ad Friburgum vicinum me contulerim: ubi jam duos annos & ultra vixi, gratus omnibus, sed imprimis Academiæ. Nec interim fui cuiquam gravis impendio, meo succo vicitans. At nunc, quoniam video omnia in suspenso esse, nonnulla etiam Bellorum aut Tumultuum præfigia, quæ quidem opto vana esse, sed si quid tale accidat, ubivis malum esse, quam Friburgi. Huc enim se contulerunt & hodie conferunt, qui Basileam odio Sectarum reliquerint, a quibus illi suspicantur instigari Monarchs ut Rem Ecclesiasticam

armis vindicent. Oppidum est elegans & amœnum, sed maligna rerum copia: & hoc corpusculum senile jam & afflictæ valetudinis cum aliis plurimis subsidiiis eget, tum maxime vino Burgundiaco, quod huic stomacho cum Germanicis pessime convenit. Quum autem ea istinc huic adferri curo, præter iniqua impendia, aut veniunt qualia nolim, aut in itinere per Aurigas vitiantur. Speramus quidem omnia fore tranquilla: sed tamen, si quid extiterit, quod nolumus, mihi gratum esset Urbis istius Hospitio ad tempus uti. Nemo per me gravabitur; est gratia Superis, unde aliam hoc corpusculum. Nec cum ulla Secta mihi commercium est. Nullos habeo Discipulos nisi cum Christo communes, nec habiturus sum volente Deo. De Vitiis Hominum quædam admonui, quæ nonnihil offendunt morosos quosdam, quiun magis oportuerit ea corrigeret, quam succensere bene monenti. Tantum quæro Portum & tranquillam Sedem huic ætati & valetudini. Vocatus sum & vocor alio splendidis conditionibus, sed non est Consilium egredi Cæsareæ Ditionis pomæria, cuius singulari Favore hactenus substiti adversus malevolorum conatus. Quod si vestra Sapientia putabit hoc quoque ad rem pertinere, verbo facilliime impetrabo, & a Cæsare & a Ferdinando literas commendatitias. Quanquam, quæ vestra Humanitas est, nec illorum Commendatione, nec his meis literis opus esse arbitror. Attamen propter varias Hominum sententias, variosque affectus visum est nihil tenetare,

tare, nisi prius exploratis animis vestris, sine quo-  
rum Favore nescio an istic tranquillam Sedem  
habere liceat. Quamobrem vestra Clarissima Cel-  
situdo non gravabitur paucis verbis huic episto-  
læ respondere, cui me semper addictum Clien-  
tem fore profiteor, quæcunque Erasmus est ha-  
bitura Regio. Vos omnes sospitet, resque vestras  
bene fortunet Dominus Jesus. Apud Friburgum  
Brisgojæ, postridie Jacobi Apostoli, An. M.D.XXXI.

**E R A S M U S   R O T E R O D A M U S**

Lodovico, Montis S. Mariæ & Chari-  
tatis Abbati, s. d.

**R**everende Domine ac Pater mihi multis no-  
minibus suspiciende, Gilbertus Cognatus  
mihi jam plusquam triennium fidelem & com-  
modum præsttit Famulum, quem ego tamen  
ob mores liberales non tam pro Famulo habui,  
quam pro Convictore, & in Studiorum laboribus  
Socio. Proinde & tuæ R. Amplitudini gratulor  
talem Cognatum, & illi multo magis tam ami-  
cum & benignum Patronum. Quo nomine sicut  
ille tibi debet plurimum, ita & ipse gratias ago.  
Nam meæ fortunæ tales sunt, ut mihi magis in  
promptu sit communicare literas quam Divitias,  
aut dare Sacerdotia. Spero autem fore, ut illum  
temporis apud me peracti non pœniteat. Nam  
præter Eruditionis fructum, quem ex mea Con-  
suetudine cepit haud pœnitendum, novit Tua  
Prudentia, quot illecebris Juventus suo relictæ  
arbitrio sollicitetur ad corruptelas. Poterat alibi  
nonni-

nonnihil attrahere contagii a Sectarum Amato-  
ribus. Apud me vero etiam si quid attraxisset, pur-  
gari potuit. Tum ea est vitæ nostræ ratio, ut nul-  
lum sit otium serviendi voluptatibus, etiam si quis  
appetat. Hunc ego fructum arbitror in ratione  
præmiorum haudquaquam postremum mereri  
calculum. Sic autem meritus est de me, ut meas  
fortunulas semper sit habiturus communes, &  
præterea si quid officio præstare valuero. Nunc  
perquam ægre illo careo: itaque vehementer  
gratum fuerit, si quainprimum ad nos recurrat.  
Te vero magnopere rogo, ut in illo fovendo  
tui similis esse pergas. Crede mihi, recte collo-  
caris Benignitatem istam, etiam si tibi sanguine  
junctus non esset. Quod si Erasmus in tuorum  
numerum adscribere dignaberis, pro uno Cliente  
duos es habiturus. Bene valeat T.R.A. Friburgi,  
ii. die Decembris, Anno Domini M. D. XXXIII.

### ERASMUS ROTERODAMUS Simoni Leigniero s. d.

**A**manter tu quidem, Vir Optime, qui Vi-  
num ultro obtuleris, sed Gilbertus Cognatus  
parum fecit prudenter, qui acceperit. Mihi  
vero tua Benignitas hoc nomine multo gratior  
est, quod spontanea atque inexpectata. Quod  
de Filiis mones faciam diligenter, & si qua alia  
in re possim illis commodare, præstabo grati ac  
memoris Hominis officium. Non excidit mihi  
quantum debeam inclyto Senatui Besontino, &  
hoc cœlum perpetuo nebulosum ac nubilum du-  
re

re me tractat. Cæsar revocat me in Brabantiam, quo si per debilitatem corpusculi proficisci non licet, conabor isthuc usque prorepere. Det Dominus ut omnes Amicos meos offendam incolumes. Vale cum Tibi Charissimis. Friburgi, 19. die Novemb. Anno M. D. XXXIII.

### ERASMUS ROTERODAMUS

Lodovico Bero s. d.

**M**isi Procuratorum de Facultate vendendrum ædium. Nunc mitto Gilbertum meum, ut Supellecitem divendat, & Famulam benignis rationibus ableget. Non mediocre lucrum facit, qui litem pecunia redimit. Quod si Vir Clarissimus D. Petrus Rich persistit in sententia, nihil obstat, quo minus immigret, quum volet. Ego mecum reputans quot Decoribus sit ornatus, quantoque studio tu causam illius per literas mecum egeris, nihil muto, atque etiam mihi gratulor, quod ædes meæ tam honesto Domino sint servituræ, tibi tanquam conjunctissimo Amico futuræ communes. Nolim hic jaçtare, quod facio libenter. Nihil tamen verear dejerare, me in caminos, in fenestras, in contabulaturam, in tectorum & ostiorum reparacionem impendisse supra centum florenos. Sed Opifices & Tribunus tractaverunt me ut Hospitali. Illud admonebis D. Custodem, in cubiculo, in quo erant Libri mei, sub tabulis esse lateres integros & intactos, si forte malit. Eo libentius explicò me ab ædibus præsente pecunia, tametsi

cum

cum aliquo damno, quod hic non alio animo hæreo, quam Nautæ solent, quoties æstu desituuntur, jacere ancoram tantisper donec recurrat. Hanc Parabolam vix arbitror abs te intelligi, cui nescio an unquam res fuerit cum Mari. Scripseras R. D. Puccium non esse Romæ. Spero res esse salvas. Neque enim arbitror ad eum pertinere, quod Rumor sparsit de Card. Mediceo; fortasse Pestis abegit eum. Clarissimo Domino Custodi precor felicem Migrationem. Tibi tuoque Fratri Francisco & Amico singulari læta in Christo omnia. Basileæ, Natali S. Matthæi, Anno M. D. XXXV.

## ERASMUS ROTERODAMUS

Joanni Clebergero s.

**V**ir animo meo Charissime, nihil erat feriæ rei, de quo ad te scriberem: tamen quum oblati essent Homines bene certi, per quos scriberem, & suspicarer te istuc in Mercatu adfuturum, facere non potui, quin salutatrice epistola, quamvis brevi, testarer, miserum Erasmus, quem Basileæ bis vidisti semianimum, adhuc spirare (non enim ausim dicere vivere) & adhuc tuæ Humanitatis memorem esse. Quod si cognovero te incolumem, resque omnes ex animi sententia esse, erit quod majorem in modum gaudeam. Si quid me scire voles, per eos, qui has reddent, poteris tuto significare. Pontifex triumphat cum suis Cardinalibus: sed magis illis gratularemur, si Triumphus hic esset totius Ecclesiæ communis. Bene vale. Friburgi Brisgojæ, 20. Oct. A. M. D. XXXII.

TABU-

TABULA AFFIXA AD SEPULCHRUM  
THOMÆ MORI.

**T**homus Morus urbe Londinensi, familia non celebri sed honesta natus, in Literis utcunque versatus, quum & causas aliquot annos Juvenis egisset in Foro, & in Urbe sua pro Shyreno jus dixisset, ab invictissimo Rege Henrico Octavo (cui uni Regum omnium gloria prius inaudita contigit, ut Fidei Defensor, quam & gladio se & calamo vere præstítit, merito vocaretur) adscitus in Aulam est, delectusque in Consilium, & creatus Eques, Proquæstor priuus, post Cancellarius Lancastriæ, tandem Angliæ, miro Principis favore factus est. Sed interim in publico Regni Senatu lectus est Orator Populi: præterea Legatus Regis nonnunquam fuit, alias alibi: postremo vero Cameraci Comes & Collega junctus Princi Legationis Cuthberto Tonstallo, tum Londinensi mox Dunelmensi Episcopo, quo Viro vix habet Orbis hodie quicquam eruditius, prudentius, melius. Ibi inter summos Orbis Christiani Monarchas rursus refecta Fœdera, redditamque Mundo diu desideratam Pacem, & lætissimus vidit, & Legatus iuterfuit: Quam Superi Pacem firment, faxintque perennem.

In hoc officiorum vel honorum cursu, quum ita versaretur, ut neque Princeps optimus operam ejus improbaret, neque Nobilibus esset invisus, nec injucundus Populo, Furibus

bus autem, Homicidis, Hæreticisque molestus,  
Pater ejus tandem Joannes Morus Eques, & in  
eum Judicum Ordinem a Principe cooptatus,  
qui regius Confessus vocatur, Homo civilis, suau-  
vis, innocens, mitis, misericors, æquus & inte-  
ger, annis quidem gravis, sed corpore plusquam  
pro ætate vivido, postquam eo productam sibi  
vitam vidi, ut Filium videret Angliae Cancel-  
larium, satis in terra jam se moratum ratus, libens  
emigravit in Cœlum. At Filius defuncto Patre,  
cui quam diu supererat comparatus, & Juvenis  
vocari confueverat, & ipse quoque sibi videba-  
tur, amissum jam Patrem requirens, & editos  
ex se Liberos quatuor ac Nepotes undecim re-  
spiciens, apud animum suum cœpit per senescen-  
ce. Auxit hunc affectum animi subsecuta statim,  
velut adpetentis Senii signum, pectoris Valetu-  
do deterior. Itaque mortalium harum rerum sa-  
tur, quam rem a puero pene semper optaverat,  
ut ultimos aliquot vitæ suæ annos obtineret li-  
beros, quibus hujus vitæ negotiis paulatim se  
subducens futuræ posset immortalitatem medi-  
tari. Eam rem tandem (si Cœptis annuat Deus)  
indulgentissimi Principis incomparabili Benefi-  
cio resignatis Honoribus impetravit: atque hoc  
Sepulchrum sibi, quod Mortis eum nunquam  
cessantis adrepere quotidie commonefaceret,  
translatiis huc prioris Uxoris ossibus, extruen-  
dum curavit. Quod ne superstes frustra sibi fece-  
rit, neve ingruente trepidus Mortem horreat,  
sed desiderio Christi libens oppetat, Morte inque  
ut

ut sibi non omnino Morrem, sed Januam Vitæ  
felicioris inveniat, precibus eum piis, Lector  
Optime, spirantem precor defunctumque prose-  
quere.

### EPITAPHIUM INIBI FIXUM.

Chara Thomæ jacet hîc Joanna Uxorcula Mori,  
Qui Tumulum Aliciae hunc destino, quique  
mihi.

Una mihi dedit hoc conjuncta, virentibus annis,  
Me vocet ut Puer & trina Puella Patrem.

Altera Privignis (quæ gloria rara Novercæ est)  
Tam pia, quam Gnatis vix fuit ulla suis,

Altera sic mecum vixit, sic altera vivit,  
Charior, incertum est, hæc sit, an hæc fuerit.

O simul, o juncti poteramus vivere nos tres!  
Quam bene! si Fatum Relligioque finant.

At societ Tumulus, societ nos obsecro Cœlum,  
Sic Mors, non potuit quod dare vita, dabit.

EPISTOLA  
D. ERASMI ROTERODAMI  
rationem fere totius vitæ ejus  
continens.

REVERENDO PATRI SERVATIO,  
Erasinus s. d.

H umanissime Pater, literæ tuæ per pluri-  
morum jactatæ manus, tandem ad me  
quoque pervenerunt jam Angliam ingressum:

Rr

quaest

quæ mihi sane voluptatem incredibilem attulerunt, quod veterem illum tuum in me animum adhuc spirant. Paucis autem respondebo, ut potest ex itinere jam scribens, & ad ea, quæ tu potissimum scribis, & ad rem maxime pertinent: tam varia est Hominum sententia, & suis cuique Avium cantus, ut omnibus satisfieri non possit. Ego certe hoc sum animo, ut, quod sit factu optimum, sequi velim. Testis est mihi Deus: nam si quid olim juveniliter sensi, id partim Ætas, partim rerum Usus correxit. Nunquam mihi fuit consilium vel Vitæ genus, vel Cultum mutare, non quod probarem, sed ne cui scandalo essem. Scis enim me ad id Vitæ genus Tutorum pertinacia, & aliorum improbis hortatibus adactum magis esse, quam inductum, tunc Cornelii Wertemi convitiis & pudore quodam puerili fuisse retentum, cum intelligerem mihi hoc vitæ genus haudquaquam aptum esse. Nam non omnibus congruunt omnia. Jejuniorum impatiens semper fui, idque peculiari quadam corporis ratione, semel excitatus e somno, nunquam potui redormiscere, nisi post horas aliquot. Ad Literas tantum rapiebatur animis, quartum istic nullus usus, adeo ut non dubitem, si in aliquod liberum Vitæ genus incidisse, non solum inter Felices, verum etiam inter Bonos potuerim numerari. Itaque cum intelligerem me nequaquam esse idoneum isti generi Vitæ, coactum, non sponte suscepisse, tamen quia suscepsum est publica Seculi nostri opinione, piaculum esse a semel susceptæ

sceptæ Vitæ genere desciscere, decreveram & hanc infelicitatis me partem fortiter perpeti. Scis enim me multis in rebus infortunatum esse. At unum hoc cæteris omnibus gravius semper duxi, quod in hujusmodi Vitæ genus detrusus essem, a quo tum animo, tum corpore essem alienissimus. Animo, quod a Cæremoniis abhorrerem & Libertatis amans essem. Corpore, quod, etiamsi maxime placuisse Vitæ institutum, corporis natura non serebat ejusmodi labores. At objiceret mihi aliquis annum Probationis (ut vocant) & æatem maturam. Ridiculum, quasi quis postulet, ut Puer anno 17. maxime in Literis educatus, norit seipsum, quod magnum est etiam in Sene. An uno anno id discere potuerit, quod multi cani nondum intelligunt? quanquam ipse nunquam probavi, & gustatum jam multo minus: sed iis quas dixi rationibus sum irretitus: tametsi fateor, eum, qui vere sit bonus, in quovis Vitæ genere bene victurum, neque diffiteor, me ad magna Vitia fuisse propensum: non tamen usque adeo corrupta natura, quin si commodus accessisset Gubernator & vere Christianus, non Iudaice superstitiosus, potuerim ad bonam duci frugem: hoc igitur interim spectavi, in quo Vitæ genere minime malus essem, atque id sane me assecutum puto. Vixi interim inter sobrios, vixi in Studiis Literarum, quæ me a multis Vitiis avocaverunt. Licuit Consuetudinem habere cum Viris vere Christum sapientibus, quorum Colloquio factus melior: nihil enim jam ja<sup>c</sup>to de Li-

bris meis, quos vos fortassis contemnitis. At multi fatentur, se redditos eorum lectione non modo eruditiores; verum etiam meliores. Pecuniae studium nunquam me attigit, Famæ gloria nec tantulum tangor, Voluptatibus etsi quondam sum inquinatus, nunquam servivi. Crapulam & Ebrietatem semper horru, fugique. Quoties autem cogitabam de repetendo vestro Contubernio, succurrebat invidia multorum, contemptus omnium, colloquia quam frigida, quam inepta, quam non sapientia Christum convivia quam laicam denique tota Vitæ ratio, cui ἡν ἀφίεις, τὰς ως καλοῦσι, καιρεμονίας, οὐδὲ τὸν ἀπολείποντος ἐξαιρετόν. Postremo succurrebat corporis imbecillitas, quæ jam ætate & morbis ac laboribus aucta est, quæ facit, ut nec vobis satisfacturus essem, & me ipsum occiderem. Jam annis aliquot obnoxius sum calculo, gravi sane morbo & capitali. Jam annis aliquot nihil bibo, nisi vinum, neque quodvis vinum, idque cogente morbo. Non fero quevis cibum, nec cœlum quidem quodlibet. Nam morbus hic facile recurrens maximam postulat Vitæ moderationem: & novi Cœlum Hollandicum, novi Victus vestri rationem, ut de Moribus nihil dicam. Itaque, si redissim, nihil aliud suissem assecutus, nisi quod vobis molestiam attulisse, mihi mortem. Sed tu fortassis bonam Felicitatis partem existimas inter Confratres emori. At fallit & imponit ista persuasio, non solun tibi, verum etiam prope modum universis,

sis, in Loco, in Cultu, in Victu, in Ceremoniolis quibusdam Christum & Pietatem collocaamus. Actum putamus de illo, qui vestem albam commutavit in nigram, aut qui Cucullum pileo, qui locum subinde mutet. Ausim illud dicere: μέγισον τῆς χριστιανῆς ἐντεβέίας ὄλεθρον ἐν ταύτων ὡς καλοῦσι ἔελιγιώνων ἐκπεπορεύεσθαι: tametsi pio fortassis studio primum inducta sint: deinde paulatim creverunt & in sex milia sese discriminium sparserunt. Accessit Summorum Pontificum Autoritas nimium ad multa facilis & indulgens. Quid enim laxis istis Religionibus ή μισεώτερον, ή αἰσεβέστερον. Jam ad laudatas si te conferas, imo laudatissimas, εἰ μὴ φυχέας τινας νοή iεδακίας θρησκείας, haud scio quam Christi reperias imaginem. Ex his sibi placent, ex his alios judicant & contemnunt. Quanto majus est e Christi sententia, totum Orbem Christianum, unam Domum & velut unum habere Monasterium, omnes Concanonicos & Confratres putare, Baptismi Sacraumentum summam Religionem ducere, nec spectare ubi vivas, sed quam bene vivas. Vis me Sedem stabilem figere, quod etiam ipsa suadet Senectus. At laudatur Solonis, Pythagoræ, Platonisque Peregrinatio. Vagabantur & Apostoli, præcipue Paulus, D. Hieronymus etiam Monachus, nunc Rōmæ est, nunc in Syria, nunc in Africa, nunc alibi atque alibi. Et canus etiam Sacras prosequitur Literas. At non sum cum hoc conferendus, fateor: sed tamen nunquam mutavi locum, nisi vel Peste co-

gente, vel Studii causa, vel Valetudinis: & ubi-  
cunque vixi (dicam enim de me fortassis arro-  
gantius, sed tamen vere,) probatus sum a proba-  
tissimis, laudatus sum a laudatissimis. Nec ulla  
est Regio, nec Hispania, nec Italia, nec Anglia,  
nec Scotia, quæ me ad suum non invitet Hospi-  
tium. Etsi non probor ab omnibus (quod nec  
studeo) certe primis placebo. Romæ nullus erat  
Cardinalis, qui me non tanquam Fratrem acci-  
peret, quum ipse nihil tale ambirem. Præcipue  
vero Cardinalis sancti Georgii, Cardinalis Bo-  
noniensis, Cardinalis Grymanus, Cardinalis  
Nanetensis, & hic ipse qui nunc Pontifex Maxi-  
mus est, ut ne dicam de Episcopis, Archidiaconis,  
& Viris Eruditis. Atque hic honos non tribueba-  
tur opibus, quas etiam nunc non habeo, nec de-  
sidero, non ambitioni, a qua semper fui alienissi-  
mus, sed Literis duntaxat, quas nostrates rident,  
Itali adorant. In Anglia nullus est Episcopus,  
qui non gaudeat a me salutari, qui non cupiat  
me Convivam, qui nolit Domesticum. Rex ipse  
paulo ante Patris obitum, cum essem in Italia,  
scripsit ad me suapte manu literas amantissimas,  
nunc quoque sæpe sic de me loquitur, ut nemo  
honorificentius, nemo amantius, & quoties eum  
saluto, blandissime amplectitur, & oculis aman-  
tissimis obtuetur, ut intelligas eum non minus  
bene de me sentire, quam loqui. Regina conata  
est me sibi Præceptorem adsciscere. Nemo est qui  
nesciat, quin, si vel paucos menses velim in Aula  
Regis vivere, quantum libeat Sacerdotiorum  
mihi

mihi accumulaturum: sed ego huic Otio meo,  
& Studio & Laboribus omnia posthabeo. Cantuariensis Archiepiscopus totius Angliae Primas,  
& Regni hujus Cancellarius, Vir doctus & probus, me sic amplectitur, ut si Pater essem, aut  
Frater, non posset amantius. Et ut intelligas, hoc  
eum ex animo facere, dedit mihi Sacerdotium  
centum vere nobilium, quod postea volente me  
in Pensionem centum coronatorum mutavit ex  
mea resignatione. Ad hæc dedit dono supra  
CCCC. nobiles. His pauculis annis, idque nihil unquam petenti, dedit uno die nobiles centum quinquaginta. Ab aliis Episcopis supra C.  
nobiles accepi gratuita liberalitate oblatos. D.  
Montjouis, hujus Regni Baro, quondam meus  
Discipulus, dat annue mihi Pensionem C. co-  
ronatorum. Rex & Episcopus Lincolniensis, qui  
nunc per Regem omnia potest, magnifice multa  
promittit. Sunt hic duæ Universitates, Oxonia  
& Cantelbergia, quarum utraque ambit habere  
me: nam Cantelbergiæ menses complures docui  
Græcas & Sacras Literas, sed gratis, & ita facere  
semper decretum est. Sunt hic Collegia, in qui-  
bus tantum est Religionis, tanta Vitæ modestia,  
ut nullam Religionem non sis contempturus, si  
videas. Est Londini D. Joannes Coletus,  
divi Pauli Decanus, Vir qui summam Doctrinam  
cum admirabili Pietate copulavit, magna  
apud omnes Autoritatis. Is me sic amat, id quod  
sciunt omnes, ut cum nemine vivat libentius  
quam mecum, ut omittam alios innumeros, ne  
sum bis molestus, & jactantia & loquacitate. Jam

ut de Operibus dicam aliqua. Enchiridion opinor te legisse, quo non pauci fatentur se ad Pietatis studium inflammatos, nihil mihi arogo, sed gratulor Christo, si quid per me boni contingit illius dono. Adagiorum opus ab Aldo impressum an videris nescio: Est quidem profanum, sed ad omnem Doctrinam utilissimum, mihi certe inestimabilibus constituit Vigiliis. Edidi Opus de rerum verborumque Copia, quod inscripsi Coletō meo, Opus utilissimum concionaturis: at ista contemnunt ii, qui omnes Bonas contemnunt Literas. His duobus annis, præter alia multa, castigavi Hieronymi Epistolas, adulterina & subdititia obelis jugulavi, obscura Scholiis illustravi. Ex Græcorum & Antiquorum Codicum collatione castigavi totum Novum Testamentum, & supra mille loca annotavi, non sine fructu Theologorum. Commentarios in Epistolas Pauli cœpi, quos absolvam ubi hæc edidero: Nam mihi decretum est in Sacris immori Literis. In hisce rebus colloco Otium & Negotium meum. In iis magni Viri dicunt me valere, quod alii non valent. In vestro Vitæ genere nihil valitus sum. Cum tam multis doctis & gravibus Viris habui consuetudinem & hīc, & in Italia, & in Gallia: neminem adhuc rep̄peri, qui mihi consuleret ut ad vos me reciperem, aut qui hoc judicaverit melius. Quin & ipse felicis meinoriæ D. Nicolaus Wercerus, qui te præcessit, semper mihi solitus erat dissuadere, suadens ut alicui Episcopo potius me adjungerem, addens

addens se nosse & animum meum, & Fraterculorum suorum Mores : nam iis utebatur verbis lingua vernacula. Et in hoc vitæ genere, in quo sum, video quæ fugiam, sed quid potius sequar non video. Nunc restat, ut de Ornatu quoque tibi satisfaciam. Semper antehac ipsis sum Cultu Canonicorum, & ab Episcopo Trajectino, cum essem Lovanii, impetravi ut sine scrupulo uterer Scapulari lineo pro Veste linea integra, & Cappello nigro pro Pallio nigro juxta morem Lutetiorum. Cum autem adirem Italiam, videremque toto itinere Canonicos magna Veste cum Scapulari, ne quid offenderem novitate Cultus, Veste nigra illic uti cœpi cum Scapulari. Postea Pestis orta est Bononiæ, & illic qui curant Pestis laborantes, linteum album ex humeris pendens ex more gestant; hi congressus Hominum fugitant. Itaque cum die quodam nocturnum Amicum viserem, quidam Nebulones eductis gladiis parabant me invadere, fecissent, ni Matrona quædam admonuisset Ecclesiasticum me esse. Altero item die cum Thesaurarii Filios adirem, utrinque cum Fustibus in me concurrerunt & pessimis clamoribus. Itaque a bonis Viris admonitus occultavi Scapulare, & impetravi veniam a Julio Secundo, ut Ornatu Religionis uterer, aut non uterer, ut mihi visum esset, modo Vestem haberem Sacerdotalem. Et si quid ante peccatum esset ea in re, Literis id totum condonavit. In Italia ergo perseveravi Veste Sacerdotali, ne Mutatio esset alicui scandalo. Postquam autem in Angliam

redii, decrevi meo solito uti Ornatū, & domum  
accersito Amico quodam primæ laudis, & in Vi-  
ta, & in Doctrina, ostendi Cultūm, quo uti statuif-  
sem. Rogavi an in Anglia conveniret, probavit,  
atque ita in publicum prodii. Statim admoni-  
tus sum ab aliis Amicis, eum Cultum in Anglia  
ferri non posse, ut celarem, celavi: & quoniam  
non potest celari quin aliquando deprehensus  
scandalum pariat, deposui scrinio & veteri Ponti-  
ficiis Autoritate sum usus adhuc. Excommuni-  
cant Pontificiæ Leges eum, qui Religionis Habi-  
tum abjecerit, quo liberius inter Seculares ver-  
tur. Ego coactus deposui in Italia, ne occiderer,  
deinde coactus deposui in Anglia, quia tolerari  
non poterat, cum ipse multo maluerim uti. At  
nunc denuo recipere, plus gigneret scandali,  
quam Mutatio ipsa gignebat. Habes universam  
Vitæ meæ rationem, habes meum consilium. Cu-  
pido & hoc Vitæ genus mutare, si quod videro me-  
lius. Sed in Hollandia quid agam non video.  
Scio non conventurum cum cœlo, neque cum  
victu, omnium oculos in me excitabo. Redibo  
Senex & Canus, qui Juvenis exivi. Redibo va-  
letudinarius, exponar contemptui etiam infimo-  
rum, solitus & a maximis honorari. Studia mea  
computationibus permutabo. Nam quod pol-  
liceris officium tuum in quærenda Sede, ubi  
cum maximo, ut scribis, vivam emolumento,  
quid sit non possum cogitare: nisi forte colloca-  
bis me apud Monachas alias, & serviam Mu-  
lieribus qui nec Archiepiscopis, nec Regibus ser-  
vire

vire volui. Emolumentum nihil moror, neque enim studio ditescere, modo tantum sit Fortunæ, ut Valetudini & Otio Literarum suppetat, & vivam nulli gravis. Atque utinam liceat hisce de rebus coram commentari. Nam literis nec satis comemode, nec tuto licet. Tuæ enim, quamquam per certissimos missæ, sic tamen aberrant, ut nisi ipse casu me in Arcem hanc contulisset, nunquam fuerim visurus, & accepi jam a pluribus inspectas. Quare ne quid scripseris arcani, ni certo cognoveris, ubi sim & nuntium natus sis fidelissimum. Peto nunc Germaniam, id est Basileam, editurus Lucubrationes meas. Hac Hyeme fortassis futurus Römæ. In reditu dabo operam ut pariter colloquamur alicubi: sed nunc Æstas ferme præteriit, & longum est iter. De morte Guilhelmi, Francisci & Andreæ, sciebam ex Ronstondo & ejus Uxore. Dominum Henricum resaluta diligenter, reliquosque, qui tecum vivunt omnes, in quos habeo eum animum; quem deboeo. Nam pristinas Tragœdias meis imputo Erratis, aut (si ita vis) meis Fatis. Literas tuas tertio a Pascha die scriptas accepi Nonis Juliis. Rogo ut salutem meam tuis piiis Votis Christo commendare non negligas. Cui si certo scirem rectius fore consultum, si ad vestrum rediero Contubernium, hac die ad iter accingerer. Bene vale, quondam Sodalis Suavissime, nunc Pater Observande. Ex Arce Hannensi juxta Calecium, postridie Nonas Julias.

DE ERASMI ROTERODAMI  
OBITU.

**A**nno Domini 1536, Mense Julio, moritur Erasmus Roterodamus, Ornamentum nostræ Ætatis, cuius Viri Vitam, utpote de honestis Disciplinis optime meriti, libet hic subjicere. Vixit ad septuagesimum Annum, De Anno, quo natus est apud Batavos, non constat. Apud Daventriam primum posuit in Literis Tyrocinium, utriusque Linguæ Rudimentis imbibitis sub Alexander Hegio Westphalo, qui cum Rudolphi Agricola recens ex Italia verso, Amicitiam contraxerat, & ab eodem Græce docebatur: nam hujus Linguæ peritiam ille primus in Germaniam importavit. Terentii Comœdias puer non secus tenebat ac digitos suos, memoria namque fuit tenacissima, ingenio perspicacissimo. Exceptis Rudimentis plane dici potest in Literis ~~aut~~odidax<sup>os</sup>. Nam quod in Italianam jam natu grandior profectus est post Regii apud Anglos Medici Filios, Archiepiscopi quoque Sancti Andreæ in Scotia, qui tum Senis degebat aliquandiu Professor, nobilissimæ Regionis visendæ causa fecit, non ut Professoribus operam illic daret. Neque enim Bononiæ quenquam publice prælegentium audivit, sed Pauli Bombasii, qui sub Leone postea Romæ periiit, Amicitia contentus, domi Studiis suis invigilabat. Adagiorum Opus tum colligens, quod paulo post Aldo Manutio dedit excus<sup>den-</sup>

dendum, quæ res fecit ut Venetas adiret, ubi Marco Musuro atque Scipione Carteromacho, Viris Doctissimis familiariter usus est, quos ambos non semel consuluit, si quis nodus incidisset, horum candorem ac Eruditionem apud Amicos commendare solitus. Docuit Lovanii, Cantabrigiæ in Anglia, Lutetia etiam privatim, ubi Theologiae dedit Juvenis operam: Pileum deinde Doctoralem, quam in Italiam iret, in Taurinensi Academia accepit. Patronos ac Mæcenates habuit Henricum a Bergis, Episcopum Cameracensem, Gulielmum Montjoium, atque omnium liberalissimum Gulielmum Guaramu, Archiepiscopum Cantuariensem, Angliæ Primate. Amicos in Britannia, Joannem Coletum, Grocinum, Latimerum, Linacrum, Thomam Morum. Antverpiæ Petrum Ægidium, Conradum Cochlenium Lovanii. Corpusculo fuit satis compacto, sed quod esset tenerimæ complexionis, & minimarum etiam rerum mutatione, puta Vini, Cibi, Cœlive, facile offenderetur. In Literis versabatur infatigabili Studio. Testantur hoc tot ab illo conscripti Libri, quorum Catalogus extat Basileæ. Vixit apud Joannem Frobenium aliquandiu: deinde in alteris ejusdem ædibus seorsum habitavit. Friburgi septennio toto vixit, non solum optimo cuique ejus Academiæ charus, verum etiam Magistratibus Civibusque haud vulgariter amatus,

amatus atque reverendissime cultus. Friburgo reversus, cum articulari morbo aliquandiu conflictatus, tandem Viribus paulatim deficientibus, cum ferme mensem integrum Dysenteria laborasset, apud Hieronymum Frobenium, Joannis Filium, quinto Idus Julias, sub medium noctem, vita functus est. Quum autem Vitæ Finis instaret, clara Christianæ Patientiæ & animi religiosi Documenta edidit, quibus in Christum se spem omnem figere testabatur, assidue clamans: O Jesus Misericordia, Domine libera me, Domine fac finem, Domine miserere mei: & Germanica lingua, Liever Gott, hoc est, Chare Deus. Testamentum condidit, in quo Clarissimum Vi-  
rum, Bonifacium Amerbachium, Jureconsultum, nominatum Hæredem Fidei commisso, de bonis suis in pauperes, Ætate, Valetudine infirmos, in puellas nupturas, ut harum pudicitiæ succurratur, in bonæ spei Studiosos Adolescentes, ac in quosvis hujusmodi dignos auxilio distribuendis collocandisque honoravit, adjunctis ejusdem duobus Executoribus, Hieronymo Frobenio, & Nicolao Episcopio.

### INSCRIPTIO IPSIUS MONUMENTI in priuaria Æde sacra inclytæ Urbis Basiliensis.

**D**esiderio Erasmo Roterodamo, Viro omnibus modis Maximo, cuius incomparabilem in omni Disciplinarum genere Eruditionem pari conjunctam Prudentia Posteri & admirabuntur

buntur & prædicabunt: Bonifacius Amerbachius Hæres, Hieronymus Frobenius, Nicolaus Episcopius nuncupati supremæ suæ voluntatis Vindices, Patrono Optimo, non memoriæ, quam immortalem sibi editis Lucubrationibus comparavit, iis tantisper dum Orbis terrarum stabit superfuturo, ac Eruditis ubique gentium colloquuturo, sed corporis mortalis, quo reconditum sit, ergo, hoc Saxum posuere. Mortuus est 4. Id. Jul. jam septuagenarius, Anno a Christo nato M. D. XXXVI.

### SIMON GRYNÆUS.

Si sacris fas est Urnis inscribere verum,  
 Abstinet & solis Manibus invidia,  
 Vix mihi, vix dederis, sua quem sunt non mala  
 Secla,  
 Mirata & vivum quem coluere magis.

### EPITAPHIUM D. ERASMI ROTEROD.

Andrea Alciato Autore.

Conditur h̄ic magnus Batavorum gloria Erasmus,  
 Sic modico tantus Vir loculo esse potest.  
 Cujus Fama frequens totum circumvolat Orbem,  
 Qui celebris fertur docta per ora Virtum.  
 Translati Autores, Proverbia, tanta Operum vis,  
 Verum & victurum semper Erasmon habent.

F I N I S.

20.000.000.000

H

J

A if 36+



